*alas, tuearis, defendas pro eo, pro quo tibi vſumfructum portionis eius reliqui, donec mentis compos fiat, & conualeſcat.* quæſitum eſt, cùm filius in eodem furore in diem mortis ſuæ perſeuerans deceſſerit, an vſusfructus interciderit. reſpondit, verbis, quæ proponerentur, perſeuerare legatum; niſi manifeſtiſsimè probetur, aliud teſtatorem ſenſiſſe. 7 ¶ Hęredis inſtituti fideicommiſit, filio ſuo annua decem præſtare; aut ea prędia emere, & adſignare, vt vſumfructum haberet, reditum efficientia annua decem filius fundos ſibi ab hærede ſecundùm matris voluntatem traditos locauit. & quæſitum eſt, defuncto eo, reliqua colonorum vtrùmne ad hæredem filij fructuarij, an verò ad hæredem Seiæ teſtatricis pertineant. reſpondit, nihil proponi cur ad hæredem Seiæ pertineant. 8 ¶ Vſumfructum tertiæ partis bonorum ſuorum vni ex hæredibus legauerat. quęſitum eſt, an pecuniæ, quæ ex rebus diuiſis ſecundùm æſtimationem effecta eſt, tertia præſtanda ſit. reſpondit, hæredis eſſe electionem, vtrùm rerum, an æſtimationis vſumfructum præſtare vellet. Item quæſitum eſt: tributa; præter ea, quæ vel pro prædiis aut mouentibus deberi & reddi neceſſe eſt; an eximenda ſint ex quantitate, vt reliquæ dumtaxat pecuniæ, ſi hoc hæres elegerit, reddi debeat. reſpondit, reliquæ pecuniæ tertiam præſtandam.

33. *Idem* libro 17. Digeſtorum.

S*Empronio ea, quæ viuus præſtabam, dari volo.* is etiã habitabat in teſtatoris domo, quæ vni ex hæredibus prælegata erat. quæſitum eſt, an habitatio quoq; debeatur. reſpondit, nihil proponi, cur non debeatur. 1 ¶ Ex his verbis teſtamenti, *Libertis meis, quibus nominatim nihil reliqui, quæ viuus præſtabam dari volo.* quæſitum eſt, an libertis, qui cum patrono ſuo in diem mortis habitabant, etiam habitatio relicta videatur. reſpondit, videri. 2 ¶ Codicillis ita ſcripſit: *Negidium, Titium, Dionem libertos meos ſenes & infirmos peto, in locis, in quibus nunc agunt, ſeneſcere patiamini,* quæro, an ex hoc capite liberti ſuprascripti ex fideicommiſſo fructus locorum, quibus morantur, recipere debeant: cùm alia, quæ eis ſpecialiter legata ſunt, ſine controuerſia conſecuti ſunt. reſpondit, verbis, quæ proponerentur, id petitum, vt ad eum modum paterentur heredes ibi eos eſſe, ad quem modum ipſa patiebatur.

34. *Idem* libro 18. Digeſtorum.

COdicillis fideicommiſſa in hæc verba dedit: *Libertis, libertabúſque meis, & quos in codicillis manumiſi fundum, vbi me humari volui, dari volo: vt, qui ab his deceſſerit, portio eius reliquis adcreſcat, ita vt ad nouiſſimum pertineat. poſt cuius nouiſſimi deceſſum ad rempublicam Arelatenſium pertinere volo. hoc amplius libertis libertabúſque meis, habitationes in domo, quamdiu viuent. Paſtiæ & Trophimæ diætas omnes, quibus vti conſueuit, habitet. quam domum poſt mortem eorum ad rempublicam pertinere volo.* quæſitum eſt, reipublicæ fideicommiſſum vtrùm ab herede, an à libertis datum ſit. reſpondit, ſecundùm ea, quæ proponerentur, poſſe ita verba accipi, vt eius legatarij qui nouiſſimus decederet, fideicommiſſum videatur. Item quæſiit, defunctis quibuſdam ex libertis, quibus habitatio relicta erat, an portiones domus in quibus hi habitauerant, iam ad rempublicam pertineant. reſpondit, quoad aliquis eorum viuat; fideicommiſſum reipublicæ non deberi. 1 ¶ Qui Semproniam ex parte decima, & Mæuiam ex parte decima, alumnum ex reliquis partibus inſtituerat heredes: curatorem alumno dedit, cùm iure facere putaret. & curatoris fidei commiſit, ne pateretur fundum venire, ſed cum Sempronia & Mæuia nutricibus ſuis frueretur reditu eius. & ima parte teſtamenti ita adiecit: *Omnem voluntatem meam fidei heredum meorum committo.* quæſitum eſt, an tertias partes vſusfructus fundi nutrices ex fideicommiſſo petere poſsint, quamuis curator ei receptus ſit, quem iure dare non poterit alumno. reſpondit, ſecundùm ea, quæ proponerentur, vtiliter fideicommiſſo voluntatem ſuam confirmaſſe. id igitur cuique dediſſe, vt & nutrices vnà cum alumno reditu fundi vterentur.

35. *Idem* libro 22. Digeſtorum.

VXori vſumfructum villæ legauit in quinquennium à die mortis ſuæ. deinde hæc verba adiecit: *Et peracto quinquennio, cùm eius vſusfructus eſſe deſierit, tunc eum fundum illi & illi libertis dari volo.* quæſitum eſt, cùm vxor intra quinquennium deceſſerit, an libertis proprietatis petitio iam, an verò impleto quinquennio competat: quia peracto quinquennio teſtator proprietatem legauerat. reſpondit, poſt completum quinquennium fundum ad libertos pertinere.

36. *Idem* libro 25. Digeſtorum.

STicho teſtamento manumiſſo fundi vſusfructus erat legatus. &, cùm is vti fruique deſiſſet; fidei hęredum teſtator commiſit, vti eum fundum darent Lucio Titio. ſed Stichus teſtamento ſuo eiuſdem fundi proprietatem nepotibus ſuis legauit. & hęredes Stichi ex teſtamento eius legatariis nepotibus eum fundum tradiderunt. quæſitum eſt; cùm nepotes legatarij ignorauerint condicionem fundi ſupraſcripti priore teſtamento datam, & plus quàm tempore ſtatuto poſſederint, an eum fundum ſibi adquiſierint. reſpondit, ſecundùm ea quæ proponerentur, legatarios ſibi adquiſiſſe. 1 ¶ Idem quæſiit, ſi aliquo caſu legatariis auferri poſsit, an repetitionem ab heredibus Stichi eius nepotes habere poſsint. reſpondit: ſuprà quidem de adquiſitione reſponſum; verùm ſi ex alia cauſa adquiſitio ceſſaſſet, videri Stichum, ſi poſt mortem eorum, quibus proprietas legata eſſet: teſtamentum feciſſet, potiùs quòd habere ſe crederet, quã quòd onerare hæredes vellet, legaſſe.

37. *Idem* libro 33. Digeſtorum.

V*Xori meæ vſumfructum lego bonorum meorum, vſque dum filia mea annos impleat octodecim.* quæſitum eſt; an prediorum tam ruſticorum, quàm vrbanorum & mancipiorum & ſupellectilis, itémque calendarij vſusfructus ad vxorem pertineat. reſpondit; ſecundùm ea quæ proponerentur, omnium pertinere.

38. *Idem* libro 3. Reſponſorum.

F*Vndi Aebutiani reditus vxori meæ, quoad viuat, dari volo.* quæro, an poſsit tutor heredi fundum vendere, & legatario offerre quantitatem annuam, quam viuo patrefamilias ex locatione fundi redigere conſueuerat. reſpondit: poſſe. Item quæro; an habitare impunè prohiberi poſsit. reſpondit, non eſſe obſtrictum hæredem ad habitationem pręſtandam, Item quæro; an compellendus ſit hæres reficere prædium. reſpondit, ſi heredis facto minores reditus facti eſſent, legatarium rectè deſiderare, quod ob eam rẽ deminutum ſit. Item quæro, quo diſtat hoc legatum ab vſufructu. reſpondit, ex his quæ ſuprà reſponſa eſſent, intellegi differentiam.

39. *Idem* libro 6. Reſponſorum.

FIlios heredes inſtituit. vxori veſtem, mundum muliebrem, lanam, linum & alias res legauit & adiecit: *Proprietatem autem eorum, quæ ſupraſcripta ſunt, reuerti volo ad filias meas, quæve ex his tunc viuent.* quæſitum eſt, vtrùm vſusfructus, an proprietas earum rerum data ſit. reſpondit, proprietatem legatam videri.

40. *Alſenus Varus* libro 8. Digeſtorum à Paulo Epitomatorum.

I*Lli cum illo habitationem lego.* perinde eſt, ac ſi ita *illi & illi* legaſſet.

41. *Iauolenus* libro 2. ex poſterioribus Labeonis.

Cum



CVm ita legatum eſſet, *Fructus annuus fundi Cornelliani Publio Mæuio do lego:* perinde putat accipiẽdum eſſe Labeo, ac ſi vſusfructus fundi ſimiliter eſſet legatus. quia hæc mens fuiſſe teſtatoris videatur.

42 *Idem* libro 5. ex poſterioribus Labeonis.

IN fructu id eſſe intelligitur, quoad vſum hominis inductum eſt. neque enim maturitas naturalis hic ſpectanda eſt: ſed id tempus, quo magis colono dominóve eum fructum tollere expedit. itaq. cum olea immatura plus habeat reditus, quàm ſi matura legatur: non poteſt videri, ſi immatura lecta eſt, in fructu non eſſe.

43. *Venuleius* libro 10. Actionum.

Nihil intereſt, vtrùm bonorum quis, an rerum tertiæ partis vſumfructum legauerit. nam ſi bonorum vſusfructus legabitur, etiam æs alienum ex bonis deducetur: &, quod in actionibus erit, cõputabitur. at ſi certarum rerum vſusfructus legatus erit, non idem obſeruabitur.

## DE SERVITVTE LEGATA.

## TIT. III.

*Iulianus* libro 1. ex Minicio.

QVi duas tabernas coniunctas habebat, eas ſingulas duobus legauit. quæſitum eſt, ſi quid ex ſuperiore taberna in inferiorem inædificatum eſſet, num inferior oneri ferundo in ſuperioris tabernæ loco cõtineretur. reſpondit, ſeruitutem impoſitam videri. *Iulianus* notat: Videamus, ne hoc ita verum ſit, ſi aut nominatim hæc ſeruitus impoſita eſt, aut ita legatum datum eſt: *Tabernam meam, vti nunc eſt do lego.*

2 *Marcellus* libro 13. Digeſtorum.

FVndum communem habẽtibus legari poteſt via: cùm & communis ſeruus rectè viam ſtipulatur: & cum duo ei, qui ipſe viam ſtipulatus fuerit, heredes exſtiterint, non corrumpitur ſtipulatio.

3. *Idem* libro 29. Digeſtorum.

SI fundum Mæuio, & ad eum viam per alium fundum, & eundem fundum ſine via Titio legaſſet: ſi vterque fundum vindicaſſet: ſine via legato fundum ceſſurum. quia neque adquiri per partem ſeruitus poſsit. Et ſi priùs Mæuius fundum vindicaret, altero deliberante, poſſe dubitari, an, ſi poſtea Titius omiſiſſet, viæ legatum ſaluum eſſet. & hoc magis videbatur. Quamquàm ſi ſub condicione quis fundum legaſſet, viam pure: aut pro parte fundum pure, pro parte ſub condicione, & viam ſine condicione: ſi, pendente ea, legati dies ceſsiſſet: interiturum fore viæ legatum. Vt reſponſum eſt, cùm alteri ex vicinis, qui fundum communem habebãt, viam ſub condicione, alteri pure legaſſet, pendente condicione deceſsiſſet: quia alterius legatarij perſona impedimẽto eſſet, quo minus ſolidus fundus cum via vindicaretur.

4. *Iauolenus* libro 9. Epiſtularum.

SI is, qui duas ædes habebat, vnas mihi, alteras tibi legauit, & medius paries, qui vtraſque ædes diſtinguat, interuenit: eo iure eum communem nobis eſſe exiſtimo, quo, ſi paries tantum duobus nobis communiter eſſet legatus. Ideoque neque me, neque te agere poſſe, ius non eſſe alteri ita immiſſas habere. nam quod communiter ſocius habet, & in iure eum habere conſtitit. itaque de ea re arbiter communi diuidundo ſumendus eſt.

5 *Papinianus* libro 16. Quæſtionum.

ET ſi maxime teſtamenti factio cum ſeruis alienis ex perſona dominorum eſt: ea tamen, quæ ſeruis relinquuntur, ita valent, ſi liberis relicta poſſent valere. ſic ad fundum domini via ſeruo fruſtra legatur.

6. *Idem* libro 7. Reſponſorum.

PAter filiæ domum legauit, eique per domus hereditarias ius tranſeundi præſtari voluit. ſi filia domum ſuam habitet, viro quoque ius tranſeundi præſtabitur. alioquin filiæ præſtari non videbitur. quod ſi quis non vſum tranſeundi perſonæ datum, ſed legatum ſeruitutis eſſe plenum intellegat. tantundem iuris ad heredem quoque tranſmittetur. quod hic nequaquam admittendum eſt: ne quod affectu filiæ datum eſt, hoc & ad exteros eius heredes tranſire videatur.

7. *Paulus* libro 21. Quæſtionum.

CVm à pluribus heredibus inſtitutis via legata eſt, quia partem non recipit, ſinguli heredes in ſolidum conueniuntur. quia, & vno ex heredibus adeunte, vindicari poteſt.

## DE DOTE PRAELEGATA,

## TIT. IIII.

*Vlpianus* libro 19. ad Sabinum.

CVm dos relegatur: verum eſt, id dotis legato ineſſe, quod actione de dote inerat.

1 ¶ Et ideo: ſi inter virum, & vxorem conuenerat, vt, morte viri ſoluto matrimonio, filio communi interueniente, dos apud mariti heredem remaneret, & maritus decedens dotem relegauerit: ſtari pacto non debet ob hoc, quod dos relegata eſt. Verùm & citra relegationẽ hoc probari debet. nam quod eſt admiſſum, poſſe deteriorem condicionem dotis fieri interuenientibus liberis: totiens locum habet, quotiens ipſa in matrimonio decedit, vel diuortium interuenit.

2 ¶ Et verum eſt, commodum in dote relegata eſſe repræſentationis, quamuis annua die dos præſtaretur. 3. ¶ Eſt & illud, quod ob res donatas hodie poſt ſenatuſconſultum nulla fit exactio: ſi modo voluntatem non mutauit teſtator.

4 ¶ Impenſæ autem ipſo iure dotem minuunt. ſed quod diximus, ipſo iure dotem impenſis minui: non ad ſingula corpora, ſed ad vniuerſitatem erit referendum. 5 ¶ Adeo autem dotis actionem continet dotis relegatio, vt, ſi viuus eam vxori (ſcilicet quibus licet caſibus) ſoluerit, ceſſet legatum.

6 ¶ Sed & ſi mancipia fuerint in dote non æſtimata, & hæc demortua ſint: legatum dotis in his euaneſcit. 7 ¶ Sed & ſi dotem promiſerit mulier, neque dederit: & decedens maritus vxori dotem prælegauerit: mulier nihil amplius, quàm liberationem habebit. Nam & ſi quis ita legauerit: *Centum quæ in arca habeo:* aut, *quæ ille apud me depoſuit:* ſi nulla ſint: nihil deberi conſtat: quia nulla corpora ſint.

8 ¶ Si quis vxori fundum Titianum his verbis legaſſet: *Is enim fundus propter illam ad me peruenit:* omnimodo debetur fundus. nam quidquid demonſtratæ rei additur ſatis demonſtratæ, fruſtra eſt.

9 ¶ Celſus libro viceſimo digeſtorum ſcribit.

SI ſocer nurui dotem relegauit, ſi quidem ius actionis de dote voluit relegare, nullius momenti eſſe legatum: quippe nupta eſt. ſed, ſi voluit eam recipere dotalem pecuniam, (inquit) vtile erit legatum. Si tamen hæc dotem receperit, nihilominus maritus dotis perſecutionem habebit: ſiue heres inſtitutus eſſet, familiæ herciſcundæ iudicio: ſiue non, vtili actione. Ego puto: quoniam non hoc voluit ſocer, vt bis dotem heres præſtet: & mulierem agentem ex teſtamento, cauere debere, defenſu iri heredem aduerſus maritum. ergo & maritus idem debebit cauere, aduerſus mulierem defenſu iri, ſi prior agat.

10 ¶ Per contrarium apud Iulianum libro trigenſimoſeptimo quæritur, ſi ſocer filio ſuo exheredato dotem nurus legaſſet. & ait: agi quidem cum marito exheredato de dote non poſſe: verumtamen ipſum dotem perſecuturum ex cauſa legati: ſed non aliàs eum legatum conſecuturum, quàm ſi cauerit, heredes aduerſus mulierem defenſu iri. & differentiam facit inter eum, cui dos relegata eſt, & orcinum libertum, cui peculium legatum eſt. namque eum de peculio poſſe conueniri ait, heredem non poſſe: quia peculium

deſiit penes ſe habere. at dotis actio nihilominùs competit, etſi dotem deſierit habere.

11 ¶ Idem Iulianus quærit, ſi dotem marito relegauerit ſocer, an, dote ſoluta, mulieri legatum mariti extinguatur. & dicit, extingui: quia nihil eſſet iam, quod marito poſſet præſtari.

12 ¶ Idem quærit: ſi dos alij legata eſſet, eamque rogatus ſit mulieri reſtituere, an lex Falcidia in legato locum haberet. & dicit, habere: ſed, quod minus eſt in fideicommiſſo, mulierem dotis actione conſecuturam. Ego quæro, an commoda repræſentationis in hoc legato ſic obſeruentur, atque ſi dos ipſi mulieri fuiſſet relegata. & puto, habere.

13 ¶ Idem Iulianus quærit, ſi mulieri dos ſit relegata, eaque rogata dotem reſtituere, an Falcidia locum habeat. & negat habere: quoniam fideicommiſſum quoque negat valere. Quòd ſi præterea quid vxori legatum ſit: putat, ex reſiduo fideicommiſſum præſtari. quod vtique, habita ratione Falcidiæ, mulieri præſtabitur. Sed & marito ex parte herede inſtituto, à ſocero dote prælegata, legatum dotis Falcidiam paſſurum. videlicet quia, adhuc conſtante matrimonio, indebita dos videtur relegata. verùm quod Falcidia recidit, in familiæ herciſcundæ iudicio maritum præcepturum. quemadmodum totã dotem præciperet, ſi non eſſet relegata.

14 ¶ Mela ſcripſit: ſi fundus in dote ſit, & ſpecialiter ſit legatus, mox generaliter dos relegata, non bis, ſed ſemel deberi fundum.

15 ¶ Ibidem Mela coniungit, ſi fundus in dote fuit locatus à marito ad certum tempus: vxorem non aliàs fundum ex relegatione cõſequi, quàm ſi cauerit, ſe paſſuram colonum frui, dummodo ipſa penſiones percipiat.

2. *Vlpianus* libro 5. Diſputationum.

CVm quis vxori ſuæ dotem relegat, fideique cõmiſſum ab ea relinquit: hoc fideicommiſſum ex commodo, quod ex relegatione mulier ſentit, æſtimabitur. & ita Celſus quoque libro viceſimo digeſtorum ſcripſit. Quòd ſi neceſſariæ fuerunt impenſæ, quæ ipſo iure dotem minuunt: ampliùs dici poteſt, ſi tanta quantitas dotis quam maritus accepit, ei relegata eſt, oportet dici etiam eam quantitatem poſſe fideicommiſſum erogare, quæ ipſo iure dotem minuit. eſſe enim mulierem legatariam, nemo eſt, qui dubitet. Sed & ſi non dos, ſed pro dote aliquid vxori fuerit legatum: adhuc quaſi dos relegata accipitur. Hoc ampliùs Iulianus ſcribſit, etſi non fuerit adiectum, pro dote eſſe legatum, hoc tamen animo relictum: adhuc eius eſſe condicionis. Vxor igitur ſi rogetur vel dotem, vel quòd pro dote legatum eſt, vel quod in vicem dotis ſibi adſcriptum eſt, reſtituere, non cogetur, niſi eatenus, quatenus diximus, reſtituere. Et ideo heres inſtituta, rogataque quantitatem hereditatis reſtituere: id demum reſtituet, quod quantitatem dotis excedit. idque, quod ex repræſentationis commodo ſentit. Nam & ſi quis, cùm à nuru dotem accepiſſet, filium ſuum heredem inſtituerit, eúmque rogauerit, quidquid ad eum ex hereditate perueniſſet, reſtituere: mox morte vxoris dotem fuerit lucratus: id non reſtitueret, quod ex dote percepit: quia matrimonij cauſa id lucratus eſt, non ex patris iudicio.

1 ¶ Mulier dotem promiſit quadrigentorum, & dedit fundos duos in ducenta, præterea nomina debitorum in reſidua ducenta, mox maritus eius decedens pro dote fundos ei duos, non eos, quos in dotem acceperat, reliquit: & præterea duos illos dotales, quos æſtimatos acceperat, reliquit. fideique eius cõmiſit, vt, quidquid ad ſe ex hereditate eius perueniſſet, id reſtitueret Seio, cùm moreretur: quærebatur, quantum eſſet in fideicommiſſo, muliere defuncta. dicebam, vxorem hanc: quæ rogata eſt, quidquid ad ſe peruenerit ex teſtamento, reſtituere, in ea eſſe condicione, vt id demum reſtituere cogetur? quod, deducta dotis quantitate, ad eam peruenit: dotem enim recepiſſe eam magis, quàm acc epiſſe: ſaluo eo, quod ex commodo repræſentationis ab ea ideicommitti potuit. proinde id quidem, quod pro dote maritus ei reliquit, non cogetur reſtituere: niſi plus fuit in eo, quàm in quantitate dotis, reſiduum vero quod præterea illi relictum eſt, cum fructibus cogetur reſtituere. habebit igitur præcipuã dotem cum ſuis fructibus. id vero, quod extrinſecus ei relictum eſt, cum fructibus, qui ad eam peruenerint, reſtituet.

3. *Iulianus* libro 34. Digeſtorum.

QVi ita legat vxori ſuæ: *Titiæ, amplius quàm dotem, aureos tot heres meus damnas eſto dare.* manifeſtus eſt dotem quoque relegaſſe.

4. *Africanus* libro 5. Quæſtionum.

CVm vulgari modo dies legatorum proferturi nihil eam rem ad dotis relegationem pertinere ait: quia ſuum diem habeat.

5. *Marcianus* libro 3 Regularum.

DOte relegato, non eſt heres audiendus, ſi velit ob donationes in mulierem factas ſolutionem differre, vel ob impenſas alias, quàm quæ ipſo iure dotem minuunt. aliud eſt enim, minorem eſſe factã dotem, quod per neceſſarias impẽſas accidit: aliud, pignoris nomine retineri dotem ob ea, quæ mulierem inuicem præſtare æquum eſt.

6. *Labeo* libro 2 Poſteriorum à Iauoleno epitomatorum.

CVm ſcriptum eſſet: *Quæ pecunia propter vxorem meam ad me venit quinquaginta, tantundem pro ea dote heres meus dato:* quamuis quadraginta dotis fuiſſent: tamen quinquaginta debere, Alfenus Varus Seruium reſpondiſſe ſcribit. quia propoſita ſumma quinquaginta adiecta ſit.

1 ¶ Item ei, quæ dotem nullam habebat, vir ſic legauerat: *Quanta pecunia dotis nomine, & reliqua pro ea quinquaginta heres dato.* deberi ei legatum Ofilius, Caſcellius, item & Seruij auditores retulerunt. perinde habendum eſſe, ac ſi ſeruus alicui mortuus, aut pro eo centum legata eſſent. quod verum eſt: quia his verbis non dos ipſa, ſed pro dote pecunia legata videtur.

7. *Papinianus* libro 18. Quæſtionum.

PAter dotem à nuru acceptam, filio exheredato legauit. heres patris, oppoſita doli exceptione, non ante ſoluere legatum cogendus eſt, quàm ei cautum fuerit de indemnitate ſoluto matrimonio,

1 ¶ Sed ſi priùs, quàm legatum filio ſolueretur, mulier dotem ſuam reciperauit: fruſtra filius de legato ager.

2 ¶ Sed ſi lex Falcidia locum in legato dotis aduerſus filium exheredatum habuerit, & mulier ſolutionem ratam fecerit: propter eam quantitatem, quam heres retinuerit, vtilis actio dotis ei dabitur. quod ſi ratum non habeat: defendi quidem debebit heres à viro, qui ſe defenſurum promiſit. ſed ſi totam litem vir ſolus ſubierit: actio iudicati, ſi cautum non erit, pro ea quantitate, quæ iure Falcidiæ petenda eſt, aduerſus heredem dabitur.

3 ¶ Sed ſi, priùs quàm legatum filio ſolueretur, mulier diuertit: quamquàm ipſa nondum præcipere dotem poſſit: non ideo tamen actio filij differtur: quia tunc iſdem diebus filio ſolui dotem, reſponſum eſt, cùm patri pro parte heres exſtitit, & ad præceptionem dotis: ſoluto matrimonio poſtquàm heres exſtitit, admiſſus eſt.

4 ¶ Si forte per errorem cautio defenſionis omiſſa ſit, & ex cauſa fideicommiſſi filius dotem acceperit: vt indebitum fideicommiſſum non repeteretur. cautionis enim præſtandæ neceſſitas ſolutionem moratur: non indebitum facit, quod fuit debitum. ſed non erit iniquum, heredi ſubueniri.

5 ¶ Quid ergo, ſi patris heres ſoluẽdo nõ ſit? nonne iuſte mulieri dabitur aduerſus virum vtilis actio dotis: cui dos perire non debet: quia non interpoſuit per errorem heres cautionem.



8. *Idem* libro 7. Reſponſorum.

VIr vxori, quæ dotem in mancipiis habebat, pecuniam pro dote legauerat. viuo viro mancipiis mortuis, vxor poſt virum vita deceſsit. ad heredem eius actio legati recte tranſmittitur: quoniã mariti voluntas ſeruanda eſt.

9. *Idem* libro 8. Reſponſorum.

VXori meæ fundum Cornelianum, & quæ nuptura optulit, æſtimata in ſpeciebus reſtitui volo. reſpondi, non æſtimatum prædium in dotem datum exceptum nõ videri: ſed, vniuerſa dote prælegata, rerum æſtimatarum pretium non relictum: verùm ipſas res, quales inuenirentur.

10. *Scæuola* libro 8. Quæſtionum.

SI Seiæ pro dote centum fundus legatus ſit, idémque Mæuio, quod Mæuio Falcidia aufert, pro eo, quòd ei concurſus non fuerit, mulier plus vindicet. quia amplius ſit in dote mulieris.

11. *Paulus* libro 7. Reſponſorum.

SEia, cùm nuberet Lucio Titio, dedit dotis nomine centum aureos, & adhibuit Quintum Muciũ, qui nihil numerauit, ſed dotem ſtipulatus eſt, ſi morte mulieris ſolutũ fuerit matrimoniũ Seia moriens teſtamẽto ſuo ita cauit: *Lucio Titio marito meo, cui maximas gratias ago, dari volo ſuper dotem, quam ei dedi, x aureos.* quæro, cùm inſtituit Lucium Titium conuenire Quintus Mucius ex ſtipulatu actionem, an repellere eum maritus poſsit ex verbis teſtamẽti. reſpondit, ſi Quintus Mucius, mandante Seia non donationis cauſa, ſtipulatus eſt, heredibus mulieris eum teneri, & ideo Quintum Mucium exceptione repellendum eſſe. quod ſi donationis cauſa Seia ſtipulari permiſiſſet: videri eum in eum caſum, qui morte mulieris exſtitit, mortis cauſa ſtipulatum: & ideo fidei eius committi potuiſſe in eum caſum, dicendum fore.

12. *Scæuola* libro 3 Reſponſorum.

QVi dotem in pecunia numerata, & æſtimatis rebus acceperat: vxori ita legauit: *Seiæ vxori meæ ſi, meæ res, quæ tabulis dotalibus continentur, heredi meo ſibi l[illegible] & numeri ſummam dotis, quam mihi pro ea pater eius intulit, dari volo hoc amplius [illegible] decem.* quæſitum eſt, cùm res in dotem datæ plures ipſo vſu finitæ eſſent, nec moriente marito fuerant, an quaſi ſub impoſsibili condicione legatum datum debeatur. reſpondi, videri condicioni paritum, ſi, quod ex rebus in dotem datis ſupererat, in poteſtatem heredis peruenit.

13. *Labeo* libro 1. Pithanorum à Paulo epitomatorum.

P*Aulus*: Si filiusfamilias, vxorem cùm haberet, dotem ab ea acceperat: deinde paterfamilias factus, dotem ei (vt ſolet) legauit: quamuis patri heres non erit: tamen id legatum debebitur.

14. *Scæuola* libro 15. Digeſtorum.

TIleopompus teſtamento facto duas filias & filiũ æquis partibus inſtituit heredes, & codicillis ita cauit: Τὴν θυγατέρα μου Κρισπῖναν, ἣν ἠυχόμην ἐκδοῦναι, ᾧ ἂν οἱ φίλοι μου καὶ οἱ συγγενεῖς δοκιμάσωσι, προνοήσει ἐκδοθῆναι Πολλιανός, εἰδὼς μου τὴν γνώμην, ὅτι τοῖς ἴσοις, ἐφ' οἷς καὶ τὴν ἀδελφὴν αὐτῆς ἐξέδωκα. *I. Filiam meam Criſpinam, quam vellem tradi nuptui cuicumque amici mei & cognati approbabunt, prouidebit tradi Pollianus ſciens mentem meam, in æqualibus portionibus, in quibus & ſororem eius tradidi.* Pollianus à marito puellæ iuratus, ſcripſit, voluiſſe patrem, eandem quantitatem in dotem accipere etiam minorem filiam, quam maior accepiſſet. quæro, an eandem ſummam, dotis nomine, coheredes, extra partem hereditatis, minoris filiæ præſtare debeant. reſpondit, eum, cuius notio eſt, æſtimaturum, vt eadem quantitas, ex communi, præcipua minori filiæ, dotis nomine, detur.

15. *Gaius* libro 2. de legatis ad Edictum prætoris,

LIcèt placeat, pigneratas res vel in publicum obligatas, heredem, qui dare iuſſus eſt, liberare debere: tamen, ſi is, qui tales res in dotem accepit, dotem prælegauerit, non cogetur heres liberare eas, niſi aliud ſpecialiter teſtator dixerit.

16. *Paulus* libro 2. ad Vitellium.

QVi dotem à matre vxoris acceperat, & ſtipulanti ei promiſerat: teſtamento vxori dotem legauit. cùm quæſitum eſſet, an vxor dotis ſummam conſequi poſſet: reſpondit Scæuola, non videri dari vxori, quod neceſſe ſit matri reddi. aliàs ſic reſpondit: non videri: niſi manifeſte vxor docuiſſet, eam teſtantis voluntatem fuiſſe, vt onerare heredes duplici præſtatione dotis vellet.

17. *Scæuola* libro 3. Reſponſorum.

VXori ita legauit: *Vxor mea, quid, quid ei comparaui, & quod mihi dedit, è medio ſibi ſumat*: quæro, an dos prælegata videatur. reſpondit, verbis, quæ proponerentur, videri & de dote legata loqui, niſi aliud teſtatorem voluiſſe, probaretur.

1 ¶ *Titiæ vxori meæ, quanta pecunia ad me, in ve ſtipulationem dotis eius nomine peruenit. Quæ dos eſt dotalibus duobus conſignatis inſtrumentis centum aureorum.* quæſitum eſt, an vtramque ſummam conſequi poſſit. reſpondit, nihil proponi, cur non poſsit.

---

## DE OPTIONE VEL ELEctione legata,

## TIT. V.

*Vlpianus* libro 2 ad Sabinum.

DIuus Pius Cæcilio Proculo reſcripſit, eum cui ſeruorum legata ſit electio, tres poſſe eligere.

2 *Idem* libro 10. ad Sabinum.

QVotiens ſerui electio vel optio datur: legatarius optabit, quem velit.

1 ¶ Sed & homine generaliter legato, arbitrium eligendi, quem acciperet, ad legatarium pertinet.

2 ¶ Data igitur optione, ſi quis optauerit alienũ ſeruum, vel hominem liberum: videndum eſt, an conſumpſerit optionem & puto, non conſumi.

3 ¶ Eum, cui centum amphorarum electio data ſit, acetum eligentem, non conſumere optionem, ſi id acetum elegerit, quod vini numero paterfamilias non habuit.

3. *Idem* libro 3. ad Sabinum.

SCilicet ſi ante exhibitionem, hoc eſt ante deguſtationem, acetum elegerit.

4. *Paulus* libro 3. ad Sabinum.

SCyphi electione data: ſi, nõ omnibus ſcyphis exhibitis, legatarius elegiſſet: integram ei optionem manere placet. niſi ex his dumtaxat eligere voluiſſet, cum ſciret & alios eſſe.

5 *Africanus* libro 5. Quæſtionum.

NEc ſolùm ſi fraude heredis: ſed etiam ſi alia qualibet cauſa, id euenerit.

6 *Pomponius* libro 6. ad Sabinum.

MAncipiorũ electio legata eſt. ne venditio quãdoque eligente legatario interpelletur: decernere debet prætor, niſi intra tempus ab ipſo præfinitum elegiſſet, actionem legatorum ei non competere. Quid ergo, ſi, die præterito, ſed antequàm venderet heres, vindicare legatarius velit? quia nõ eſt damnum ſubiturus heres, propter quod decernere prætor id ſolet. & quid, ſi die præterito, quem finierit prætor, heres aliquos ex ſeruis, vel omnes manumiſerit? nonne prætor eorum tuebitur libertatem? ergo totiens actio deneganda non eſt, ſi omnia in integro ſint. Idem eſt, & ſi pignori aliquos ex his ſeruis heres dederit poſt diem, vel vendiderit.

7. *Paulus* libro 10. Quæſtionum.

IMmo, & ſi quoſdam ſeruos diſtraxit, quoſdam retinuit: non eſt audiendus legatarius, ſi velit optare ex retentis ab herede, cùm iam diſpoſuerit familiam heres.

8 *Pomponius* libro 6. ad Sabinum.

SI tibi electio ſerui, & mihi reliqui legati ſunt: decernendum eſt à prætore, niſi intra certum

8. *Idem*

tempus optaueris, petitionem tibi non datu iri.

1 ¶ Si ex quatuor viriolis duæ, quas elegiſſem, mihi legatę ſint: ſiue duæ ſolæ relictæ ſint, ſiue ab initio duæ ſolæ fuerint: valet legatum.

2 ¶ Vnius hominis mihi & tibi optio data eſt, cùm ego optaſſem, ſi non mutaſſem voluntatem, deinde tu eundem optaueris: vtriuſque noſtrum ſeruum futurum. quòd ſi antè deceſsiſſem, vel furioſus factus eſſem: non futurum communem. quia nõ videor conſentire, qui ſentire non poſsim. humanius autem erit, vt & in hoc caſu, quaſi ſemel electione facta, fiat communis.

3 ¶ Si rerum depoſitarum electio mihi relicta ſit: & ad exhibendùm cum eo, apud quem depoſitæ ſint, agere potero: & cum herede agere, vt is: depoſiti agendo, facultatem mihi eligendi præſtet.

9. *Iulianus* libro 32. Digeſtorum.

CVm ita legatur, *Titio Stichum do lego, ſi Pamphilum non elegerit:* ſimile eſt, atque ſi ita legatum fuiſſet: *Titio Stichum aut Pamphilum, vtrum eorum velet, do lego.*

1 ¶ Quæſitum eſt, ſi Stichus ſub condicione liber eſſe iuſſus ſit, & mihi optio ſerui data eſſet, vel ſeruus generaliter legatus eſſet, quid iuris eſſet. dixit, commodius conſtitui, eum, qui ſub conditione libertatem Sticho det, & optionem ſeruorum, non cogitare de Sticho. ſicuti conſtat, non cogitare eum de eo, cui præſentem libertatem dederit. ſecundum quod, ſi Stichum optauero vel elegero, nihil agam: & ex ceteris nihilominus optabo.

2 ¶ In eodem caſu quæſitum eſt, ſi, optione ſeruorum data, antequàm optarem, cõdicio ſtatutæ libertatis defeciſſet, an Stichum optare poſsim. puto Mucianæ ſententiæ adſentiendum: qua placet, ipſa libertate legatum peremi, non donatione ſtatutę libertatis. quare ſi viuo teſtatore, ſiue poſt mortem eius, & ante aditam hereditatem condicio ſtatutæ libertatis defecerit: legatum erit vtile. nam ſicut pura libertas, ita ſtatuta libertas aditæ hereditatis tempore vires accipit. ideoque Stichum optare poſſum.

10 *Idem* libro 34. Digeſtorum.

SI Pamphilo ſeruo Lucij Titij ſeruus generaliter legatus ſit, deinde dominus Pamphili, poſtquàm dies legati ceſſerit, eum manumiſiſſet: ſi quidem Titius ſeruum vindicauerit: extinguitur Pamphili legatum: quia non eſſet in hereditate, qui poſsit optari. ſi vero Titius legatum à ſe repudiaſſet: Pamphilum optare poſſe legatum, conſtat. licèt enim manumiſsione Pamphili duæ perſonæ conſtituerentur, Titij, & Pamphili: vnius tamen rei legatum inter eas vertitur: &, Titio vindicante, optio extinguitur: repudiante, Pamphilus optare poteſt.

11. *Idem* libro 36. Digeſtorum.

SI Eros Seio legatus ſit, & Eroti fundus: deinde optio ſerui Mæuio data fuerit, iſque Erotem optauerit: fundus ad ſolũ Seium pertinebit. quoniã aditæ hereditatis tempore is ſolus erit, aT quem poſſet legatum pertinere. Nam & cùm ſeruo communi alter ex ſociis legat, idcirco ad ſolum ſociũ, totum legatum pertinet, quoniam die legati cedente ſolus eſt, qui per eum ſeruum poſſit adquirere.

12. *Idem* libro 1. ex Minicio.

SEruo generaliter legato: verius eſt, omnes heredes, ſi eis electio data eſt, eundem dare debere. ſi non conſentiant heredes, ex teſtamento eos teneri.

13. *Paulus* libro 8. ad Plautium.

SI optio ſerui data mihi fuerit, & Sticho aliquid teſtator ſine libertate legaſſet: tunc ſequens legatum conſiſtit, cùm tota familia ad vnum, id eſt Stichum, recciderit: vt quaſi pure legato, vtiliter ſit legatum. Nec aduerſatur Catoniana, ſi voluntarius heres inſtitutus ſit: quia poteſt ante aditam hereditatem, etiam ſi ſtatim deceſſerit, familia minui. Quod ſi neceſſarius heres inſtitutus ſit: ſequens legatum propter Catonianam, inutile eſt.

1 ¶ Pomponius ſcribit, emptore hereditatis poſtulante, vt is, cui ſerui optio legata ſit, optet, videndum eſſe, an prætor, vt id faciat, cogere debeat legatarium, quemadmodum ſi heres inſtitutus id poſtularet: quia poteſt per heredem id emptor conſequi. &, quare non poſsit, non video.

14. *Iauolenus* libro 2. ex Caſsio.

SI, cùm optio ſerui ex vniuerſa familia legata eſſet, heres aliquem, priùs quàm optaretur, manumiſit: ad libertatem eum interim non perducit: ſeruum tamen, quem ita manumiſerit, amittit: quia is aut electus, legato cedit, aut relictus, tunc liber oſtenditur.

15. *Idem* libro 2. Epiſtularum.

SEruo ſine libertate legaui, deinde optionem ſeruorum Mæuio dedi, is eundem ſeruum optauit. quæro, an id quoque, quod legatum eſt, ei deberetur. reſpondit: Non puto legatum huius ſerui nomine ad dominum pertinere.

16. *Terentius Clemens* libro 15. ad legem Iuliam & Papiam.

OPtione legata, placet, non poſſe ante aditam hereditatem optari: & nihil agi, ſi optaretur.

17. *Idem* libro 17. ad legem Iuliam & Papiam.

CVm optio duorum ſeruorum Titio data ſit, reliqui Mæuio legati ſint: ceſſante primo in electione, reliquorum appellatione omnes ad Mæuium pertinent.

18. *Scæuola* libro 13. Quæſtionum.

HOmine legato, Neratius ait, nihil agi repudiato Pamphilo. itaque eum ipſum eligi poſſe.

19. *Paulus* libro 3 Sententiarum.

I*llud aut illud, vtrum elegerit legatarius.* nullo à legatario electo, decedente eo poſt diem legati cedentem: ad heredem tranſmitti, placuit.

20. *Labeo* libro 2. Poſteriorum à Iauoleno Epitomatorum.

APud Aufidium libro primo reſcriptum eſt: cùm ita legatum eſt, *Veſtimenta, quæ volet, vidinaria ſumito: ſilique habeto,* ſi is dixiſſet, quæ vellet: deinde, antequam ea ſumeret, alia ſe velle dixiſſet: mutare voluntatem eum non poſſe, vt alia ſumeret. quia omne ius legati prima teſtatione, qua ſumere ſe dixiſſet, conſumpſit. quoniam res continuo eius fit, ſimul ac ſi dixerit eam ſumere.

21. *Scæuola* libro 22. Digeſtorum.

FIlium & vxorem heredes ſcripſit: filiam exheredauit: & ei legatum dedit, cùm in familia nuberet, centum, & cùm in familia nupſerit, his *verbis: inſuper arbitratu Semproniæ matris eius mancipia decem, quæ confeſtim poſt aditam hereditatem meam à Sempronia vxore mea eligi volo. quæ mancipia, cùm in familiã nupſerit, dari volo. & ſi antequam nupſerit, aliquod ex mancipiis deceſſerit, tunc in locum eius, arbitratu Semproniæ matris eius, dari volo, dum ad completum numerum perueniat. Quod ſi Sempronia mater eius non elegerit: tunc ipſa ſibi, quæ volet, eligat.* quæſitum eſt, cùm mater elegerit, an ea, quæ ex his mancipiis ante nuptias adgnata ſunt, ad puellam ſupra numerum decem mancipiorum pertineant. reſpondit, cùm mancipiorum legatum in tempus nuptiarum teſtator trãſtulit, id, quod medio tempore ancillæ enixæ ſunt, ad filiam non pertinere. Idem quæſiit: ante nuptias, eorundem mancipiorum fructus & vſus an ad Semproniam matrem pertineant. reſpondit, nihil proponi, cur ad matrem pro ſolido pertineant.

22. *Idem* libro 17. Digeſtorum.

MAritus vxori ſuæ codicillis per fideicommiſſum dedit prædia, item lances, quas elegerit, quattuor. quæſitum eſt, an ex his lancibus, quæ mortis tempore ſint, eligere poſsit. reſpõdit, poſſe.

## DE TRITICO, VINO, VEL oleo legato,

## TIT. VI.

*Vlpianus*



*Vlpianus* libro 20. ad Sabinum.

VIno legato, acetum quoque continetur, quod paterfamilias vini numero habuit.

2. *Pomponius* libro 6. ad Sabinum.

CVm alij penum, alij vinum legatum eſſet: excepto vino, omne penum ad alium legatariũ pertinebit. 1 ¶ Si centum amphoræ, quas velles, tibi legatę ſint: ex teſtamento agendo conſequi potes, vt deguſtare tibi liceat, aut, quanti interfuerit licere tibi deguſtare, ad exhibendum agere potes.

3. *Vlpianus* libro 23. ad Sabinum.

SI cui vinum ſit legatum centum amphorarum, cum nullum vinum reliquiſſet: vinum heredẽ empturum, & præſtaturum; non acetum, quod vini numero fuit. 1 ¶ Si vinum legatum ſit: videamus, an cum vaſis debeatur. & Celſus inquit, vino legato, etiam ſi non ſit legatum cum vaſis, vaſa quoque legata videri. non quia pars ſunt vini vaſa, quẽadmodum emblemata argenti, ſcyphorum forte, vel ſpeculi: ſed quia credibile eſt, mentem teſtantis eam eſſe, vt voluerit, acceſsionem eſſe vino amphoras. & ſic (inquit) loquimur, habere nos amphoras mille, ad menſuram vini referentes. In doliis non puto verũ: vt, vino legato, & dolia debeantur: maximè ſi depreſſa in cella vinaria fuerint: aut ea ſunt, quæ per magnitudinem difficilè mouentur. In cuppis autem ſiue cuppulis puto admittendum & ea deberi: niſi pari modo immobiles in agro, velut inſtrumentum agri, erant. Vino legato, vtres non debebuntur. nec culleos quidem deberi dico.

4. *Paulus* libro 4. ad Sabinum.

CVm certum pondus olei, non adiecta qualitate, legatur: non ſolet quęri, cuius generis oleo ſolitus fuerit teſtator, aut cuius generis oleum iſtius regionis homines in vſu habeant. & ideo liberum eſt hered, cuius vellet generis, oleum legatario ſoluere.

5. *Iulianus* libro 15. Digeſtorum.

CVm certus numerus amphorarum vini legatus eſſet ex eo, quod in fundo Semproniano natum eſſet, & minùs natum eſſet: non amplius deberi placuit: & quaſi taxationis vicem optinere hæc verba: *Quod natum erit.*

6. *Proculus* libro 5. Epiſtularum.

CVi vinum heres dare damnatus eſt: quod in amphoris & cadis diffuſũ eſt, dari debet: etiã ſi vaſorum mentio facta non eſt. Item quamuis cum vaſis, cadis legatum eſt: tamen id quoque quod in doliis, legatum eſſe videtur. Sicuti ſi ſeruos omnes cũ peculio cuiuſq; eorum legaſſet: etiam eos, quibus peculij nihil eſſet, legaſſe videretur.

7. *Iauolenus* libro 2. ex Poſterioribus Labeonis.

QVidam heredem damnauerat dare vxori ſuæ vinum, oleum, frumentum, acetum, mella, ſalſamenta. Trebatius aiebat, ex ſingulis rebus non ampliùs deberi, quàm quantum hæres mulieri dare voluiſſet: quoniam non adiectum eſſet, quantum ex quaque re daretur. Ofilius, Caſcellius, Tubero, omne, quantum paterfamilias reliquiſſet, legatum putant. Labeo id probat, idque verum eſt. 1 ¶ *Lucio Titio tritici modios centum, qui ſinguli pondo centum pendeant, heres dato.* Ofilius, nihil legatum eſſe, quod & Labeo probat: quoniam eiuſmodi triticum in rerum natura non eſſet. quod verum puto.

8. *Pomponius* libro 6. Epiſtularum.

SI hæres damnatus ſit dare vinũ, quod in doleis eſſet: & per legatariũ ſteterit, quo minùs accipiat, periculoſè hæredẽ facturũ, ſi id vinũ effundet: ſed legatariũ petentem vinũ ab herede, doli mali exceptione placuit ſummoueri, ſi non pręſtet id, quod propter moram eius damnum paſſus ſit heres.

9. *Vlpianus* libro 23. ad Sabinum.

SI quis vinũ legauerit: omne continetur, quod ex vinea natũ vinũ permanſit. Sed ſi mulſum ſit factũ, vini appellatione non continebitur propriè: niſi fortè paterfamilias etiam de hoc ſenſit. Certè zythũ, quod in quibuſdam prouinciis ex tritico, vel ex hordeo, vel ex pane conficitur, non continebitur. Simili modo nec camũ, nec ceruesia continebitur, nec hydromeli. Quid conditũ? nec hoc puto, niſi alia mens teſtantis fuit. Oenomeli planè, id eſt dulciſsimũ vinũ continebitur. Et paſſum, niſi contraria ſit mens, continebitur. Defrutũ non continebitur, quòd potius conditurę loco fuit. Acinaticiũ planè vino continebitur. Cydoneũ, & ſi qua alia ſunt, quæ non ex vinea fiũt, vini appellatione non continebuntur. Item acetũ vini appellatione non continebitur. Hæc omnia ita demũ vini nomine non continentur, ſi modò vini numero à teſtatore non ſunt habita. alioquin Sabinus ſcribit, omnia vini appellatione contineri, quæ vini numero paterfamilias habuit. Igitur & acetũ, quod vini numero paterfamilias habuit, & zythũ, & camũ, & cætera, quæ pro hominũ affectione atq; vſu vini numero habebuntur. Quòd ſi totũ vinũ quod paterfamilias habuit, coacuit: non extinguitur legatũ. 1 ¶ Si acetũ quis legauerit: non continebitur legato acetũ, quod vini numero teſtator habuit: embamma autem continebitur, quia aceti numero fuit. 2 ¶ Item ſi quis vinũ quod habuit, legauit, deinde hoc coacuit, licèt poſtea in aceti locũ tranſlatũ ſit à patrefamilias: vino legato continebitur: quia id, quod teſtamenti facti tẽpore vinũ fuit, demonſtratũ eſt. & eſt hoc verũ, niſi voluntas aduerſetur. 3 ¶ Vino autem paterno legato, id demũ legatũ videtur, quod teſtator vini numero habuit, non quod pater. Item ſi peculiare vinũ legatum ſit, id continebitur, quod ſerui habuerunt. Cur tam diuerſè? quod paternũ vinũ iam cœpit vſus ipſius teſtatoris eſſe: at peculiare in vſu ſeruorum remanſit.

4 ¶ Item ſi vinum vetus ſit legatum.

10. *Hermogenianus* libro 2. Iuris Epitomarum.

EX vſu teſtatoris legatum æſtimabitur: id eſt, quot annorum vino pro vetere vtebatur. quod ſi non appareat.

11. *Vlpianus* libro 23. ad Sabinum.

VEtus accipietur, quod non eſt nouum: id eſt, & anni prioris vinum appellatione veteris continebitur.

12. *Paulus* libro 4. ad Sabinum.

NAm aliter obſeruantibus, quis finis, aut quod initium veteris vini ſumeretur?

13. *Vlpianus* libro 23. ad Sabinum.

E*X illo vino, quod in illo fundo naſcetur, heres meus amphoras decem quotannis in annos ſingulos dato.* quo anno natum non fuiſſet: ex ſuperiore anno eius fundi eum numerum amphorarum heredem daturum, Sabinus exiſtimat. quæ ſententia, ſi voluntas non aduerſetur, mihi quoque placet.

14. *Pomponius* libro 6. ad Sabinum.

VIno legato, ea demum vaſa ſequuntur, quæ ita diffuſa ſunt, vt non ad perpetuum vſum vaſa reſeruarentur. veluti amphoræ & cadi.

15. *Proculus* libro 2. Epiſtularum.

VInum cum vaſis legauit. negat Trebatius, quod in doleis ſit, deberi. & ſenſum teſtatoris alium putat eſſe, verborum alium. cæterùm dolea in vaſis vinariis non eſſent. ego, etſi dolia in vaſis vinariis non ſunt, tamen non concederem Trebatio, vinum, quod in doleis eſſet, id eſt, quod in vaſis non eſſet, non eſſe legatum. Illud verum eſſe puto, cui vinum cum vaſis legatum erit, ei amphoras, cados, in quibus vina diffuſa ſeruamus, legatos eſſe. vinum enim in amphoras & cados hac mente diffundimus, vt in his ſit, donec vſus cauſa probetur: & ſcilicet id

vendimus cum his amphoris & cadis. in dolia autem alia mente coniicimus: ſcilicet vt ex his poſtea vel in amphoras & cados diffundamus, vel ſine ipſis doleis veniat.

16. *Idem* libro 3.ex Poſterioribus Labeonis.

QVi vinum Surrentinum in vrnalibus habebat diffuſum, is tibi vinum legauerat in amphoris. omne illud quoque vinum, quod in vrnalibus fuiſſet, legatum eſſe, Labeo & Trebatius reſponderunt.
1 ¶ Cui dulcia legata eſſent, ſi nihil aliud teſtamento ſignificetur, omnia hæc eſſe legata, mulſum, paſſum, defrutum, & ſimiles potiones: item vuas, ficos, palmas, caricas. 2 ¶ Quod ſi ita eſſet legatum, *Vinum amphorarium, aminæum, græcum, & dulcia omnia.* nihil inter dulcia, niſi quod potionis fuiſſet, legatum putat Labeo ex collatione vini amphorarij. quod non improbo.

## DE INSTRVCTO, VEL inſtrumento legato,

## TIT. VII.

*Paulus* libro 4.ad Sabinum.

SIue cum inſtrumento fundus legatus eſt, ſiue inſtructus: duo legata intelleguntur. 1 ¶ Fundo cum inſtrumento legato, & alienato, inſtrumentum non vindicabitur ex ſententia defuncti.

2. *Papinianus* libro 7.Reſponſorum.

CVm pater, pluribus filiis hæredibus ſcriptis, duobus præceptionem bonorum auiæ præter partes hæreditarias dediſſet: pro partibus cohæredum viriles habituros legatarios placuit. 1 ¶ Dotes prædiorum, quæ Græco vocabulo ἐνθῆκαι appellantur, cùm non inſtructa legantur, legatario non præſtantur.

3. *Idem* libro 8.Reſponſorum.

FVndum inſtructum libertis patronus teſtamento legauit. poſtea codicillis petit, vt morientes partes ſuas fundi ſuperſtitibus reſtituerent, nec inſtructi mentionem habuit. talem in cauſam fideicommiſſi deductum videri placuit, qualis fuerat legatus. ſed medij temporis augmenta fetuum & partuum, item detrimenta fatalium fideicommiſſo contineri.
1 ¶ Minor viginti annis inſtructa prædia cõſobrinæ ſuæ dari voluit, & quoſdam ſeruos prædiorum viuus manumiſit. non idcirco ſerui manumiſſi præſtabuntur, quòd ad libertatem peruenire non poſſunt. Idem iuris eſt, cùm ex quauis alia cauſa libertas non competit.

4. *Iauolenus* libro 2.ex poſterioribus Labeonis.

CVm quidam duos fundos iunctos haberet, & ex altero boues, cùm opus feciſſent, in alterum reuerterentur: vtrumque fundum cum inſtrumento legauerat. Labeo, Trebatius boues ei fundo ceſſuros putant, vbi opus feciſſent, non vbi manere conſueuiſſent. Caſcellius contrà. Labeonis ſententiam probo.

5. *Labeo* libro 1. πιθανῶν à Paulo Epitomatorum.

SI cui fundum & inſtrumentum eius legare vis: nihil intereſt quomodo leges: *Fundum cum inſtrumento:* an, *fundum & inſtrumentum:* an, *fundum inſtructum. Paulus:* Immo contra. nam inter ea legata hoc intereſt: quòd ſi fundo alienato mortuus fuerit, qui ita legauit, ex hac ſcriptura, *Fundum cum inſtrumento,* nihil erit legatum, ex cęteris poterit inſtrumentum eſſe legatum.

6. *Scæuola* libro 16.Digeſtorum.

NEpoti legauerat, quæ certa regione prædia habuerat, vt inſtructa ſunt, cum vino, grano, calẽdario: & adiecerat hæc verba: *Quidquid erit, cùm moriar, in illa regione, & quidquid in quacumque ſpecie erit in illa regione, vel quod meum erit.* viua teſtatrice vnus ex debitoribus condemnatus, viuente teſtatrice ſatis non fecit. quæſitum eſt, an, quod ex ſententia iudicis deberetur, ad nepotem pertineret. reſpondit, nihil proponi, cur non deberetur.

7. *Idem* libro 22.Digeſtorum.

TAbernam cum cœnaculo Pardulæ manumiſſo teſtamento legauerat cum mercibus & inſtrumentis & ſupellectili, quæ ibi eſſet: item horreum vinarium cum vino & vaſis & inſtrumento, & initoribus, quos ſecum habere conſueuerat: quæſitum eſt: & cùm viuo teſtatore inſula, in qua cænaculum fuit, quod ei legatum erat, exuſta ſit, & poſt bieaniũ eodem loco conſtituta noua. & horreum, quod eidẽ legatum erat, à teſtatore venierit: vini autem venditio dilata ſit, vt ex eo commodio venirent: an vniuerſa legata Pardula conſequi poſſit. reſpondit, ea, in quibus voluntas mutata eſſet, non deberi.

8. *Vlpianus* libro 20.ad Sabinum.

IN inſtrumento fundi ea eſſe, quæ fructus quærendi cogendi, conſeruandi gratia parata ſunt, Sabinus libris ad Vitellium euidenter enumerat. Quærendi: veluti homines, qui agrum colunt, & qui eos exercent, præpoſitive ſunt his, quorum in numero ſunt vilici, & monitores: præterea boues domiti, & pecora ſtercorandi cauſa parata, vaſaque vtilia culturæ, quæ ſunt aratra, ligones, ſarculi, falces putatoriæ, bidentes, & ſi qua ſimilia dici poſſunt. Cogendi: quemadmodum torcularia: corbes, falcéſque meſſoriæ, falces fenariæ, quaſi vindemiatorij, exceptoriique, in quibus vuæ comportantur. Conſeruandi: quaſi dolia, licèt defoſſa non ſint, & cupæ. 1 ¶ Quibuſdam in regionibus accedunt inſtrumento, ſi villa cultior eſt, veluti atrienſes, ſcoparij. ſi etiam viridaria ſint, topiarij. ſi fundus, ſaltus, paſtionéſque habet: greges pecorum, paſtores, ſaltuarij.

9. *Paulus* libro 4.ad Sabinum.

DE grege ouium ita diſtinguendum eſt: vt, ſi ideo comparatus ſit, vt ex eo fructus caperetur, non debeatur. ſi verò ideo, quia non aliter ex ſaltu fructus percipi poterit: contrà erit: quia per greges fructus ex ſaltu percipiuntur.

10. *Vlpianus* libro 20.ad Sabinum.

SI reditus etiam ex melle conſtat: alBei, apéſque continentur.

11. *Iauolenus* libro 2.ex Caſſio.

EAdem ratio eſt in auibus, quæ in inſulis maritimis aluntur.

12. *Vlpianus* libro 20.ad Sabinum.

QVæſitum eſt, an frumentũ, quod cibariis cultorum paratũ foret, inſtrumento cederet. & plurimis non placet: quia conſumeretur. quippe inſtrumentũ eſt apparatus rerũ diutiùs manſurarum, ſine quibus exerceri nequiret poſſeſsio. accedit eò, quòd cibaria victus magis, quàm colendi cauſa pararentur. Sed ego puto & frumentũ & vinũ ad ciVaria paratũ inſtrumento contineri. & ita Seruiũ reſpondiſſe, auditores eius referunt. Itẽ nonnullis viſum eſt, frumentũ, quod ſerendi cauſa ſepoſitũ eſt, inſtrumento contineri. puto: quia & inſtar culturæ eſſet, & ita cõſumitur, vt ſemper reponeretur. ſed cauſa ſeminis nihil à ciVariis differt. 1 ¶ Conſeruandi fructus cauſa, veluti granaria, (quia in his fructus cuſtodiuntur) vrceos, capſellas, in quibus fructus componuntur: ſed & ea, quæ exportandorum fructuum cauſa parantur, inſtrumenti eſſe conſtat, veluti iumenta, & vehicula & naues & cupæ & culci. 2 ¶ Alfenus autem, ſi quoſdam ex hominibus aliis legauerit, cæteros, qui in fundo fuerunt, non contineri inſtrumento ait: quia nihil animalis inſtrumenti eſſe opinabatur. quod non eſt verũ. conſtat enim, eos, qui agri gratia ibi ſunt, inſtrumento contineri. 3 ¶ Quæritur, an ſeruus, qui quaſi colonus in agro erat, inſtrumento legato contineatur. & Labeo, & Pegaſus rectè



ctè negauerunt: quia non pro inſtrumento in fundo fuerat, etiam ſi ſolitus fuerat & familiæ imperare.
4 ¶ Saltuarium autem Labeo quidem putat eum demum contineri, qui fructuum ſeruandorum gratia paratus ſit. eum non, qui finium cuſtodiendorũ cauſa. ſed Neratius etiam hunc. & hoc iure vtimur, vt omnes ſaltuarij contineantur.
5 ¶ Trebatius ampliùs etiam piſtorem, & tonſorem, qui familiæ ruſticæ cauſa parati ſunt, putat contineri. item fabrum, qui villæ reficiendæ cauſa paratus ſit. & mulieres, quæ panem coquant, quæque villam ſeruent. item molitores, ſi ad vſum ruſticum parati ſunt. item focariam, & villicam: ſi modò aliquo officio virum adiuuet. item lanificas, quæ familiam ruſticam veſtiunt, & quæ pulmentaria ruſticis coquant.
6 ¶ Sed, an inſtrumenti inſtrumentum legato inſtrumento continetur, quæritur. hæc enim, quę ruſticorum cauſa parantur, lanificæ, & lanæ, & tonſores, & fullones, & focariæ, non agri ſunt inſtrumentum, ſed inſtrumenti. puto igitur, etiam focariam contineri. ſed & lanificas, & ceteros, qui ſuprà numerati ſunt. & ita Seruium reſpondiſſe, auditores eius referunt.
7 ¶ Vxores quoque, & infantes eorum, qui ſuprà enumerati ſunt, credendum eſt, in eadem villa agentes voluiſſe teſtatorem legato contineri. neque enim duram ſeparationem iniunxiſſe credendus eſt.
8 ¶ Si aliqua parte aNIn fundo paſcantur pecora, aliqua parte his pabulum conducitur: vel ſerui, ſi aliqua parte anni per eos ager colitur, aliqua parte in mercedem mittuntur: nihilominùs inſtrumẽto continentur.
9 ¶ Cellararium quoque, (id eſt ideo prępoſitum, vt rationes ſaluæ ſint) item oſtiarium, mulionémque inſtrumenti eſſe conſtat.
10 ¶ Et molas, & machinas, fenum, ſtipulas, aſinum machinarium, machinam frumentariam, vas æneum, in quo ſapa coqueretur, & defrutum fiat, & aqua ad bibendum laBandámque familiam paratur, inſtrumenti eſſe. & cribra, & plauſtra, quibus ſtercus euehatur.
11 ¶ Ea verò, quæ ſolo continentur, inſtrumenti fundi non eſſe Caſſius ſcribit. veluti arundineta, & ſalicta, antequàm cæſa ſint: quia fundus fundi inſtrumentum eſſe non poteſt. ſed, ſi cæſa ſint, puto contineri: quia quærendo fructui deſeruiunt. Idem & in palis erit dicendum.
12 ¶ Si in agro venationes ſint: puto, venatores quoque, & veſtigatores, & canes, & cetera, quæ ad venationem ſunt neceſſaria, inſtrumento contineri: maximè ſi ager & ex hoc reditum habuit.
13 ¶ Et ſi ab aucupio reditus fuit: aucupes, & plagæ, & huius rei inſtrumentum, agri inſtrumento continebitur. nec mirum: cùm & aues inſtrumento, exemplo apium, contineri, Sabinus & Caſſius putauerunt.
14 ¶ Si quis eodem inſtrumento in plurimis agris vtatur: cuius agri ſit inſtrumentũ, quæritur. & ego arbitror, ſi quidem apparet voluntas patrisfamiliæ, cui potiùs agro deſtinauerat, eius eſſe inſtrumentum. ceteri enim agri ab hoc agro veluti mutuantur. ſi non appareat, nullius inſtrumento cedet. neque enim pro parte diuidemus inſtrumentum.
15 ¶ Supellex, ceteráque ſi qua in agro fuerunt, quo inſtructior eſſet paterfamilias, inſtrumento fundi non continentur.
16 ¶ Si domus ſit inſtrumentum legatum: videndum, quid contineatur. & Pegaſus ait, inſtrumentum domus id eſſe, quod tempeſtatis arcendæ aut incendij cauſa paratur: non quod voluptatis gratia. itaque neque ſpecularia, neque vela, quæ frigoris cauſa vel vmbræ in domo ſunt, deberi. Quæ ſententia Caſſij fuit, qui dicebat, inter inſtrumentum & ornamentum multùm intereſſe: inſtrumenti enim ea eſſe, quæ ad tutelam domus pertinent: ornamenti, quæ ad voluptatem, ſicuti tabulas pictas.
17 ¶ Vela autem Cilicia inſtrumenti eſſe Caſſius: quæ ideo parantur, ne ædificia vento vel pluuia laborent.
18 ¶ Acetum quoque, quod exſtinguendi incendij cauſa paratur. item centones, ſifones. perticæ quoque, & ſcalæ. & formiones, & ſpongias, & amas, & ſcopas contineri, plerique & Pegaſus aiunt.
19 ¶ Tegulam autem, & tignum eius rei cauſa paratum, inſtrumento contineri, ſi ad huiuſmodi cauſam habeat tigna parata, ad alios vſus non deſeruiẽtia. Proinde & fulcimenta ſi qua habebat huic rei neceſſaria: etiam ea inſtrumento domus continebuntur.
20 ¶ De velis, quæ in hypethris extenduntur: item de his, quæ ſunt circa columnas, Celſus ſcribit, magis ſupellectili adnumeranda. & Ita Sabinũ, & Caſſium putare.
21 ¶ Canales autem, & arpagones, & amas, inſtrumento contineri conſtat.
22 ¶ Item perticæ, quibus araneæ detergantur: item ſpongiæ, quibus columnæ, pauimenta, podia extergantur: ſcalæ, quæ ad lacunaria admoueantur, inſtrumenti ſunt: quia mundiorem domum reddunt.
23 ¶ Papinianus quoque libro ſeptimo reſponſorum ait: Sigilla, & ſtatuæ adfixæ, inſtrumento domus non continentur: ſed domus portio ſunt. quę verò non ſunt adfixa, inſtrumento non continentur, inquit: ſupellectili enim adnumerantur. excepto horologio æreo, quod non eſt adfixum. nam & hoc inſtrumento domus putat contineri. ſicut prothyrum domus, ſi velamen eſt, (inquit) inſtrumento domus continetur.
24 ¶ Fiſtulæ autem, & canales, & crateres, & ſi quæ ſunt alia ad aquas ſalientes neceſſaria; item ſerræ, & claues, magis domus portio, quàm domus inſtrumentum ſunt. 25 ¶ Specularia quoque adfixa, magis puto, domus eſſe partem. nam & in emptione domus & ſpecularia, & pegmata cedere, ſiue in ædificio ſunt poſita, ſiue ad tempus detracta. Sed ſi non ſint repoſita, ad hoc tamen ſint, vt ſuppleantur, ſi qua deſint: inſtrumento potiùs continebuntur.
26 ¶ Cancellos quoque inſtrumẽto contineri puto. 27 ¶ Sed ſi fundus non ſit cum inſtrumento legatus, ſed ita vt inſtructus ſit: quæſitum eſt, an plus contineatur, quàm ſi cum inſtrumento legatus eſſet. & Sabinus libris ad Vitellium ſcribit, fatendum eſſe, plus eſſe, cùm inſtructus fundus legetur, quàm ſi cum inſtrumento. quam ſententiam cottidie increſcere & inualeſcere videmus. quanto hoc igitur legatum vberius eſt, videndum eſt. & Sabinus definit, & Caſſius apud Vitellium notat: Omnia, quæ eo collocata ſunt, vt inſtructior eſſet paterfamilias, inſtructo (inquit) continebuntur. id eſt, quæ ibi habuit, vt inſtructior eſſet. Hoc ergo legato non agri inſtrumentum, ſed proprium ſuum inſtrumentum reliquiſſe videtur.
28 ¶ Proinde ſi fundus ſit inſtructus legatus: & ſupellex continebitur, quæ illic fuit vſus ipſius gratia: & veſtis non ſolum ſtragula, ſed qua ibi vti ſolebat. menſæ quoque eboreę, vel ſi quæ aliæ: item vitrea, & aurum, & argentum: vina quoque, ſi qua ibi fuerint vſus ipſius cauſa, continentur. & ſi quid aliud vtenſilium.
29 ¶ Sed ſi qua eò congeſſerat non vſus ſui cauſa, ſed cuſtodiæ gratia: non continebuntur. vina etiã, quę apothecis ſunt, non cedent. & hoc iure vtimur, vt, quæ ibi paterfamilias quaſi in horreo habuit, hæc non contineantur. 30 ¶ Celſus quoque libro nonodecimo digeſtorum ſcribit, fructus ibi repoſitos, vt venirent, vel in alium vſum, quàm fundi, conuerterentur, inſtructo fundo non contineri. 31 ¶ Idem Celſus eodem libro ait, etiam ſupellecticarios, & ceteros hoc genus ſeruos contineri: id eſt miniſteria, quibus inſtructus erat in eo fundo, extra ea, quæ libertatem acceperunt: & qui rure morari ſolebant.
32 ¶ Si inſtructum fundum legaſſet: ea pædagogia, quæ ibi habebat, vt, cùm ibi veniſſet, præſto eſſent in triclinio, legato continentur.
33 ¶ Contubernales quoque ſeruorum, id eſt vxo-

& natoſ(?)res inſtructo fundo contineri, verum eſt.

34 ¶ Inſtructo autem fundo & bibliothecam, & libros, qui illic erant, vt, quotiens veniſſet, vteretur, contineri conſtat. ſed, ſi quaſi apotheca librorum vtebatur, contrà erit dicendum.

35 ¶ Neratius quoque libro quarto epiſtularum Rufino reſpondit, inſtructo fundo & ſupellectilem, & & vina, & mancipia non ſolùm ad cultum cuſtodiámve villæ, ſed etiam quæ vt ipſi patrifamilias in miniſterio ibi eſſent, legato cedere.

36 ¶ Imagines quoque hæ ſolæ legatæ videntur, quæ in aliquo ornatu villæ fuerunt.

37 ¶ Papinianus quoque, prædiis inſtructis legatis, mancipia non contineri, quæ temporis cauſa illic fuerunt, ac non eo animo tranſtulit paterfamilias, vt aut fundi aut ſuum inſtrumentum faceret.

38 ¶ Idem reſpondit, prædiis inſtructis legatis, actorem ex his in prouinciam miſſum, vt ordinatis negotiis ad priſtinum actum rediret, legato prædiorum cedere, quamuis nondum redierit.

39 ¶ Idem reſpondit, inſtructis hortis legatis, etiam vina, quæ ibi fuerunt, quo dominus eſſet inſtructior, cōtineri. aliud eſſe, ſi horrea ibi habuit, vnde inſtruebatur vel in vrbe, vel in aliis prædiis.

40 ¶ Idem reſpondit, domo per fideicommiſſum relicta cum ſuppellectili Claudio Hieroniano clariſſimo viro ab Vmbrio Primo, & menſas, & ceteram ſuppellectilem, quam in hortis paterfamilias in proconſulatum profecturus contulerat, vt tutiore loco eſſent, contineri.

41 ¶ Idem reſpondit, theriacam quoque, & cetera medicamēta, quæ ſeceſſus cauſa dominus ibi habuit, & veſtem propter ſeceſſum ibi depoſitam, inſtructo fundo legato ineſſe.

42 ¶ Idem reſpondit, domo, ita vt inſtructa eſt, cum omni iure ſuo legata, vrbanam familiam, item artifices, quorum operæ ceteris quoque prædiis exhibebantur, legato non contineri. hoſtiarij autem, (inquit) vel topiarij, diætarij, aquarij, domui tantùm deſeruientes continebuntur. ſed quod de artificibus ait, falſum eſt, ſi eius domus cauſa parati ſunt: licet aliis quoque prædiis commodabantur.

43 ¶ Idem reſpondit, domo inſtructa legata, menſas eboreas, & libros non contineri. ſed & hoc falſum eſt. nam omne, quidquid in domo fuit, quo inſtructior ibi eſſet paterfamilias continebitur. ſupellectilem autem patrisfamiliæ inſtrumentum eſſe, nemo dubitat. Denique Neratius libro quarto epiſtularum Marcello fratri ſuo reſpondit, & veſtem domus inſtructæ legato contineri. maximè, inquit, in propoſita ſpecie. proponebatur enim, qui legauerat, argentum & rationes excepiſſe. nam qui hæc (inquit) excepit, non poteſt non videri de ceteris rebus, quæ in ea eſſent, ſenſiſſe. Sed & ipſe Papinianus eodem libro reſponſorum ait: patrem mercatorem ac fæneratorem, qui duos filios totidémque filias heredes inſtituerat, ita legaſſet: *Filiis maribus domum meam inſtructam do lego, dárique iubeo:* merces & pignora an contineantur, quæri poſſe: ſed facilem iudici voluntatis coniecturam fore, ceteris patris facultatibus examinatis.

44 ¶ Celſus ſcribit, ſeruis, qui in fundo morarentur, legatis, vicarios eorum non contineri: niſi appareat, & de vicariis eum ſenſiſſe.

45 ¶ Papinianus quoque libro ſeptimo reſponſorum, vxori, cui vir omnia, quæ in domo erant, ab herede filia præſtari voluit, cautiones debitorum emptionéſque ſeruorum non videri legatas, reſpondit. niſi (inquit) ex alia parte, & de ſeruis eum cogitaſſe, apparuerit. ſcilicet vt eorum ſeruorum ei legaſſe videatur emptiones, quos & ipſos voluit ad eam pertinere.

46 ¶ Si quis fundum, ita vt inſtructus eſt, legauerit, & adiecerit cum ſupellectili, vel mancipiis, vel vna aliqua re, quæ nominatim expreſſa nō erat: vtrùm minuit legatum adiciendo ſpeciem, an verò non, quæritur. & Papinianus reſpondit, non videri minutum, ſed potiùs ex abundanti adiectum.

47 ¶ Idem Papinianus libro ſeptimo reſponſorū ait: Inſtructis hortis filio legatis, mater argentum muliebre filiæ legauerat. reſpondit, etiam id argentum muliebre, quod in hortis habuit, vt ibi eſſet inſtructior, ad filiam pertinere.

13. *Paulus* libro 4. ad Sabinum.

TAbernę cauponiæ inſtrumento legato, etiam inſtitores contineri, Neratius exiſtimat. ſed videndum, ne inter inſtrumentum tabernæ cauponiæ, & inſtrumentum cauponæ, ſit diſcrimen. vt tabernæ, nō niſi loci, inſtrumenta ſint, vt dolia, vaſa, ancones, calices, trullæ, quæ circa cœnam ſolent traſci: item vrnæ æreæ, & congiaria, ſextaria, & ſimilia. cauponæ autē, cùm negotiationis nomen ſit, etiam inſtitores.

1 ¶ Inſtrumento balneario legato, etiam balneatorem contineri, Neratius reſpondit.

14. *Idem* libro 2. ad Vitellium.

COntinetur autem & fornicator.

15. *Pomponius* libro 6. ad Sabinum.

SI ita teſtamento ſcriptū ſit: *Quæ tabernarum exercendarum, inſtruendarum, piſtrini, cauponæ cauſa facta parataque ſunt, do lego:* his verbis Seruius reſpondit, & caballos, qui in piſtrinis eſſent, & piſtores, & in cauponio inſtitores, & focariam, mercéſque, quæ in his tabernis eſſent, legatas videri.

1 ¶ Domo inſtructa, reſponſum eſt, ſupellectilem legatam, non etiam vina, quia domus vinis inſtructa intellegi non poteſt.

2 ¶ Mulier villæ cuſtos perpetua fundo, qui cum inſtrumento legatus eſſet, aut inſtructo continebitur: ſicuti ſaltuarius: par enim ratio eſt. nam deſiderant tam villæ, quàm agri cuſtodiam. illic: ne quid vicini aut agri, aut fructuum occupent. hic: ne quid ceterarum rerum, quæ in villa continetur. villa autem ſine vlla dubitatione pars fundi habetur.

16. *Alfenus* libro 2. Digeſtorum à Paulo Epitomatorum.

VIllæ inſtrumento legato, ſupellectilem non contineri verius eſt.

1 ¶ Vinea & inſtrumento eius legato: inſtrumentum vineæ nihil eſſe, Seruius reſpondit. qui eū conſulebat, Cornelium reſpondiſſe aiebat, palos, perticas, raſtros, ligones inſtrumēti vineæ eſſe. quod verius eſt.

2 ¶ Quidam vxori fundum, vti inſtructus eſſet, in quo ipſe habitabat, legauit. conſultus de mulieribus lanificis, an inſtrumento continerentur, reſpondit: nō quidem eſſe inſtrumenti fundi: ſed, quoniam ipſe paterfamilias, qui legaſſet, in eo fundo habitaſſet, dubitari non oportere, quin & ancillæ, & ceteræ res, quibus paterfamilias in eo fundo eſſet inſtructus, omnes legatæ viderentur.

17. *Macianus* libro 7. Inſtitutionum.

ITem pictoris inſtrumento legato, cerę, colores, ſimiliáque horum legato cedunt. item peniculi, & cauteria, & conchę.

1 ¶ Inſtrumento piſcatorio contineri Ariſto ait naucellas, quę piſcium capiendorum cauſa comparatę ſunt. ſed & piſcatores contineri, verius eſt.

2 ¶ Inſtrumento balneatorio legato, dictum eſt, balneatorem ſic inſtrumento contineri balneario, quomodo inſtrumento fundi ſaltuarium. & topiarios, & inſtrumento cauponio inſtitorem, cùm balneæ ſine balneatoribus vſum ſuum præbere non poſſint.

18. *Paulus* libro 2. ad Vitellium.

CVm de lanionis inſtrumento quæritur: ſemota carne, menſas, pondera, ferramentáque laniandæ carnis cauſa pręparata: item trutinas, cultros, dolabras inſtrumento relinquimus.

1 ¶ Inſtrumento legato aliquando etiam perſonas legantium neceſſe eſt inſpici. vt ecce: piſtorio inſtrumento legato, ita ipſi piſtores ineſſe videri poſſunt: ſi paterfamilias piſtrinum exercuit. nam plurimùm intereſt, inſtrumentum piſtoribus, an piſtrino paratum ſit.

2 ¶ Aſinam molendariam & molam negat Neratius inſtrumento fundi contineri.



3 ¶ Item caccabos, & patinas in inſtrumento fundi eſſe dicimus: quia ſine his pulmentarium coqui non poteſt. Nec multùm refert inter caccabos, & aenum, quod ſupra focum pendet. hic aqua ad potandum caleſit: in illis pulmentarium coquitur. Quod ſi aënum inſtrumento continetur: vrcei quoque, quibus aqua in aënum infunditur, in idem genus rediguntur: ac deinceps in infinitū primis quibuſque proxima copulata procedunt. optimum ergo eſſe Pedius ait: non propriam verborum ſignificationem ſcrutari: ſed in primis, quid teſtator demonſtrare voluerit: deinde in qua præſumptione ſunt, qui in quaque regione commorantur.

4 ¶ Cum de vilico quæreretur, & an inſtrumento ineſſet, & dubitaretur: Scæuola conſultus reſpōdit, ſi non penſionis certa quantitate, ſed fide dominica coleretur, deberi.

5 ¶ Idem conſultus de meta molendaria reſpōdit, ſi ruſticis eius fundi operariis moleretur, eam quoque deberi. eſt autem meta, inferior pars molæ, catillus ſuperior.

6 ¶ De bubulco quoque ita reſpondit: ſiue de eo, qui bubus ibi araret, ſiue de eo, qui boues eius fūdi aratores paſceret, quæreretur: deberi.

7 ¶ De putatoribus quoque ita reſpondit, ſi eius fundi cauſa haberentur, ineſſe.

8 ¶ Paſtores quoque, & foſſores ad legatarium pertinere.

9 ¶ Item cùm fundus ita legatus eſſet: *Maeuis fundum Seianum, ita vt optimus maximuſque eſt, cum omni inſtrumento ruſtico, & vrbano, & mancipiis, quæ ibi ſunt,* & quæreretur, an ſemina deberentur: reſpondit, veriùs eſſe deberi: niſi aliud teſtatorem ſenſiſſe, heres probaret. Idem reſpondit de frumento repoſito ad mancipiorum exhibitionem.

10 ¶ In inſtrumento medici eſſe collyria, & emplaſtra, & cetera eius generis, Caſsius ſcribit.

11 ¶ Cui fundum inſtructum legauerat, nominatim mancipia legauit, quæſitum eſt, an reliqua mancipia, quæ non nominaſſet, inſtrumento cederent. Caſsius ait, reſponſum eſſe, tametſi mancipia inſtructi fundi ſint, tamen videri eos ſolos, legatos eſſe, qui nominati eſſent: quòd appareret, non intellexiſſe patremfamilias, inſtrumento quoque ſeruos adnumeratos eſſe.

12 ¶ Sabinus: Cui fundus. quæque ibi ſint: legata ſunt: ei fundus, & omnia, quæ in eo ſolita ſunt eſſe, quæque ibi maiore parte anni morari, & hi, qui in eum manendi cauſa recipere ſe conſueuerunt, legati videntur, at ſi qua conſultò in fundo congeſta, contractave ſunt, quo legatum cumularetur: ea non videntur legata eſſe.

13 ¶ Quidam cùm ita legaſſet: *Villam meam, ita vt ipſe poſſedi, cum ſupellectile, menſis, mancipiis, quæ ibi deputabuntur, vrbanis, & ruſticis, vinis, quæ in diem mortis meæ ibi erunt, & decem aureis:* & quæreretur, cùm in diem mortis ibi libros, & vitreamina, & veſticulam habuerit, an eadem omnia legato cederent, quoniā quædam enumeraſſet: Scæuola reſpondit, ſpecialiter expreſſa, quæ legato cederent.

14 ¶ Domum inſtructam legauit cum omnibus adfixis. quæritur de inſtrumentis debitorum, an ea legatarius habere poteſt. reſpondit, ſecundum ea, quæ proponerentur, non poſſe.

19. *Paulus* libro 13. Reſponſorum.

SI mancipia, quæ poſt teſtamentum factum, in fundum Seiæ relictum, à teſtatore inducta fundi colendi gratia, in eodem fundo fuerint: ea quoque inſtrumento fundi contineri, reſpondi. quamuis enim ea mancipia teſtator demonſtraſſet, quæ tunc ibi eſſent, cùm legaret: tamen non minuendi legati, ſed augendi cauſa, mancipiorum quoque fecit mētionem. ceterum inſtrumento fundi mancipia quoque colendi agri cauſa, inducta contineri, non ambigitur.

1 ¶ Paulus reſpondit, villæ inſtrumento neque fructus repoſitos, neque equitium contineri. ſupellectile autem legato cedere, ſeruum verò arte fabricà peritum, qui annuam mercedem præſtabat, inſtrumento villæ non contineri.

20. *Scæuola* libro 3. Reſponſorum.

SEiæ ex parte heredi inſtitutæ, ſi heres erit, fundos per præceptionem dederat inſtructos cū ſuis vilicis, & reliquis colonorum: & codicillis ita ſcripſit: *Poſtea mihi venit in mentem, Seia fundos quos relinqui, ita vt ſunt inſtructi ruſtico inſtrumento, ſupellectile, pecore, & vilicis, cum reliquis colonorum, & apotheca, habere volo.* quæſitum eſt, an etiam ea, quæ patrisfamilias vſus cottidiani cauſa, in fundis fuerunt, legato continerentur. reſpondit: teſtamento quidem (vt proponeretur) Seiæ inſuper fundum legatum: verùm non amplius deberi, quàm in codicillis: quos ſanè poſt obliBionem teſtamentariæ ſcripturæ feciſſet, inſtructi appellatione contineri velle ſe, manifeſte oſtendiſſet.

1 ¶ Liberto ſuo quidam prædia legauit his verbis: *Seio liberto meo fundos illum & illum do lego, ita vt inſtructi ſunt, cum dotibus, & reliquis colonorum, & ſaltuariis, cum contubernalibus ſuis, & filiis, & filiabus.* quæſitum eſt, an Stichus ſeruus, qui prædium vnū ex his coluit, & reliquatus eſt amplam ſummam, ex cauſa fideicommiſſi Seio debeatur. reſpondit, ſi non fide dominica, ſed mercede, vt extranei coloni ſolent, fundum coluiſſet, non deberi.

2 ¶ *Gaio Seio alumno meo fundos meos illum & illum, ita vt inſtructi ſunt, & domum ſuperiorem dari volo.* quæſitum eſt, an etiam domum inſtructam dari voluerit. reſpondit, ſecundùm ea, quæ proponerentur, ita videri dediſſe, niſi is, à quo peteretur, aliud teſtatorem ſenſiſſe, manifeſte doceret, at ſi habitationis, id eſt ædificij inſtrumentum legaſſet: non cedere ſeruos operæ, aliive rei paratos.

3 ¶ Prædia, vt inſtructa ſunt, cum dotibus, & reliquis colonorum, & vilicorum, & mancipiis, & pecore omni legauit, & peculiis, & cum actore. quæſitum eſt, an reliqua colonorum, qui, finita conductione, interpoſita cautione, de colonia diſceſſerāt, ex verbis ſupraſcriptis legato cedant. reſpondit, non videri de his reliquis eſſe cogitatum.

4 ¶ Idem quæſiit in actore legato, an vxor, & filia legato cedant: cùm actor non in prædiis, ſed in ciuitate moratus ſit. reſpondit, nihil proponi, cur cedant.

5 ¶ Idem quæſiit, cùm teſtator, facto teſtamento, in prouinciam ſit profectus, an ea mancipia, quæ poſt profectionem eius, aut mortem, ſine cuiuſquam auctoritate, ſponte ſua ad parentes & notos ſibi homines in fundos legatos tranſiere, legato cedant. reſpondit, non legatos eos, qui forte veluti commeantes tranſiſſent.

6 ¶ *Pamphilæ libertæ meæ dari volo fundum Titianum, cum inſtrumento, & his, quæ in eodem erunt, cùm moriar.* quæſitum eſt, ſi Stichus ſeruus ex eo fundo ante annum mortis teſtatoris abductus, & in diſciplinam traditus, poſtea in eum fundum non reuerſus ſit: an debeatur. Reſpondit, ſi ſtudendi cauſa miſiſſet, non quo à fundo eum aliorſum transferat, deberi.

7 ¶ *Tyrannæ ſorori meæ fundum meum Gracianum, cum ſtabulo, & inſtrumento ruſtico omni relinquo.* quæritur, an fundi appellatione etiam paſcua, quæ ad eū ſimul cū fundo peruenerint, & quæ ſemper in vſibus huius poſſeſſionis habuerat, legato cederent. reſpondit, ſi prata fundo Græciano ita coniunxiſſet, vti ſuo vna fundi appellatione haberentur: ea quoque deberi.

8 ¶ Inſtructis domibus legatis, crabattus argento inaurato tectus, mortis Titiæ tempore in domibus non eſt repertus, ſed in horreis tantiſper conditus. quęro, an is quoque præſtandus ſit. reſpondit: ſi in domo eſſe ſoleret, &, quo tutiore loco haberetur, interim in horreo allatus eſſet: nihilo minus præſtandum.

9 ¶ Quod adiecit teſtator, *Vti poſſedi*: an hoc ſignificet, ſicut inſtructa in diem

mortis habuit,id eſt,cum mancipiis,pecoribus,inſtrumento ruſtico reſpondit:Non de iure quæritur.

21. *Pomponius* libro 1. Fideicommiſſorum.

CVm fundus ſine inſtrumento legatus ſit: dolia, molæ oliuariæ,& prælum,& quæcumque infixa inædificatáque ſunt, fundo legato continentur. nulla autem ex his rebus,quæ moueri poſſunt,paucis exceptis, fundi appellatione continentur, de molis tum quæri ſolet,cùm ita adfixæ,itáve inædificatæ ſint,vt partes ædificiorum eſſe videantur.

22. *Paulus* libro 3. Sententiarum.

FVndo legato, vt optimus maximúſque eſt,retia apraria, & cetera venationis inſtrumenta continebuntur.quod etiam ad inſtrumenta pertinet, ſi quæſtus fundi ex maxima parte in venationibus conſiſtat.

1 ¶ Fundo legato cum mancipiis, & pecoribus, & omni inſtrumento ruſtico, & vrbano: peculium actoris ante teſtatorem defuncti, ſi ex eodem fundo fuerit,magis placet ad legatarium pertinere.

23. *Neratius* libro 2.Reſponſorum.

CVm quæratur,quod ſit tabernæ inſtrumentum: intereſſe,quod genus negotiationis in ea exerceri ſolitum ſit.

24. *Paulus* libro 3.ad Neratium.

FVndus, qui locatus erat,legatus eſt cum inſtrumento. inſtrumentum, quod colonus in eo habuit,legato cedit:*Paulus.*

AN quod coloni fuit,an tantùm id,quod teſtatoris fuit? & hoc magis dicendum eſt.niſi nullum domini fuit.

25. *Iauolenus* libro 2. ex Poſterioribus Labeonis.

FVndi inſtrumento legato, id pecus cedere putabat Tubero, quod is fundus ſuſtinere potuiſſet: Labeo contra.quid enim fiet, (inquit) ſi,cùm mille oues fundus ſuſtinere potuiſſet, duo milia ouiū in eo fundo fuerint? quas oues potiſſimùm legato ceſſuras exiſtimaVimus:nec quærendum eſſe, quid debuiſſet parari pecoris, inſtrumenti fundi cauſa: ſed quid paratum eſſet. non enim ex numero aut multitudine legata æſtimandum eſſe.Labeonis ſententiam probo. 1 ¶ Quidam, cùm in fundo figlinas haberet,figulorum opera, maiore parte anni,ad opus ruſticum vtebatur. deinde, eius fundi inſtrumentum legauerat.:Labeo,Trebatius,non videri figulas in inſtrumento fundi eſſe.

2 ¶ Item cùm inſtrumentum omne legatum eſſet excepto pecore:paſtores ouiliones, ouilla quoque legato contineri,Ofilius non rectè putat.

26. *Idem* libro 5. ex Poſterioribus Labeonis.

DOlia fictilia,item plumbea,quibus terra adgeſta eſt, & in his viridiaria poſita, ædium eſſe Labeo,Trebatius putant. ita id verum puto, ſi ita illigata ſint ædibus,vt ibi perpetuò poſita ſint.

1 ¶ Molas manuarias quidem ſupellectilis, iumentarias autem inſtrumenti eſſe Ofilius ait. Labeo,Caſcellius,Trebatius neutras ſupellectilis,ſed potiùs inſtrumenti putant eſſe. quod verum puto.

27. *Scæuola* libro 6. Digeſtorum.

PRædia maritima cum ſeruis, qui ibi erunt,& omni inſtrumento: & fructibus,qui ibi erunt: & reliquis colonorum,nutritori ſuo legauit. quæſitum eſt,an ſerui piſcatores: qui ſolebant in miniſterio teſtatoris eſſe, & vbicumque eum ſequi, & vrVicis rationibus expungebantur, nec mortis teſtatoris tempore in prædiis legatis deprehenſi fuerint:legati eſſe videantur.reſpondi, ſecundùm ea, quæ proponerentur,non eſſe legatos.

1 ¶ Adfini ſuo ita legauit: *Fundum Cornelianum Titie, ita vt eſt inſtructus, cum omnibus rebus, & mancipiis, & reliquis colonorum dari volo.* hæc teſtatrix Romæ litis cauſa ex Africa veniens. mancipia quædā ex fundo ſupraſcripto, quo citiùs per hyemem (operam elegeret,) ſecum abduxit. quæſitum eſt,an ea mancipia fideicommiſſo cedant: cùm quædam ex his certis officiis ad tempus peregrinationis abducta ſunt,relictis conſeruabus,& filiis ſuis, & quædam matribus,& patribus. reſpondit, mancipia,de quibus quæreretur,ſecundùm ea, quæ proponerentur,ex cauſa fideicommiſſi deberi.

2 ¶ Idem quæſiit,an fructus eiuſdem fundi, qui ibi in diem mortis coacti manſerint, fideicommiſſo cedant: cùm pleniſſima teſtatoris erga adfinem voluntas ab eo quoque manifeſtetur, quo reliqua colonorum eiuſdem poſſeſſionis ad eum pertinere voluerit. reſpondit, in huiuſmodi ſcriptura poſſe reſponderi, hoc ſolum quærendum, an manifeſtè appareat defuncta id,de quo quæreretur, dari noluiſſe. 3 ¶ Liberto quem heredem ex parte reſcripſit, fundum per præceptionem dedit in hæc verba: *Pamphile libertè præcipito, ſibique habeto fundum meum Titianum, & agellum Sempronianum cum inſtrumento, & his, quæ in eodem erunt, cùm meis, familiæque, quæ in eo fundo moratur: exceptis, quæ mecum ſunt.* quæſitū eſt, cùm teſtator in eo fundo aliquantū vini in doleis habuerit, quod viuus totum vendiderat, & partem tertiam pretij pro eo acceperat,an vinum in doleis remanens, ad libertum ex cauſa præceptionis pertineat. reſpondit,verbis,quæ proponerentur,contineri:niſi manifeſte contrariam voluntatem coheredes approbant. In eo fundo inſtrumēta calendarij,& nummos reliquit.reſponſum eſt de nummis quoque,vt ſuprà reſponſum.

4 ¶ Ita legatum eſt: *Septiciæ ſorori meæ fundi paterni mei Seiani partem dari volo, ſicut eſt: & alteram partem, ita vt in diem mortis fuerit.* quæſitum eſt,an ex verbis ſuprà ſcriptis aſſeres, & præla iam poſita parataque,vt immitentur ædificio: item inſtrumentum vrbanum,& ruſticum,cum mancipiis, quæ fundi cauſa erant, ad legatarios pertineant. reſpondit: Poſſunt hæc verba, *Sicut eſt*: ad inſtructum referri.

5 ¶ Fundos legauit in hæc verba: *Sempronio fratri meo hoc amplius fundos meos, ita vt inſtructi ſunt: Caſianum, Nonianum, cū ſuis ſalictis, & ſiluis.* quæſitum eſt, cùm ſiluæ, & ſalicta non in fundis ſupraſcriptis, ſed in adiectis agellis,& quos ſimul teſtator comparauit,nec ſine his fundi coli poſſint, an legato cederent.reſpondit,id tantùm cedere legato, quod verbis comprehendiſſet.

28. *Idem* libro 23. Digeſtorum.

LVcius Titius fundum, vti erat inſtructus, legauerat. quæſitum eſt,fundus inſtructus quemadmodum dari debeat: vtrùm ſicut inſtructus fuit mortis patrisfamiliæ tempore,vt quæ medio tempore adgnata, aut in fundum illata ſunt, heredis ſint: an verò inſtructus fundus eo tempore inſpici debeat, quo factum eſt teſtamentum: an verò eo tempore,quo fundus peti cœperit,vt, quidquid eo tempore inſtrumenti deprehēdatur, legatario proficiat.reſpondit,ea,quibus inſtructus ſit fundus, ſecundum verba legati,quæ ſint in eadem cauſa,cùm dies legati cedat,inſtrumento contineri.

29. *Labeo* libro 1. πιθανῶν.

SI nauem cum inſtrumento emiſti, præſtari tibi debet ſcapha nauis.*Paulus*:Immo contrà. etenim ſcapha nauis non eſt inſtrumentum nauis. etenim mediocritate,non genere ab ea differt.inſtrumentū autem cuiuſque rei neceſſe eſt alterius generis eſſe,atque ea, quæque ſit. quod Pomponio libro ſeptimo epiſtularum placuit.

DE PECVLIO LEGATO,

TIT. VIII.

*Paulus* libro 4. ad Sabinum.

SEruo legato cum peculio, & alienato: vel manumiſſo,vel mortuo:legatum etiam peculij extinguitur.

2. *Gaius* libro 18. ad Edictum prouinciale.

Nam



vxori ſupellectilem legauerat.rectè negabant,veſtem legato ceſſuram,Labeo,Ofilius,Caſcellius: quia non poſſet videri veſtis appellatione ſupellectilis contineri.

11. *Idem* libro 10. ex Poſterioribus Labeonis.

VAſa ænea ſalientis aquæ poſita:item ſi quid aliud magis deliciarum,quàm vſus cauſa paratum eſſet:non eſſe ſupellectilis,Labeo, Trebatius putant. Murrea autem vaſa & vitrea,quæ ad vſum edendi,& bibendi cauſa parata eſſent, in ſupellectile dicuntur eſſe.

12. *Labeo* libro 4. Pithanon à Paulo Epitomatorum.

QVemadmodum vrbanus ſeruus & ruſticus diſtinguitur non loco,ſed genere vſus: ita vrbana penus & ſupellex ad vſum vrbanum, non ad locum vrbanum aut peregrinum,dirigenda eſt. multúmque intereſt,penus & ſupellex ea,quæ in vrbe ſit, an vrbana legetur,vel promittatur.

13. *Modeſtinus* libro 9. Reſponſorum reſpondit.

NVmquàm ex eo, quod ſupellectilem legauit maritus teſtamento,habitationem, in qua ſupellex fuit,legaſſe videtur. quare contra defuncti voluntatem habitationem ſibi mulierem vindicare proculdubio eſt.

14. *Calliſtratus* libro 3. de Cognitionibus.

FVndo legato,inſtrumentum eius non aliter legato cedit,niſi ſpecialiter id expreſſum ſit. nam & domo legata,neque inſtrumentum eius, neque ſupellex aliter legato cedit, quàm ſi id ipſum nominatim expreſſum à teſtatore fuerit.

# LIBER TRIGESIMVSQVARTVS.

## DE ALIMENTIS VEL ciVariis legatis.

*Vlpianus* libro 5. de omnibus tribunalibus.

SI alimenta fuerint legata:dici poteſt, etiam aquam legato ineſſe,ſi in ea regione fuerint legata, vbi venundari aqua ſolet.

2. *Marcianus* libro 8. Inſtitutionum.

SI quis libertis alimenta reliquerit:etſi legati fuerint ſerui,& rogati legatarij manumittere: ad fideicommiſſum admittuntur: vt & Diui quoque Seuerus & Antoninus reſcripſerunt. 1 ¶ Et licèt ad fiſcum bona fuerint deuoluta, ex quibus alimenta debeantur:præſtanda ſunt,ſicuti ſi ad quemlibet ſucceſſorem tranſiſſent.

3. *Vlpianus* libro 2. de Officio Conſulis.

SOlent iudices,ex cauſa alimentorum, libertos diuidere,quotiens plures ſunt hæredes: ne à ſingulis hæredibus minutatim alimenta petentes diſtribuantur.quam diuiſionem perinde tueri oportet,atque ſi paterfamilias ipſe libertos diuiſiſſet. Solent & vnum eligere,per quem alimenta præſtentur, aut ex voluntate defuncti,aut arbitrio ſuo.Vt reſcripta ſubiecta oſtendunt.Exemplum libelli dati mihi à libertis Silij miſi vobis, ſciens, ad exemplum iſtam rem pertinere:quia multi teſtamentis ſuis præſtari libertis iubent neceſſaria,quæ,quia minimi æris ſunt, ad nihilum perducuntur,cùm plures hæredes cœperunt per ſucceſſiones exiſtere.qua de cauſa puto vos rectè facturos,ſi,conuocatis Fauillæ heredibus,procuratoribúſve eorum,conſtitueritis, cui à cæteris dari debeat pecunia,ex cuius vſuris alimenta præſtentur. debebit autem is,qui accipiet,cauere eis,qui dabunt, redditurum ſe,vt quiſque ex libertis deceſſerit, alióve quo modo in ciuitate eſſe deſierit, tantum ex ſorte,quantum efficiet pro portione computatio. Diuus Pius Rubrio cuidam Teleſphoro reſcripſit: Conſules,vocatis his, à quibus vobis alimenta deberi ex cauſa fideicommiſſi conſtiterit, vel omnes ab vno, vel facta pro rata diſtributione,quis & à quibus percipiatis,decernent. Fiſcus enim,ſi eo nomine quid ab eo vobis deberetur,exemplum ſequetur. Iam nunc ſciatis,partes eorum,qui ſoluendo eſſe deſierint,non pertinere ad onus reliquorum heredum.

4. *Modeſtinus* libro 10. Reſponſorum.

Τοῖς τε ἀπελευθέροις, ταῖς τε ἀπελευθέραις μου, οὓς ζῶσα, εἴτε τῇ διαθήκῃ, εἴτε τῷ κωδικίλλῳ ἠλευθέρωσα, ἢ ἐλευθερώσω· δοθῆναι βούλομαι τὰ ἐν Χίῳ μου χωρία· ἐπὶ τῷ καὶ ὅσα ζῶσα μου ἐλάμβανον ἐπιχορηγεῖσθαι αὐτοῖς χιβαρίου καὶ ἱματισμοῦ ὀνόματι. i. *Libertis libertabúſque meis, quos viuens in teſtamento & codicillis manumiſi, vel manumittam, dari volo mea prædia, quæ in Chio inſula habeo, ad hoc, vt, quæcumque viuente me acceperint, conſtituantur eis cibarij & veſtiarij nomine.* quæro,quam habeant ſignificationem: vtrùm vt ex prædiis alimenta ipſi capiant,an verò vt, præter prædia & ciVaria & veſtiaria ab hærede percipiant;& vtrùm proprietas,an vſusfructus relictus eſt;& ,ſi proprietas relicta ſit, aliquid tamen ſuperfluum inueniatur in reditibus,quàm eſt in quantitate ciVariorum & veſtiariorum,an ad hæredem patronæ pertinet: & ſi mortui aliqui ex libertis ſint, an pars eorum ad fideicommiſſarios ſuperſtites pertinet:& an,die cedente fideicommiſſi,morientium libertorum portiones ad heredes eorum,an teſtatoris decurrant. Modeſtinus reſpondit:Videntur mihi ipſa prædia eſſe libertis relicta,vt pleno dominio hæc habeant,& non per ſólum vſumfructum. & ideò & ſi quid ſuperfluum in reditibus,quàm in ciVariis erit: hoc ad libertos pertineat. Sed etſi deceſſerit fideicommiſſarius ante diem fideicommiſſi cedentem, pars eius ad ceteros fideicommiſſarios pertinet, poſt diem autem cedentem ſi qui mortui ſint,ad ſuos heredes hæc tranſmittent. 1 ¶ Lucius Titius teſtamento ſuo libertis libertabúſque ciVaria & veſtiaria à liberis ſuis eiſdémque heredibus præſtari iuſſit, nulla condicione addita.quæro,an,ſi ſine patroni liberis Idem liberti agant,ciVaria & veſtiaria accipere poſſint. Modeſtinus reſpondit,nihil proponi, propter quod petitio eorum,quæ teſtamento purè legata ſunt, non competat.

5. *Idem* libro 11. Reſponſorum.

VErba teſtamenti: *Omnibus libertis noſtris, Varia præſtabitis pro arbitrio veſtro, non ignorantes, quot ex his caros habuerim,* item alio loco: *Poſthumū, Polychrorium, Hypatium commendo, vt & vobiſcum ſint, & ciVaria præſtetis, peto.* quæro,an omnibus ciVaria debent dari,an his,quos commendauit,& cum hæredibus eſſe iuſſit.Modeſtinus reſpondit,omnibus libertis ciVaria relicta proponi.quorum modum viri boni arbitrio ſtatuendum eſſe.

6. *Iauolenus* libro 2. ex Caſſio.

LEgatis alimentis,ciVaria,& veſtitus, & habitatio debebitur:quia ſine his ali corpus non poteſt.cetera,quæ ad diſciplinam pertinent,legato non continentur.

7. *Paulus* libro 14. Reſponſorum.

NIſi aliud teſtatorem ſenſiſſe probetur.

8. *Papinianus* libro 7. Reſponſorum.

PEcuniæ ſortem alimentis libertorū deſtinatam, vnū ex heredibus ſecūdū volūtatem defūcti percipientem,cauere non eſſe cogendū, ex perſona deficientiū partes cohæredibus reſtitui,placuit. ob eam igitur ſpeciem poſt mortem omniū libertorū indebiti non competit actio, nec vtilis dabitur. Diuerſa

cauſa eſt eius, qui legatorum diuiſio mandatur. nam ea res præſentem ac momentariam curam iniungit. alimentorum verò præbendorum neceſsitas oneribus menſtruis atque annuis, verecundiam quoque pulſantibus, adſtringitur.

9. *Idem* libro 8. Reſponſorum.

ALio hærede inſtituto, ita ſcripſit: *A te peto Gai Sei, quidquid ex hereditate mea redegeris, illis alumnis meis des, ſingulis denos aureos. eandémque ſummam penes te eſſe volo. cuius ex incremento eos alere te volo. reliquum reſtitues Numerio conliberto noſtro.* reſpondi, quamuis diſtrahere bona Gaius Seius, alio ſcripto hærede, non poſsit, tamen eum alumnis relictam pecuniam vt ſeruet ac reſtituat intra Falcidiam rectè petiturum. quod de ſuperſluo probari non poteſt. 1 ¶ Eum quoque libertum, inter eos, quibus ciuaria, item veſtiarium patrona, quæ viua præſtabat, reliquit: rectè fideicommiſſum petiturum, exiſtimaui, qui annuos viginti aureos, & menſtruum frumentum, atque vinum acceptauit.

10. *Idem* libro 9. Reſponſorum.

CVm vnus ex hæredibus certam pecuniam præcipere iuſſus eſſet, de cuius ſorte libertis alimenta præſtaret: hæredem quoque hæredis ad præceptionem admitti placuit. ſi tamen plures hæredes haberet: intentionem quidem defuncti prima facie refragari: ſed aliud probari non oportere. quid enim, ſi ceteros hæredes ſuos euitauit, & quietem ac verecundam atque etiam idoneam, libertis conſulens, domum ſequi maluit? & ideo ab omnibus hæredibus hæredis alimenta præſtabuntur. 1 ¶ Verbis fideicommiſsi purè manumiſſo, præteriti quoque temporis alimenta reddenda ſunt: quamuis tardiùs libertatem reciperauerit, nec hæres moram libertati fecerit. tunc enim explorari moram oportet, cùm de vſuris fideicommiſsi quæritur, non de ipſis fideicōmiſsis. 2 ¶ Alimentis viri boni arbitratu filiæ relictis: ab hærede filio pro modo legatæ dotis, quā ſolam pater exheredatæ filiæ nubenti dari voluit, atque pro incrementis ætatis, eam exhibendam eſſe reſpondit, non pro viribus hæreditatis.

11. *Paulus* libro 10. Quæſtionum.

IS, cui annua alimenta relicta fuerant, in metallum damnatus, indulgentia principis reſtitutus eſt. reſpondi, eum & præcedentium annorum rectè cepiſſe alimenta, & ſequentium deberi ei.

12. *Idem* libro 14. Reſponſorum.

LVcius Titius libertis ſuis ciuaria & veſtiaria annua certorum nummorum reliquit, & poſteriore parte teſtamenti ita cauit: *Obligatos eis ob cauſam fideicommiſsi fundos meos illum & illum, vt ex reditu eorum alimenta ſupraſcripta percipiant.* quæſitum eſt: an ſi quanto minores reditus peruenerint, quàm eſt quantitas ciuariorū & veſtiariorum, hæredes ad ſupplendam eam onerari non debeant: vel, ſi alio anno exceſſerint, an ſupplendum ſit, quod ſuperiore anno minùs perceperint. Paulus reſpondit, ciuaria & veſtiaria libertis defuncti integra deberi: neque ex eo, quòd poſtea prædia his pignoris iure, teſtator obligari voluit, vt ex reditu eorum alimenta perciperēt; minuiſſe eum, vel auxiſſe ea, quæ reliquerat, videri.

13. *Scæuola* libro 4. Reſponſorum.

GAio Seio trecentos aureos legauit, vt ex vſuris eius ſummæ libertis ciuaria & veſtiaria præſtaret quæ ſtatuerat. codicillis autem eandem ſummam vetuit dari Gaio Seio, ſed dari Publio Mæuio voluit, quæro, an libertis fideicommiſſum debeat Mæuius. reſpondi, Mæuium, niſi aliud, de quo non deliberetur, doceat ſibi à teſtatore iniunctum, videri ſecundùm voluntatem teſtatoris recepiſſe ea onera, quæ adſcripta erant ei ſummæ, quæ in eum codicillis trāſferebatur. 1 ¶ Imperator Antoninus Pius libertis Sextiæ Baſiliæ. Quamuis verba teſtamenti ita ſe habeant, vt, quoad cum Claudio Iuſto morati eſſetis, alimenta & veſtiarium legata ſint: tamen hanc fuiſſe defunctæ cogitationem interpretor, vt & poſt mortem Iuſti eadem vobis præſtari voluerit. reſpondit. eiuſmodi ſcripturam ita accipi, vt neceſsitas alimentis præſtandis perpetuo maneat. 2 ¶ Item conſultus de tali ſcriptura, *Et tecum ſint ſemper, volo:* quæro, cùm manumiſsi ab hærede, cum eo morati diu ſint, ſed ob grauiorem ſeruitutem ab eo diſceſſerint, alimenta his debeantur, quæ negat ſe præſtare, niſi vice ſeruitutis is vteretur. reſpondit, ſecundùm ea quæ proponerentur, deberi.

14. *Vlpianus* libro 2. Fideicommiſſorum.

MEla ait, ſi puero vel puellæ alimēta relinquātur, vſq; ad pubertatem deberi. ſed hoc verū nō eſt. tamdiu enim debebitur, donec teſtator voluit: aut ſi non paret, quid ſentiat, per totum tempus vitæ debebuntur. 1 ¶ Certè ſi vſq; ad pubertatē alimenta relinquantur, ſi quis exemplum alimentorum, quæ dudum pueris & puellis dabantur, velit ſequi: ſciat Hadrianum conſtituiſſe, vt pueri vſque ad decimum octauum, puellæ vſque ad quartumdecimum annum alantur. & hanc formam ab Hadriano datam obſeruandam eſſe, Imperator noſter roſcripſit. ſed etſi generaliter pubertas non ſic definiatur: tamē pietatis intuitu in ſola ſpecie alimentorum hoc tempus ætatis eſſe obſeruandum non eſt inciuile. 2 ¶ Sed ſi alimenta quæ viuus præſtabat, reliquerit: ea demum præſtabūtur, quæ mortis tempore præſtare ſolitus erat. quare ſi fortè variè præſtiterit: eius tamē tēporis præſtatio ſpectabitur, quod proximum mortis eius fuit. Quid ergo, ſi, cùm teſtaretur, minùs præſtabat, plus mortis tēpore, vel contrà? adhuc erit dicēdum, eam præſtationem ſequendam, quæ nouiſsima fuit. 3 ¶ Quidam libertis ſuis vt alimēta, ita aquam quoque per fideicommiſſum relinquerat. conſulebar de fideicōmiſſo: cùm in ea regione Africæ, vel fortè Ægypti res agi proponebatur, vbi aqua venalis eſt. dicebam igitur, eſſe emolumentum fideicommiſsi: ſiue quis habens ciſternas id relinquerit, ſiue non: vt ſit in fideicommiſſo, quanto quis aquam ſibi eſſet comparaturus. nec videri inutile eſſe fideicommiſſum, quaſi ſeruitute prædij non poſſeſſori vicinæ poſſeſsionis relicta. Nam & hauſtus aquæ, vt pecoris ad aquam appulſus, eſt ſeruitus perſonæ. tamen ei, qui vicinus nō eſt, inutiliter relinquitur. In eadem cauſa erunt geſtandi, vel in tuo vuas premendi, vel areæ tuæ ad frumēta ceteraque legumina exprimenda vtendi. hæc enim aqua perſonæ relinquitur.

15. *Scæuola* libro 17. Digeſtorum.

AFilio hærede codicillis Seiæ decem reliquit, & alumno his verbis: *Manio infanti alumno meo quadringinta dari volo, quæ peto à te Seia ſuſcipias, & vſuras ei quincunces in annum vſque vicenſimum ætatis præſtes, eumque ſuſcipias & tuearis.* quæſitum eſt an Seia, poſtquàm legatū ſuum acceperit, ſi nolit pecuniam alumno relictā ſuſcipere, vel in ſuſcipienda ea ceſſauerit, onus alimētorū ex die mortis teſtatoris cōpellēda ſit agnoſcere. reſpondit, ſecundùm ea, quæ proponerētur, compellēdam præſtare, cùm fideicommiſſum ſit. Idē quæſiit, an heres quoq; Seiæ in annos viginti alimēta præſtare debeat. reſpondit, debere.
1 ¶ Teſtator concubinæ mancipia ruſtica numero octo legauit, & his ciuaria præſtari iuſsit in hæc verba: *Eiſque mancipijs, quæ ſuprà legaui, cibarij nomine ab heredibus meis præſtari volo, quæ me viuo accipiebant.* quæſitum eſt, cùm viuo teſtatore ſemper mancipia ruſtica tempore meſsium & arearum delegata fuerint, & eo tempore cibaria ex ratione domini ſui numquam acceperint, excepto cuſtode prædij, an heres eius quoque temporis, id eſt, meſſis & arearum, & cibaria concubinæ pro mancipiis ruſticis præſtare deberet. reſpondit, eum, cuius notio eſt, æſtimaturum. *Claudius*: Meritò. nam ſi eodem modo, quo apud teſtatorem fuerunt, & apud concubinam futura legauit: non debebuntur eius temporis, de quo quæſitum eſt, cibaria. verùm ſi velut in miniſterium vrbanum ab his transferentur: debebuntur.
2 ¶ Titia decedens teſtamento ita cauit: *Omnibus libertis libertabuſque meis cibaria & veſtiaria, quæ viua præſtabam, dari præſtarique volo.* quæſitum eſt, cum tribus ſolis eo tempore, quo ea vixit, ſicut rationibus cōtinebatur, ciuaria & veſtiaria præſtiterit, an heres eius à ceteris quoque libertis conueniri poſsit, an vero tribus tantùm ſit obnoxius, qui rationibus ipſius ciuaria & veſtiaria accepiſſe reperiuntur. reſpondit, ab omnibus.

16. *Idem* libro 18. Digeſtorum.

ALimenta & veſtiaria libertis ſuis dedit. quæſitum eſt, an quia nominatim à Moderato vno ex heredibus dari iuſsit teſtator, ſolus Moderatus debeat, non etiam poſt mortem Moderati heredes eius. reſpondit, & heredes teneri.
1 ¶ Libertis libertabuſque, item quos, quaſque teſtamento codicilliſve manumiſerat, alimenta commoda, quæ viua præſtabat, dari iuſſerat: item omnibus libertis libertabuſque fundos quæſitum eſt, an ad ea legata admitteretur liberti paterni libertus, cui ſcribere ſoleba ita, Ἀπὸ Ῥουφίνης ἡμετέρῳ ἀπελευθέρῳ. i. *Rufina prægnate, liberto noſtro.* epiſtula etiam emiſſa ad ordinem ciuitatis, vnde oriunda erat, petierat vti publice, quod medicus erat, ſalaria ei præſtarentur, manifeſtando litteris ſuis, eum ſuum eſſe libertum. reſpondit, eum, cuius notio eſt, æſtimaturum: vt ſi quidem viua ea & ei præſtabat, nihilo minùs ad fideicommiſſum admitteretur: aliter vero non.
2 ¶ Baſilice libertæ decem dedit, quam apud Epictetum & Calliſtum libertos eſſe voluit, vt, cum fuerit Baſilice annorum vigintiquinque, cum vſuris quincuncibus reſtituerentur: ita vt ex vſuris aleretur, prout ætatem ampliauerit. quæſitum eſt, an ex alio capite, quo generaliter libertis libertabuſque ciuaria & veſtiaria & habitationem reliquit, etiam Baſilice deberetur. reſpondit, ſecundum ea, quæ proponerentur, non deberi: niſi hoc quoque ei datum probaretur. *Claudius*: Quia deſtinauerat alimentis eius vſuras pecuniæ, quas ſpecialiter ei prælegauerat.
3 ¶ Qui ſocietatem omnium bonorum ſuorum cum vxore ſua per annos amplius quadraginta habuit, teſtamento eandem vxorem, & nepotem ex filio, æquis partibus heredes reliquit, & ita cauit: *Idem libertis meis, quos viuus manumiſi, ea quæ præſtabam.* quæſitum eſt, an & qui eo tempore, quo ſocietas inter eos permanſit, manumiſsi ab vtriſque, & communes liberti facti ſunt, ea, quæ à viuente percipiebant, ſolida ex fideicommiſſo petere poſsint. reſpondit, non ampliùs, quàm quod vir pro ſua parte præſtabat, deberi.

17. *Idem* libro 19 Digeſtorum.

SEruos ad cuſtodiam templi reliquerat, & his ab herede legauerat his verbis, *Peto, fidei que tuæ committo, vt des, præſtes in memoriam meam ſeruis meis, quos ad curam templi reliqui, ſingulis menſtrua ciuaria, & annua veſtiaria certa.* quæſitum eſt: cùm templum nondum eſſet exſtructum: ex die mortis, an vero ex eo tempore, quo templum explicitum fuerit, percipere ſerui debeant legatum. reſpondit, officio iudicis heredem compellendum ſeruis relicta præſtare, donec templum extrueretur.

18. *Idem* libro 20. Digeſtorum.

LIbertis, quos teſtamento manumiſerat, alimentorum nomine menſtruos decem legauerat, deinde codicillis generaliter omnibus libertis menſtruos ſeptem, & annuos veſtiarij nomine denos legauit. quæſitum eſt, an ex teſtamento, & ex codicillis, libertis fideicommiſſum heredes præſtare debeant. reſpondit, nihil proponi, cur non ea, quæ codicillis data proponerentur, præſtari deberent. nam ab his, quæ teſtamento ciuariorum nomine legata eſſent, receſſum eſt propter ea, quæ codicillis relicta ſunt. 1 ¶ Manumiſsis teſtamento ciuaria annua, ſi cum matre morabuntur, per fideicommiſſum dedit. mater filio triennio ſuperuixit: neque ciuaria, neque veſtiaria eis præſtitit, cum in petitione fidei commiſsi liberti ceſſarent. ſed & filia, poſteaquàm matri heres extitit, quoad vixit, annis quatuordecim interpellata de iiſdem ſoluendis non eſt. quæſitum eſt, an, poſt mortem filiæ, à nouiſsimo herede petere poſsint, & tam præteriti temporis, quàm futuri, id, quod ciuariorum nomine & veſtiarij relictum eſt. reſpondit, ſi condicio extitiſſet, nihil proponi, cur non poſſent.
2 ¶ Ab heredibus Stichum manumitti voluit, eique, ſi cum Seio moraretur, ciuaria & veſtiaria præſtari à Seio, deinde hæc verba adiecit: *Te autem Sei peto, vt, cùm ad annum vicenſimumquintum peruenerit, militiam ei compares: ſi tamen te ante non reliquerit.* quæſitum eſt: Sticho ſtatim libertatem conſecuto, priùs autem defuncto Seio, quàm ad annum vicenſimum quintum perueniret: an ab his, ad quos bona Seij peruenerunt, militia Sticho comparari debet: &, ſi placet deberi, vtrùm ſtatim militia comparanda ſit, an eo tempore, quo Seius annum vicenſimumquintum expleturus fuiſſet, ſi ſuperuixiſſet. reſpondit, cùm placeat comparandam, non ante deberi, quàm id tempus ceſsiſſet.
3 ¶ Poſtumis heredibus inſtitutis, & patre, & matre, & ſubſtitutione facta, actores manumiſit, & peculia eis legauit, & annua: & certis libertis ſuis legata: & aliis exteris plura. deinde poſt teſtamentum factum nata filia codicillis ita cauit: *Si quid teſtamēto, quod ante hoc tempus feci, legaui cui, dari volui: peto ab his, vti tertiā partem, Petina filia mea reddant.* ſecundis autem tabulis facta pupillari ſubſtitutione, impuberibus libertis, quibus à parentibus libertates dedit, eo ampliùs alterum tantum, quantum in nūmo, præter ciuaria & veſtiaria, dari voluit. quæſitum eſt, cùm ſuperuixiſſet filia teſtamento aperto & codicillis, poſtea autem deceſſerit, & fideicommiſſum datum ei de reſtituenda parte tertia ad heredes ſuos tranſmiſerat, an etiam ciuariorum, & veſtiariorum tertiæ partes ei per fideicommiſſum datæ eſſe videantur. reſpondit, non videri. Idem quæſiit, an eorum, quæ codicillis per fideicommiſſum relicta ſunt, tertiæ partes ad filiam pertinere deberent. reſpondit, non deberi. Idem quæſiit, an alterum tantum à ſubſtitutione legatum, deducta tertia parte quantitatis, legatorum teſtamento datorum, computari debeat: vt duæ partes quantitatis debeantur, præter codicillos, quibus tertiam partem codicillis legatorum ad filiam ſuam pertinere voluit. reſpondit, integrum ex tabulis ſubſtitutionis deberi.
4 ¶ Ciuaria & veſtiaria per fideicommiſſum dederat, & ita adiecerat: *Quos libertos meos, vbi corpus meum poſitum fuerit, ibi eos morari iubeo, vt per abſentiam filiarum mearum ad ſarcophagum meum memoriam meam quotannis celebrent.* quæſitum eſt, vni ex libertis, qui à die mortis, neque ad heredes acceſſerit neque ad ſepulchrum morari voluerit, an alimenta præſtanda ſint. reſpondit, non præſtanda.

19. *Idem* libro vicenſimo ſecundo Digeſtorum.

TEſtamento ita cautum fuit: *Libertis meis ciuaria quæque alia præſtabam, ab heredibus meis præſtari volo.* vnus ex libertis, ex voluntate patroni, negotij ſui gratia, quadriennio ante diem mortis afuit. ex hac cauſa ciuaria, quæ ante accepe-

tat, mortis tempore non accepit. cui tamen liberto eodem teſtamento patronus, ſicut & aliis, quos viuus manumiſerat, legatum quinque dederat. quæſitum eſt, an iſti quoque ciVaria, & reliqua, quæ ceteris libertis legata ſint, debeantur. reſpondit, cur non?

30. *Idem* libro 3. Reſponſorum.

STichus nutricis meæ nepos, liber eſto. cui decem aureos annuos dari volo. qui deinde, interpoſitis nominibus, eidem Sticho contubernalem eius, & liberos legauit: iiſque quæ viuus præſtabat. deinde alio capite libertis omnibus, quæ viuus præſtabat, dari iuſſit. quæro, an Stichus, præter ſuum legatum, & alimenta percipere poſsit. reſpondit, ſecundum ea, quæ proponerentur, non poſſe.

1 ¶ Item cùm alimenta libertis vtriuſque ſexus reliquerit à republica, & ex prædiis, quæ ei legauit, dari voluiſſet: quæro, Stichi contubernali & libertis vtrùm ab herede inſtituto, an à republica diaria & veſtiaria, quæ viuus dabat, præſtari deberent. reſpondit, poſſe benigna voluntatis interpretatione dici, is quoque à republica præſtanda.

2 ¶ Titia vſumfructum fundi legauit Mæuio, eiuſque fidei commiſit, vt ex reditu fundi præſtaret Famphilę & Sticho annuos centenos nummos, quoad viuent. quæro, an, mortuo Mæuio, heres alimenta debeat. reſpondit, nihil proponi, cur debeat præſtari ab herede Titiæ, ſed nec ab herede legatarii: niſi id teſtator manifeſte probetur voluiſſe, etiā finito vſufructu præſtari: ſi modò id, quod ex vſufructu receptum eſſet, ei rei præſtandæ ſufficeret.

3 ¶ Mater filio herede inſtituto, per fideicommiſſum libertatem Pamphilo ſeruo dedit. eidem ciVariorum nomine legauit quinos aureos, & veſtiarii, in ſingulos annos, quinquagenos, ſi cum filio eius moretur. quæro, filio defuncto, an alimenta debentur. reſpondit, ſi condicioni paruiſſet, deberi & poſt mortem.

21. *Vlpianus* libro 2. Fideicommiſſorum.

DIariis, vel ciVariis relictis: neque habitationem, neque veſtiarium, neque calciarium deberi palam eſt: quoniam de ciVo tantùm teſtator ſenſit.

22 *Valens* libro 1. Fideicommiſſorum.

CVm alimenta per fideicommiſſum relicta ſunt, non adiecta quātitate: ante omnia inſpiciendū eſt, quæ defunctus ſolitus fuerat ei, præſtare, deinde, quid ceteris eiuſdem ordinis reliquerit. ſi neutrum apparuerit: tum ex facultatibus defuncti, & caritate eius, cui fideicommiſſum datum erit, modus ſtatui debebit.

1 ¶ Qui fratris ſui libertis alimenta debebat, is teſtamento vineas cum hac adiectione reliquerat: *Vt habeant, vnde ſe paſcant.* ſi pro alimentis vineas reliquiſſet: non aliter eis ex fideicommiſsi cauſa eas præſtari debere, quàm ſi teſtamenti obligatione heredes liberaſſent. aut, ſi id omiſſum fuiſſet, & poſtea ex teſtamento agerent: doli mali exceptione tutum heredem futurum. ſcilicet ſi non minùs valent vineæ, quàm alimentorum æſtimatio. illam autem adiectionem, *vt habeant, vnde ſe paſcant*, magis ad cauſam prælegandi, quàm ad vſumfructum conſtituendum pertinere.

23. *Paulus* libro 4. ad Neratium.

ROgatus es, vt quendam educes, ad victum neceſſaria ei præſtare cogēdus es: *Paulus*: Cur plenius eſt alimentorum legatum: vbi dictum eſt, & veſtiarium, & habitationem contineri? immo ambo exæquanda ſunt.

DE AVRO, ARGENTO, MVNDO, ornamentis, vnguentis, veſte, vel veſtimentis, & ſtatuis legatis,

TIT. II.

*Pomponius* libro 6. ad Sabinum.

SI alii veſtimenta, alii veſtis muliebris ſeparatim legata ſit: detractis muliebribus, & ei adſignatis, cui ſpecialiter legata ſunt, reliquum alteri debetur. Idem eſt, cum alteri mundus muliebris, alteri argentum omne legatum eſſet, de argento, quod in mundo eſſet. Item ſi duæ ſtatuæ marmoreæ tibi, & deinde omne marmor legatum eſſet: præter duas, nulla ſtatua marmorea legata eſt tibi. idem, vrbanis ſeruis tuis legatis, ſi mihi diſpenſator legatus ſit. 1 ¶ Cui certum pondus argenti dare heres iuſſus ſit, ei pecuniam numeratam dando ipſo iure ipſe liberatur, ſi in ea pecunia eadem æſtimatio fuerit. quod ita verum eſt, ſi non certum genus argenti legatum ſit.

2. *Africanus* libro 2. Quæſtionum.

QVi tibi mandauerat, vt ornamenta in vſum vxoris ſuæ emeres, eidem vxori (vti adſolet) legauit, quæ eius cauſa parata erunt. tu deinde poſt mortem mandatoris, ignorans eum deceſsiſſe, emiſti. non debebuntur mulieri. quoniam ea verba ad mortis tempus referuntur. At ſi, viuente teſtatore, muliere autem mortua, emeris: non ineleganter dicetur, inefficax hoc legatum eſſe. quando non poſſit vere dici, eius cauſa paratum videri, quæ prius deceſsit. Eadem dicenda erunt, & ſi viuat quidem mulier, ſed diuerterit, & quæratur, an poſt empta ei debeatur: quaſi non videantur vxoris cauſa parata.

3. *Celſus* libro 19. Digeſtorum.

VXori legauit, quæ eius cauſa parata ſunt, & ante mortem diuortit, non deberi, quia adempta videantur, Proculus ait. nimirum facti quæſtio eſt. nam poteſt, nec repudiatæ adimere voluiſſe.

4. *Paulus* libro 54. ad Edictum.

CVm quidam libertum ſuum in Aſiam miſiſſet ad purpuras emendas, & teſtamento vxori ſuæ lanā purpuream legaſſet: pertinere ad eam, ſi quam purpuram viuo eo libertus emiſſet, Seruius reſpondit.

5. *Africanus* libro 2. Quæſtionum.

APud Phuphidium quæſtionum libro ſecundo ita ſcriptum eſt: Si mulier mandauerit tibi, vt ſibi vniones, vſus ſui cauſa, emeres: ſi tu poſt mortem eius, cùm putares eam viuere, emeris: Atilicinus negat eſſe legatos ei, cui mulier ita legauerit: *Ornamenta, quæ mea cauſa parata ſunt, item vniones.* nō enim eius cauſa videri parata eſſe, quæ iam mortua ea, empta fuerint.

6. *Marcellus* libro ſingulari Reſponſorum.

SEia ab herede Publio Mæuio ita legauit: *Antoniæ Titullæ do lego auri pondo iiii, & vnionem cum hyacinthis.* poſtea vnionem ſoluit: neque vllum mortis tempore inter ornamenta ſua vnionem reliquit. quæro, an heres, ex cauſa fideicommiſsi, æſtimationem rei, quæ in hereditate non eſt, præſtare debeat. Marcellus reſpondit, non debere.

1 ¶ Item quæro, ſi probari poſsit, Seiam vniones & hyacinthos quoſdam in aliam ſpeciem ornamēti, quod poſtea pretioſius fecit additis aliis gemmis & margaritis, conuertiſſe, an hos vniones vel hyacinthos petere poſsit, & heres compellatur ornamento poſteriori eximere, & præſtare. Marcellus reſpondit, petere non poſſe. nam quid fieri poteſt, vt legatum vel fideicommiſſum durare exiſtimetur, cùm id, quod teſtamento dabatur, in ſua ſpecie non permanſerit? nam quodammodo extinctum ſit, vt interim omittā, quòd etiam diſſolutione ac permutatione tali voluntas quoque videatur mutata.

2 LVcius Titius teſtamento ita ſcripſit: *Heredem meum volo, fideique eius committo, vt in patriam meam facias porticum publicam: in qua poni volo imagines argenteas, item marmoreas.* quæro, an legatum valeat. Marcellus reſpondit, valere, & operis, ceterorúmque, quæ ibi teſtator poni voluerit, legatum ad patriam pertinere. intellegi enim potuit, aliquod ciuitati accedere ornamentum.

7. *Paulus* libro 8. ad Plautium.

SI ita eſſet legatum: *Veſtem meam, argentum meum damnas*



NAm quæ acceſſionum locum optinent, extinguuntur, cùm principales res peremptæ fuerint.

3. *Paulus* libro 4. ad Sabinum.

AT ſi ancilla cum ſuis natis legata ſit: etiam mortua ea, vel alienata, vel manumiſſa, nati ad legatarium pertinebunt: quia duo legata ſunt ſeparata.

4. *Gaius* libro 18. ad Edictum prouinciale.

SEd & ſi cum vicariis ſuis legatus ſit ſeruus: durat vicariorum legatum, & mortuo eo, aut alienato, aut manumiſſo.

5. *Paulus* libro 4. ad Sabinum.

PEculio legato, conſtat heredem nomina peculiaria perſequi poſſe, & inſuper ipſum, ſi quid debeat ſeruo, reddere legatario debere.

6. *Vlpianus* libro 25. ad Sabinum.

SI peculium legetur, & ſit in corporibus: (puta fundi, vel ædes,) ſi quidem nihil ſit, quod ſeruus domino, vel conſeruis, liberiſve domini debeat: integra corpora vindicabuntur. ſin verò ſit, quod domino, vel ſupraſcriptis perſonis debeatur: deminui ſingula corpora pro rata debebunt. & ita & Iulianus & Celſus putant.

1 ¶ Et ſi fuerit legatum peculium, non deducto ære alieno: verendum, ne inutile legatum ſit: quia quod adicitur, contra naturam legati ſit. ſed puto verum, (ad) hanc adiectionem non vitiare legatū, ſed nihil ei adicere. nec enim poteſt creſcere vindicatio peculii per hanc adiectionem. Planè ſi proponas, legatarium nactum poſſeſſionem rerum: exceptione doli aduerſus heredem vindicantem vti poteſt. habet enim in ſolidis rebus voluntatem æris alieni non deducendi. Sed & ſi dominus remittere ſe ſeruo, quod debet, vel nihil ſibi ſeruum debere ſignificauerit: valet hæc adiectio: quia nuda voluntate poteſt dominus ſeruo remittere, quod ei debet.

2 ¶ Vicario autem meo mihi legato, an & vicarii mei peculium ad me pertineat, quæritur. & putamus, contineri legato vicarii eius peculium: niſi aduerſa ſit voluntas teſtatoris.

3 ¶ Si ſeruus, & vicarius eius, liberi eſſe iuſſi ſint: iiſque peculia ſua legata ſint: verba ſecundùm voluntatem teſtatoris exaudienda, tamquam de duobus ſeparatiſque peculiis teſtatore locuto. & ſecundùm hæc vicarius vicarii non communicabitur: niſi hæc mens fuit teſtantis.

4 ¶ Sicut autem æs alienum, hoc eſt, quod debetur domino, minuit legatum peculium: ita per cōtrarium id, quod dominus debet ſeruo, augere debet. ſed huic ſententiæ aduerſatur reſcriptum imperatoris noſtri, & patris eius, quod ita eſt: Cùm peculium ſeruo legatur, non etiam id conceditur, vt petitionem habeat pecuniæ, quam ſe in rationem domini impendiſſe dicit. Quid tamen, ſi hæc voluntas fuit teſtatoris? cur non poſſit conſequi: certè compenſari debet hoc, quod impendit, cū eo, quod domino debetur. An & quod dominus ſcripſiſſet ſe ſeruo debere, peculio legato cederet? Pegaſus negat. Idem Nerua & cùm Gnæus Domitius filiæ ſuæ peculium, quod eius eſſet, legaſſet: & annuum, quod ei ſolitus erat dare, biennio non dediſſet, ſed in rationibus ſuis rettuliſſet, filiæ ſe debere quinquaginta: Atilicinus exiſtimauit, legato non cedere. quod verum eſt: quia conſonat reſcripto. 5 ¶ Non ſolum autem, quod domino debetur, peculio legato deducitur: ſed & ſi quid heredi debitum fuit.

7. *Pomponius* libro 7. ad Sabinum.

SI quis creditori ſuo adrogandum ſe dederit, & agetur de peculio cum adrogatore: idem puto dicendum, quod de herede dicitur.

8. *Vlpianus* libro 23. ad Sabinum.

DEnique Pegaſus reſpondit: ſi ſtatulibero, cui peculium legatum ſit, heres interim crediderit: id ipſo iure detrahi, & corpora ſingula etiam per hoc æs alienum deminui.

1 ¶ Proinde ſi purè libertatem accipiet, & heres, vel viuo domino, vel ante aditam hereditatē ſeruo crediderit: legatum peculii minuetur ſecundùm Iuliani ſententiam, licet dominus ſerui nunquàm fuerit.

2 ¶ Qui Stichum & Pamphilum ſeruos habebat, teſtamento eos manumiſit, & vnicuique peculium ſuum legauit. placet, quod alteri debet, de peculio eius decedere, & alterius accedere legato.

3 ¶ Item quæritur: ſi ſeruo libertas data ſit, ſi decem dediſſet heredi: peculiumque ei legatum ſit: an decem, quæ dediſſet heredi, debeant de peculio decedere. & eſt verum, quod Sabino placuit, hoc minùs eſſe in peculio legato.

4 ¶ Plus ait Sabinus, ſi ſtatuliber ſeruum heredi vendiderit, perinde deſinere eum in peculio eſſe, atque ſi extraneo vendidiſſet.

5 ¶ His conſequenter quæritur: ſi ſeruus cum domino de libertate pactus fuerit, & partem pecuniæ dederit, dominus deceſſerit, liberumque eſſe teſtamento iuſſerit cum peculio legato: an, quod domino dederit, in peculio ſit imputandum. & ait Labeo, de peculio decedere. planè ſi nondum dederat, ſed, donec totum traderet, pro depoſito apud eum fuerit: id in peculio eſſe placuit.

6 ¶ Item ſi ſeruo peculium ſit legatum, & à debitore eius peculiari heres vetitus ſit petere: verum eſt, hoc minùs eſſe in legato peculio: hoc eſt, detrahendum id, quod debitori legatum eſt.

7 ¶ Interdum & ſi non ſit legatum peculium: velut legatum, ſic accipitur. id eſt in huiuſmodi ſpecie. quidam ſeruo libertatem, ſi rationes reddiſſet, dederat, & ſi heredibus centum intuliſſet. Imperator igitur noſter cum patre reſcripſit, peculium quidem non niſi legatum deberi. verùm (inquit) ſi condicionibus præſcriptis paruit ſeruus: teſtatorē voluiſſe eum retinere peculium, interpretamur, videlicet ex eo, quòd ex peculio eum iuſſerat centum inferre.

8 ¶ Vtrùm ante id demum peculium accipimus, quod mortis tempore fuit: an verò, & quod poſtea acceſſit, applicamus? vel, quod deceſſit, detrahimus? & Iulianus aliàs accipiendum legatum peculii ait, ſi ipſi ſeruo legetur: aliàs, ſi alii. nam ſi ipſi: id tempus in legato ſpectandum, quo dies legati cedit. ſi verò extraneo: mortis tempus. ſic tamen, vt incrementa ex rebus peculiaribus ad eum perueniant: vtputa partus ancillarum, vel fetus pecorum. quod autem ex operis ſuis, vel ex alia re accedit: id, ſi alii, quàm ipſi, legetur peculium: non debebitur. hoc vtrumque Iulianus ſecundùm voluntatem teſtatoris ſcribit. cùm enim ipſi ſuum peculium legatur: veriſimile eſt, eum omne augmentū ad ipſum pertinere voluiſſe, cui patrimonium manumiſſo futurum eſt. cùm alii: non ſic. tamē vt, ſi in alterius perſona hoc eum ſenſiſſe appareat, idem dicas.

9. *Paulus* libro 4. ad Sabinum.

ID, quod ſeruo, qui in ipſius peculio eſt, debetur: non deducitur ex legato peculio, quamuis conſeruus eius ſit. 1 ¶ Si conſeruum ſuum vulnerauerit ſeruus, & viliorem fecerit: Marcellus, non eſſe dubitandū, deduci ex peculio, quod domino intereſſet. nam quid intereſt, conſeruum vulneret, an ſcindat aliquid, vel frangat, an ſubripiat? quo caſu ſine dubio minuitur peculium. ſed non vltra ſimplum. 2 ¶ Sed ſi ſe vulnerauit, vel etiam occidit: nihil eſt deducendum hoc nomine, alioquin dicemus, & ſi fugerit, deducendum id, quanto vilior ſit factus propter fugam.

10. *Pomponius* libro 7. ad Sabinum.

SI peculium ſeruo, vel filio prælegare velis: ne deducatur id, quod tibi debebitur: ſpecialiter ea, quæ in peculio erunt, leganda ſunt.

11. *Vlpianus* libro 29. ad Edictum.

EI quoque, qui nihil in peculio habet, poteſt peculium legari. non enim tantùm præſens

ſed etiam futurum peculium legari poteſt.

12. *Iulianus* libro 37. Digeſtorum.

TVnc inutile legatum peculij fit, cùm ſeruus viuo teſtatore decedit, ceterùm, ſi mortis tempore ſeruus vixerit, peculium legato cedet.

13. *Celſus* libro 19. Digeſtorum.

ALiter atque ſi ſeruus veſtitus legatus foret.

14. *Alfenus Varus* libro 5. Digeſtorum.

QVidam in teſtamento ita ſcripſerat: *Pamphilus ſeruus meus peculium ſuum, cùm morior, ſibi habeto, liberque eſto.* conſulebatur, recténe Pamphilo peculium legatum videretur, quòd priùs, quàm liber eſſet, peculium ſibi habere iuſſus eſſet. reſpondit: in coniunctionibus ordinem nullum eſſe: neque quicquam intereſſe, vtrum eorum primum diceretur, aut ſcriberetur: quare rectè peculium legatum videri: ac ſi priùs liber eſſe, deinde peculium ſibi habere iuſſus eſt.

15. *Idem* libro 2. Digeſtorum à Paulo epitomatorum.

SEruo manumiſſo peculium legatum erat. alio capite omnes ancillas ſuas vxori legauerat. in peculio ſerui ancilla fuit. ſerui eam eſſe reſpondit. neque referre, vtri priùs legatum eſſet.

16. *Africanus* libro 5. Quæſtionum.

STichus habet in peculio Pamphilum. hunc dominus noxali iudicio defendit: & damnatus, litis æſtimationem ſoluit. deinde Stichum teſtamento manumiſit: eique peculium legauit. quæſitum eſt, an, quod Pamphili nomine præſtitum ſit, ex peculio vel ipſius Pamphili vel Stichi deducendum ſit. reſpondit, Pamphili quidem de peculio vtique deducendum, quantacumque ea ſumma eſſet, id eſt, etiam ſi eum noxæ dedere expediſſet. quidquid enim pro capite ſerui præſtitum ſit, in eo debitorē eum domini conſtitui. quod ſi Pamphili peculium non ſufficiat: tunc ex peculio Stichi non vltra pretium Pamphili deduci debere.

1 ¶ Quæſitum eſt: ſi ex alia qua cauſa Pamphilus pecuniam domino debuiſſet, nec ea ex peculio eius ſeruari poſſet: an vſque ad pretium eius ex peculio Stichi poſſit deducere. negauit. neque enim ſimile id ſuperiori eſſe. ibi enim propterea pretium vicarij deducendum, quod eo nomine ipſe Stichus ob defenſionem vicarij ſui domino debitor conſtituatur. at in propoſito: quia Stichus nihil debeat: ex eius peculio nihil eſſe deducendum, ſed ex Pamphili dumtaxat, qui certe ipſe in ſuo peculio eſſe intelligi non poteſt.

17. *Iauolenus* libro 2. ex Caſſio.

QVi peculium ſerui legauerat, iudicium eo nomine acceperat: deinde deceſſerat, placuit, non aliter peculium ex cauſa legati præſtari, quàm ſi de accepto iudicio heredi caueretur.

18. *Marcianus* libro 6. Inſtitutionum.

SI ſeruo manumiſſo peculium legatum fuerit, in eum ſine dubio creditoribus peculiariis actiones non competunt. ſed non alias heres peculium præſtare debet, niſi ei caueatur, defenſu iri aduerſus creditores peculiarios.

19. *Papinianus* libro 7. Reſponſorum.

CVm dominus ſeruum vellet manumittere, profeſſionem edi ſibi peculij iuſſit. atque ita ſeruus libertatem accepit. res peculij profeſſioni ſubtractas, non videri manumiſſo tacite conceſſas apparuit. 1 ¶ Teſtamento data libertate, peculium legauerat: eundémque poſtea manumiſerat. liberius, vt & nominum peculij actiones ei præſtarentur, ex teſtamento conſequetur.

2 ¶ Filiusfamilias, cui pater peculium legauit ſeruum peculij viuo patre manumiſit. ſeruus communis omnium heredum eſt exemptus peculio propter filij deſtinationem: quia id peculium ad legatarium pertinet: quod in ea cauſa, moriente patre inueniatur.

20. *Marcianus* libro 7. Inſtitutionum.

NIhilque intereſt: ante legatus, deinde inutiliter manumiſſus ſit: an contra.

21. *Scæuola* libro 8. Quæſtionum.

SI Sticho manumiſſo peculium legatum ſit, & Titio ſeruus peculiaris: quantum peculio detractum erit ob id, quod domino debetur: tantùm ei accedere, cui vicarius legatus eſt, Iulianus ait.

22. *Labeo* libro 2. Poſteriorum à Iauoleno epitomatorum.

DOminus ſeruum teſtamento manumiſerat, & ei peculium legauerat. is ſeruus mille nummos domino debuerat, & eos heredi ſoluit. reſpondi, omnes eas res deberi orcino, ſi pecuniam orcinus, quam debuerat, ſoluiſſet.

1 ¶ Dominus ſeruum, qui cum eo vicarium cōmunem habebat, teſtamento manumiſerat, & peculium ei legauerat: deinde ipſum vicarium, qui cōmunis erat, nominatim & ipſi, & libertæ ſuæ legauerat reſpondi, partem quartam libertæ, reliquam partem quartam liberti futuram. quod & Trebatius.

23. *Scæuola* libro 15. Digeſtorum.

DOminus Sticho ſeruo ſuo, qui bona liberti eius geſſit, cui pro parte dimidia teſtamēto heres extiterat, in quibus negotiis geſtis & kalendaria fuerunt, teſtamento ſuo libertatem dederat, ſi rationem reddidiſſet: eique peculium ſuum per fideicommiſſum dedit. Stichus ſummas, quibus reliquatus erat tam ex kalendario, quàm ex variis cauſis, reddit, manentibus debitoribus, pro quibus ipſe pecuniam heredibus patroni refuderat: libertatémque adeptus deceſſit. quæſitum eſt, an heredibus Stichi aduerſus nomina debitorum, pro quibus Stichus pecuniam heredibus patroni intulit, heredes patroni ex cauſa fideicommiſſi, compellendi ſint actiones præſtare, cùm nihil aliud à Sticho patrono debitum fuerit. reſpondit, præſtandum.

1 ¶ Teſtamento codicilliſve ſeruos manumiſit & peculia legauit, & de Sticho ita cauit: *Stichum ſeruum meum liberum eſſe volo: eique volo dari decem aureos, & quidquid ex ratione loculorum meorum habet. rationes autem heredibus meis dari volo. his omnibus, quos hoc teſtamento manumiſi, peculia ſua concedi volo.* quæſitum eſt: an, quod ampliùs rationi loculorum in diem mortis erogauit Stichus ex peculio ſuo, ab heredibus recipere debeat: cùm ex conſuetudine domus eſſet, vt quidquid ampliùs ex ſuo in ratione loculorum erogaſſet, dominica ratio ei deberet, atque exſolueret. reſpondit, ſecundùm ea, quæ, propter conſuetudinem proponerentur, id quoque peculio legato contineri, quod & dominica ratio deberet, & ſolita erat reddere. 2 ¶ Seruis libertates, legatáque dederat, & codicillo ita ſcripſerat: ὅσους κατέλιπον ἐλευθέρους, καὶ τὰ ληγάτα αὐτοῖς τούτους βούλομαι εἶναι ἀνεξετάστους. i. *Quosquos reliqui liberos, atque eis legata: eos ipſos inexcuſſos eſſe volo.* quæſitum eſt, an peculia quoque legata his videbuntur. reſpondit, ſecundùm ea, quæ proponerentur, non videri legata. 3 ¶ Item quæſitum eſt: an ex iſdem verbis reliqua rationum, quaſi legata retinere poſſint: aut, ſi res dominicas apud ſe habuerint, aut ſi qui eorum coloni prædiorum fuerunt, penſiones. reſpondit, ſuprà reſponſum.

24. *Vlpianus* libro 43. ad Sabinum.

SI legatus fuerit ſeruus, peculium excipere non eſt neceſſe. quia non ſequitur, niſi legetur.

25. *Celſus* libro 19. Digeſtorum.

SI ſeruus liber eſſe iuſſus ſit, eique peculium legatum ſit: vicariorum eius vicarij legato continentur.

26. *Scæuola* libro 3. Reſponſorum.

T*Itii filii, è medio præcipite, ſumite, ſibique habeto domum illam, item aureos centum.* alio deinde capite peculia filiis prælegauit. quæſitum eſt, an peculio prælegato, & centum aurei, & vſuræ eorum debentur: cùm rationibus breuiariis in ære alieno & ſortem & vſuras inter ceteros creditores complexus ſit. reſpondit: ſi id fœnus nomine filij exercuiſſet, & vſuras, ita vt proponeretur: filio adſcripſiſſet: id quoque peculio legato deberi.



## DE PENV LEGATA, TIT. IX.

1. *Vlpianus* libro 24. ad Sabinum.

VXori ſuæ in annos ſingulos penoris aliquid heres dare iuſſus eſt: ſi non dediſſet, nummos dare damnatus eſt. quæritur; an penus legata peti poſſit; an vero ſolummodò ſit in præſtatione; &, ſi non præſtetur, tunc quantitas petatur. Et ſi quidem ſemel penus ſit legata, non per ſingulos annos: certo iure vtimur, (vt & Marcellus libro trigeſimo nono digeſtorum apud Iulianum notat) in præſtatione eſſe dumtaxat penum, quantitatem verò & peti poſſe. habebit igitur heres oblationem tamdiu; quamdiu lis cum eo de pecunia conteſtetur: niſi fortè aliud tempus vel mente vel verbis teſtator præſtituit. Quòd ſi in annos ſingulos penus legata ſit: per ſingulos annos penus adhuc poterit præſtari. ſi minùs: ſummæ per ſingulos annos petentur. Quid ergo, ſi vna ſumma legata ſit, & primo penus non ſit præſtita? vtrùm tota ſumma debeatur, quaſi toto penoris legato transfuſo: an verò quantitas primi anni æſtimationis ſola ſit translata, dubitari poteſt. puto tamen, ſic voluntatem ſequendam teſtatoris, vt tota ſumma illico, poſtquàm ceſſauerat heres dare penum vxori, præſtetur, heredis in deuotione coërcenda.

2. *Marcianus* libro 3. Regularum.

PEnu certa cum vaſis certis legata & conſumpta, ne vaſa quidem cedunt legato, exemplo peculij.

3. *Vlpianus* libro 22. ad Sabinum.

QVi penum legat, quid legato complectatur, videamus. & Quintus Mucius ſcribit libro ſecundo iuris ciuilis, penu legata contineri, quæ eſui potuique ſunt. idem Sabinus libris ad Vitellium ſcribit. quæ harum (inquit) patrisfamiliæ, vxoris, liberorúmve eius, vel familiæ, quæ circa eos eſſe ſolet: itē iumentorum, quæ dominici vſus cauſa parata ſunt.

1 ¶ Sed Ariſto notat, etiam quæ eſui potuique non ſunt, contineri legato. vtputa ea, in quibus eſſe ſolemus: oleum fortè, garum, muria, mel, ceteráque his ſimilia.

2 Planè (inquit) ſi penus eſculenta legetur: Labeo libro nono poſteriorum ſcribit, nihil eorum cedere. quia non hæc eſſe, ſed per ea ſolemus. Trebatius in melle contrà ſcribit. meritò; quia mel eſſe ſolemus. Sed Proculus omnia hæc contineri rectè ſcribit: niſi contraria mens teſtatoris apparet.

3 ¶ Eſculenta vtrùm ea, quæ eſſe ſolemus, legauerit? & ea quoque legato contineri credendum: niſi contraria mens patrisfamiliâs doceatur, mella certè ſemper eſculentæ penui cedere, lacertas quoque cū muria ſua contineri, nec Labeo negauit.

4 ¶ Potulenta penu, ea, quæ vini loco paterfamilias habuit, continebūtur. ſupraſcripta verò non continebuntur.

5 ¶ Penori acetum quoque cedere nemo dubitat: niſi extinguendi ignis cauſa fuit paratum. tunc enim eſui potuique non fuit, & ita Ofilius libro ſextodecimo actionum ſcribit.

6 ¶ Sed quod diximus, *Vſus ſui gratia paratum* accipiendum erit, & amicorum eius, & clientium, & vniuerſorum, quos circa ſe habet: non etiam eius familiæ, quam neque circa ſe, neque circa ſuos habet. puta ſi qui ſunt in villis deputati: quos Quintus Mucius ſic definiebat, vt eorum ciVaria contineri putet, qui opus non facerent. ſed materiam præbuit Seruio notandi, vt textorum, & textricum ciVaria adiceret contineri. ſed Mucius eos voluit ſignificare qui circa patremfamilias ſunt.

7 ¶ Simili modo & iumentorum ciVaria penu continentur: ſed eorum iumentorum, quæ vſibus ipſius, & amicorum deſeruiunt. ceterùm ſi qua iumenta agris deſeruiebant, vel locabantur: legato non cedere ciVaria eorum.

8 ¶ Siue autem frumentum, ſiue quid leguminis in cella penuaria habuit: penori legato continebitur. Sed & hordeum ſiue familiæ ſiue iumentorum gratia: & Ofilius ſcribit libro ſextodecimo actionum.

9 Ligna, & carbones, ceteráque, per quæ penus conficeretur, an penori legato contineantur, quæritur. & Quintus Mucius & Ofilius negauerunt, non magis quàm molæ (inquiunt) continentur. Idem & tus & ceras contineri negauerunt. Sed Rutilius & ligna & carbones, quæ non vendēdi cauſa parata ſunt, contineri ait. Sextus autem Cæcilius etiam tus, & cereos in domeſticum vſum paratos, contineri legato ſcribit. 10 ¶ Seruius apud Melam, & vnguentum, & chartas epiſtulares penoris eſſe, ſcribit. & eſt verius, hæc omnia, odores quoque contineri. ſed & chartas ad ratiunculam, vel ad logarium paratas, contineri.

11 ¶ Vaſa quoque penuaria quin contineantur, nulla dubitatio eſt. Ariſto autem ſcribit; dolia non contineri. & eſt verum ſecundùm illam diſtinctionem, quam ſuprà in vino fecimus. Nec frumenti, nec leguminū thecæ, arculæ fortè, vel ſportæ, vel ſi qua alia ſunt, quæ horrei penuarij, vel cellæ penuariæ inſtruendæ gratia habentur, non continebuntur. ſed ea ſola continentur, ſine quibus penus haberi non rectè poteſt.

4. *Paulus* libro 4. ad Sabinum.

NAm quod liquidæ materiæ ſit, quia per ſe eſſe non poteſt, rapit ſecum in acceſſionis locum id, ſine quo eſſe non poteſt. vaſa autem, acceſſio legatæ penus, non legata ſunt. Denique, penu conſumpta, vaſa non debentur. Sed etſi penum cum vaſis ſpecialiter ſit legatum; vaſa non debebuntur, vel conſumpta penu, vel adempta.

1 ¶ Si cui, quæ in promptuario ſint, legata fuerint: non omnis penus legata eſt. 2 ¶ Item ſi quid ſolitus fructus ſuos vendere, penū legauerit: non omnia, quæ & promercij cauſa habuit, legaſſe videtur: ſed ea ſola, quæ in penum ſibi ſeparabat. quòd ſi promiſcuè vti ſolebat: tunc, quantum ad annuum vſum ei ſufficeret, familiæque eius, ceterorúmque, qui circa eum ſunt, legato cedet. quod ferè (inquit Sabinus) euenit in perſonis mercatorum, aut quotiens cella eſt olei, & vini, quæ venire ſolebant, in hereditate relicta.

3 ¶ Nomen autem *Penus* mihi traditum eſt omnibus generibus dictum.

4 ¶ Si ita legetur, *Penum, quæ Romæ ſit*: vtrùm, quæ eſt intra continentia, legata, videtur: an verò ea ſola, quæ eſt intra murum? & quidem vrbes ferè omnes murotenus finiri, Romā continentibus, & vrbē Romam æquè continentibus.

5 ¶ Quòd ſi vrbana penus ſit legata: omnē, quæ vbique eſt, legatam videri. Labeo ait: etiam ſi in villa ſit, vrbico vſui deſtinata. ſicuti vrbica miniſteria dicimus, & quæ extra vrbem nobis miniſtrare conſueuerunt. Si autem extra vrbem, Romæ tamen ſit, ſed & ſi in hortis ſit vrbi iunctis: idem erit dicendum.

6 ¶ Si cui penus legata ſit præter vinum: omnis penus legata videtur, excepto vino. Sed ſi ita ſcriptum ſit *Omnem penum, præter vinum, quod Romæ erit*: ſola penus, quæ Romę eſt, legata videtur. Et ita Pomponius libro ſexto ad Sabinum ſcribit.

5. *Idem* libro 4 ad Sabinum.

NOn omne, quod bibetur, in penu habetur. alioqui neceſſe eſt, vt omnia medicamenta, quæ biberentur, contineantur. itaque ea demum penoris eſſe, quæ alendi cauſa biberentur. quò in numero antidotum non eſt. & ſanè verè Caſſius ſenſit. 1 ¶ Sed quod quidam negauerunt, piper, &

liguſticum, & careum, & laſer, & cetera huiuſmodi, in penu non eſſe: improbatum eſt.

6. *Idem* libro 10. ad Sabinum.

INſtrumentum piſtrini, item vniuerſa vaſa cocitatoria, penu non continentur.

7. *Scæuola* libro 3. Reſponſorum.

P*Enum meam omnem ad matrem liberóſque meos, qui cum matre ſunt, pertinere volo.* quæro, ſi tutores pupilli eam ſolummodò penum, deberi quæ in cænaculo eſſet, dicant: ſint autẽ & in horrèis aNphoræ; an hæ quoque deberentur. reſpondit, quidquid penoris vſus cauſa vbicumque habuiſſet, deberi.

---

## DE SVPELLECTILE legata,

## TIT. X.

*Pomponius* libro 6. ad Sabinum.

SVpellex eſt domeſticum patrisfamiliæ inſtrumentum, quod neque argento, auróve facto, vel veſti adnumeretur.

2. *Florentinus* libro 11. Inſtitutionum.

ID eſt, res mouentes, non animales.

3. *Paulus* libro 4. ad Sabinum.

SVpellectili legata hæc continentur: menſæ, trapezophora, delfica, ſubſellia, ſcamna, lecti etiam inargentati, culcitæ, toralia, imperia, vaſa aquaria, pelues, aquiminalia, candelabra, lucernæ, trulla.

1 ¶ Item vaſa ænea vulgaria, id eſt, quæ non propriè eſſent loco adtributa.

2 ¶ Præterea capſæ, armaria. ſed ſunt, qui rectè putant, capſas & armaria, ſi librorum aut veſtium aut armentorum gratia parata ſunt; non eſſe in ſupellectili: quia ne hæ quidem ipſæ res, quibus adtributæ eſſent, ſupellectilis inſtrumento cederent.

3 ¶ Vitrea eſcaria, & potoria in ſupellectili ſunt, ſicut fictilia. nec ſolùm vulgaria, ſed etiam quæ in pretio magno ſunt. nam & pelues argenteas, & aquiminalia argentea, & menſas, & lectos inargentatos, vel inauratos, atque gemmatos, in ſupellectili eſſe, non dubitatur, vſque adeo, vt idem iuris ſit, & ſi tota argentea, vel aurea ſint.

4 ¶ De murrinis & cryſtallinis dubitari poteſt, an debeant adnumerari ſupellectili, propter eximium vſum & pretium. ſed & de his idem dicendum eſt.

5 Nec intereſt, cuius materiæ ſunt res, quæ ſunt in ſupellectili. ſed craterem argenteum non eſſe in ſupellectili: nec vllum vas argenteum ſecundùm ſeculi ſeueritatem nondum admittentis ſupellectilem argenteam. hodie propter vſum imperitorum, ſi in argento relatum ſit candelabrum argenteum, argenti eſſe videtur: & error ius facit.

4. *Idem* libro ſingulari de inſtrumenti ſignificatione.

REdæ, & ſedularia ſupellectili adnumerari ſolent.

5. *Idem* libro 4. ad Sabinum.

DE tapetis quæri poteſt, ſubſellia cathedraria quibus inſterni ſolẽt: vtrùm in veſte ſint, ſicut ſtragula: an in ſupellectili, ſicut toralia, quæ propria ſtragulorum non ſunt. & hoc magis placuit, ea ſupellectili contineri.

1 ¶ De tapetis autem, vel linteis, quibus inſternuntur vehicula, dubitari poteſt, an ſint in ſupellectili. ſed dicendum eſt, potiùs inſtrumenti viatorij ea eſſe: ſicut pelles, quibus inuoluuntur veſtimenta. lora quoque, quibus hæ pelles conſtringi ſolent.

6. *Alfenus* libro 3. Digeſtorum à Paulo epitomatorum.

SVpellectilis eas eſſe res puto, quæ ad vſum communem patrisfamilias paratæ eſſent, quæ nomen ſui generis ſeparatim non haberent. quare quę ad artificij genus aliquod pertinerent, neque ad communem vſum patrisfamilias accommodatæ eſſent, ſupellectilis non eſſe.

1 ¶ Sed nec pugillares, & codices in ſupellectili ſunt.

7. *Celſus* libro 19. Digeſtorum.

LAbeo ait, originem fuiſſe ſupellectilis, quòd olim his, qui in legationem proficiſcerentur, locari ſolerent, quæ ſub pellibus vſui forent.

1 ¶ Tubero hoc modo demonſtrare ſupellectilem temptat, inſtrumentum quoddam patrisfamiliæ rerum ad cotidianum vſum paratarum, quod in aliam ſpeciem non caderet. vt (verbi gratia) penum, argentum, veſtem, ornamenta, inſtrumẽta agri, aut domus. Nec mirum eſt, moribus ciuitatis, & vſu rerum, appellationẽ eius mutatam eſſe. nam fictili, aut lignea, aut vitrea, aut ærea denique ſupellectili vtebantur. nunc ex ebore, atque teſtudine, & argento, iam ex auro etiam atque gemmis ſupellectili vtuntur. quare ſpeciem potiùs rerum, quàm materiam intueri oportet, ſupellectilis potiùs, an argenti, an veſtis ſint.

2 ¶ Seruius fatetur, ſententiam eius, qui legauerit, aſpici oportere, in quam rationem ea ſolitus ſit referre: verùm ſi ea, de quibus non ambigeretur, quin in alieno genere eſſent (vtputa eſcarium argentum, aut pænulas, & togas) ſupellectili quis adſcribere ſolitus ſit: non idcirco exiſtimari oportere, ſupellectili legata ea quoque contineri. non enim ex opinionibus ſingulorum, ſed ex communi vſu nomina exaudiri debere. Id Tubero parùm ſibi liquere ait. nam quorſum nomina, (inquit) niſi vt demonſtrarent voluntatem dicentis? equidem non arbitror quemquam dicere, quod non ſentiret, vt maximè nomine vſus ſit, quo id appellari ſolet. nam vocis miniſterio vtimur. ceterùm nemo exiſtimandus eſt dixiſſe, quod non mente agitauerit. Sed etſi magnopere me Tuberonis & ratio, & auctoritas mouet: non tamen à Seruio diſſentio, non videri quemquam dixiſſe, cuius non ſuo nomine vſus ſit. nam etſi prior atque potentior eſt, quàm vox, mens dicentis: tamen nemo ſine voce dixiſſe exiſtimatur. niſi fortè & eos, qui loqui non poſſunt conato ipſo & ſono quodam καὶ τῇ ἀνάρθρῳ φωνῇ. i. *inarticulata voce*, dicere exiſtimamus.

8. *Modeſtinus* libro 9. Reſponſorum.

CVm quidam vxori ſuæ legauerat domum cum iure ſuo omni, & inſtrumẽto, & ſupellectili: quærebatur, an videretur & argentum eſcale, & potoriũ legato contineri. reſpondit, ſi quid in ſupellectili argentum eſt, deberi. eſcale autem vel potorium argentum non deberi: niſi hoc quoque teſtatorem ſenſiſſe, legatarius doceat.

9. *Papinianus* libro 7. Reſponſorum.

LEgata ſupellectili, cùm ſpecies ex abundanti per imperitiam enumerentur, generali legato non derogatur. ſi tamen ſpecies certi numeri demonſtratæ fuerint, modus generi datus in his ſpeciebus intellegitur Idem ſeruabitur inſtructo prædio legato, ſi quędam ſpecies numerum certum acceperint.

1 ¶ Supellectilis menſas eſſe cuiuſcumque materiæ, (ſcilicet vel argenteas, vel argento incluſas) placet. nam & argenteos lectos, item argentea candelabra ſupellectili cedere, poſterior ætas recepit. cùm & Vlixem ex auro & argento lectum viuentis arboribus truncis ædificatum ornaſſe: quem Penelopa recognoſcendi viri ſignum accepit, vt voluit Homerus.

2 ¶ Supellectili ſua omni legata, ac ceptum argentum pignori, non continebitur: quia ſupellectilem ſuam legauit: vtiq; ſi non in vſu creditoris id argentum voluntate debitoris fuit, ſed propoſitum propter contractus fidem, ac reſtituendæ rei vinculum.

10. *Iauolenus* libro 3. ex Poſteriorbus Labeonis.

QVi veſtem omnem, & res plurium generum ſupellectilis expenſo ferre ſolitus erat, is vxori



præſentis cuſtodiæ cauſa, non perpetuæ, veluti theſauro, depoſitum eſſet. quia illa verba, *quod domo meæ erit*, ſic accipi debere, *eſſe ſolebat*. & hoc probo.

1 ¶ Atteius Seruium reſpondiſſe ſcribit: cui argentum; quod in Tuſculano fundo, cùm moreretur, habuiſſet; legatum eſſet: & quod, antequàm moreretur, ex vrbe in Tuſculanum iuſſu teſtatoris translatũ eſſet, deberi. contra fore, ſi iniuſſu translatum eſſet.

40. *Scæuola* libro 17. Digeſtorum.

MEdico ſuo contubernali & communium expeditionũ comiti inter cetera ita legauerat, *Argentum viatorium meum dari volo.* quæſitum eſt; cùm paterfamilias in diuerſis temporibus, reipublicæ cauſa afuerat, quod viatorium argentum hoc legato comprehenſum eſſe videtur. reſpondit, quod habuiſſet argentum viatorium eo tempore, cùm teſtamentum faciebat, deberi.

1 ¶ Vxori ſuæ teſtamento ita legatum eſt, *Semproniæ dominæ meæ hoc amplius argentum balneare.* quæſitum eſt, an etiam id argentum, quod diebus feſtis in balineo vti conſueuit, legato cedat. reſpondit, omne legatum videri. 2 ¶ Mulier, decedens ornamenta legauerat ita: *Seiæ amicæ meæ ornamenta vniuerſa dari volo.* eodem teſtamento ita ſcripſerat; *Funerari me arbitrio viri mei volo, & inferri mihi, quæcumque ſepulturæ meæ cauſa feram ex ornamentis, lineas duas ex margaritis, & viriolas ex ſmaragdis.* ſed neque heredes, neque maritus, cùm humi corpus daret, ea ornamenta, quæ corpori iuſſus erat adici, dederunt. quæſitum eſt, vtrùm ad eam cui ornamenta vniuerſa reliquerat, pertineant, an ad heredes. reſpondit, non ad heredes, ſed ad legatariam pertinere.

---

## DE LIBERATIONE LEGATA,

## TIT. III.

*Vlpianus* libro 21. ad Sabinum.

OMnibus debitoribus ea, quæ debent, rectè legantur: licèt domini eorum ſint.

1 ¶ Iulianus ſcripſit, ſi res pignori data legetur debitori à creditore, valere legatum, haberéque eũ actionem, vt pignus recipiat, priùs quàm pecuniam ſoluat. ſic autem loquitur Iulianus, quaſi debitum non debeat lucrari. ſed ſi alia teſtantis voluntas fuit, & ad hoc peruenietur exemplo luitionis.

2. *Pomponius* libro 6. ad Sabinum.

HEredem damnatũ, à fideiuſſore non petere, à reo petere poſſe: ſed à reo petere vetitum, ſi à fideiuſſore petat, reo ex teſtamẽto teneri Celſus putat.

1 ¶ Idẽ Celſus ait, nullã dubitationẽ habere, quin, herede petere à debitore vetito, nec heres heredis petere poſſit.

3. *Vlpianus* libro 23. ad Sabinum.

LIberationem debitori poſſe legari, iam certũ eſt.

1 ¶ Sed etſi chirographum quis decedens, debitori ſuo dederit: exceptionem ei competere puto, quaſi pro fideicommiſſo huiuſmodi datione valitura.

2 ¶ Iulianus etiam libro quadrageſimo digeſtorum ſcripſit, Si quis decedens, chirographum Seij Titio dederit: vt poſt mortem ſuam Seio det, aut, ſi conualuiſſet, ſibi redderet; deinde Titius, defuncto donatore, Seio dederit; & heres eius petat debitum: Seius doli exceptionem habet.

3 ¶ Nunc de effectu legati videamus. Et ſi quidem mihi liberatio ſit relicta, cùm ſolus ſim debitor: ſiue à me petatur, exceptione vti poſſum: ſiue non petatur, poſſim agere, vt liberer per acceptilationem. Sed etſi cum alio ſim debitor, puta duo rei fuimus promittendi; & mihi ſoli teſtator conſultum voluit: agendo conſequar; non vt accepto liberer, ne etiam conreus meus liberetur contra teſtatoris voluntatem; ſed pacto liberabor. Sed quid, ſi ſoci fuimus? videamus, ne per acceptilationem debeam liberari. alioquin, dum à conreo meo petitur, ego inquietor. Et ita Iulianus libro trigenſimo ſecundo digeſtorum ſcripſit: ſi quidem ſocij non ſimus: pacto me debere liberari: ſi ſocij, per acceptilationem.

4 ¶ Conſequenter quęritur, an & ille ſocius pro legatario habeatur, cuius nomen in teſtamento ſcriptum non eſt: licet commodum ex teſtamento ad vtrumque pertineat, ſi ſocij ſunt. & eſt verum non ſolùm eum, cuius nomen in teſtamento ſcriptum eſt, legatarium habendum: verùm eum quoque, qui non eſt ſcriptus, ſi & eius contemplatione liberatio relicta eſſet.

5 ¶ Vtrique autem legatarij habentur & in hoc caſu. nam & ſi quod ego debeo Titio, ſit ei legatum mei gratia, vt ego liberer: nemo me negabit legatarium: vt & Iulianus eodẽ libro ſcribit, & Marcellus notat, vtriuſque legatum eſſe, tam meum, quàm creditoris mei, & ſi ſoluendo fuero. intereſſe enim creditoris, duos reos habere.

4. *Pomponius* libro 7. ex Plautio.

QVid ergo eſt, cùm agere poterit creditor ex teſtamento? non aliter heres condemnari debebit, quàm ſi caueatur ei, aduerſus debitorem defenſum iri. item agente debitore, nihil ampliùs heres præſtare debet, quàm vt eum aduerſus creditorem defendat.

5. *Vlpianus* libro 23. ad Sabinum

SI quis reum habeat, & fideiuſſorem; & reo liberationem leget: Iulianus ibidem ſcripſit, reum per acceptilationem liberandum. alioquin, ſi fideiuſſorem cœperit conuenire, alia ratione reus conuenitur. Quid tamen, ſi donationis cauſa fideiuſſor interuenit, nec habet aduerſus reum regreſſum? vel quid, ſi ad fideiuſſorem pecunia peruenerit, & ipſe reum dederit vice ſua, ipſeque fideiuſſerit? pacto eſt reus liberandus. Atquin ſolemus dicere, pacti exceptionem fideiuſſori dandam, quæ reo competit. ſed cùm alia ſit mens legantis, alia paciſcentis, nequaquam hoc dicimus.

1 ¶ Quòd ſi fideiuſſori ſit liberatio legata; ſine dubio (vt & Iulianus ſcripſit) pacto erit fideiuſſor liberandus. ſed & hic puto interdum acceptilatione liberandum, ſi vel reus ipſe verè fuit, aut in eam rem ſocius reus.

2. ¶ Idem Iulianus eodem libro ſcripſit, ſi filiusfamiliàs debitor fuerit, & patri eius fuerit liberatio relicta: patrem pacto liberandum eſſe, ne etiam filius liberetur. & parui (inquit) refert, ſi ſit aliquid in peculio die legati cedente, nécne. ſecuritatem enim pater per hoc legatum conſequitur, maximè (inquit) cùm rei iudicandæ tempus circa peculium ſpectetur. Huic patri ſimilem facit Iulianus maritum, cui vxor poſt diuortium liberationem dotis legauit. nam & hunc, licet die legati cedente, ſoluendo non ſit; legatarium eſſe: & vtrumque ait, ſolutum repetere non poſſe. Sed eſt verius, quod Marcellus notat: patrem petere poſſe. nondum enim erat debitor, cum ſolueret: maritum non poſſe, quod debitum ſoluit. patrem enim etſi quis debitorem exiſtimauerit, attamen loco eſſe condicionalis debitoris: quem ſolutũ repetere poſſe, non ambigitur.

3 ¶ Sed ſi damnatus ſit heres filiũ liberare, non adicit Iulianus, vtrùm acceptilatione filius, an pacto ſit liberandus. ſed videtur hoc ſentire, quaſi acceptilatione debeat liberari. quæ res patri quoque proderit, quod optinendum eſt: niſi euidenter approbetur, contrarium ſenſiſſe teſtatorẽ, id eſt, ne filius inquietetur, non ne pater. tunc enim acceptilatione eum non liberandum, ſed pacto.

4 ¶ Idem Iulianus ſcripſit: ſi pro filio pater fideiuſſerit, eique liberatio ſit legata: eum pacto liberandum, quaſi fideiuſſorem, non quaſi patrem: & ideo de peculio poſſe cõueniri. hoc ita demum putat, ſi dumtaxat quaſi fideiuſſorem eum voluit teſtator liberari. ceterum ſi & quaſi patrem: & de peculio erit liberandus.

6. *Iauolenus* libro 6. Epiſtularum.

POſt emancipationem verò filij eatenus pater actionē habebit, quatenus aliquid ex peculio, aut in rem verſo præſtaturus eſt. id enim legatorum nomine ad patrem pertinebit, quod eius intererit.

1 ¶ Illud quæri poteſt, an eo quoque nomine pater ex teſtamento agere poſſit, vt etiam filius actione liberetur. quibuſdam, eo vſque extendi actionem, placebat. quia patris intereſſe videatur, ſi peculium filio poſt emancipationem conceſſiſſet, integrum ius eius permanere. ego contrà ſentio: nihil quicquam ampliùs patri præſtandum ex eiuſmodi ſcriptura teſtamenti puto, quàm vt nihil ex eo, quod præſtaturus heredi fuerit, præſtet.

7. *Vlpianus* libro 23. ad Sabinum.

NOn ſolùm autem, quod debetur, remitti poteſt: verumetiam pars eius, vel pars obligationis: vt eſt apud Iulianum tractatum libro trigeſimo tertio digeſtorum.

1 ¶ Si is, qui ſtipulatus Stichum aut decem damnauerit heredem, Stichum non petere: legatum valere, conſtat. ſed, quid contineat, videamus. & Iulianus ſcribit, actionē ex teſtamēto in hoc eſſe videri, vt debitor acceptò liberetur. quę res vtique debitorē & in decem liberaVit: quia acceptilatio ſolutioni comparatur. & quemadmodum ſi Stichum ſoluiſſet debitor, liberaretur: ita & acceptilatione Stichi liberari.

2 Sed ſi debitorem decem, damnatus ſit heres viginti liberare: idem Iulianus ſcriBſit libro trigeſimo tertio, nihilominùs eſſe liberandum decem. nam & ſi ei viginti accepto ferantur, in decem liberabitur.

3 ¶ Sed ſi, duobus heredibus inſtitutis, alterum ex his damnauerit, creditori ſoluere: valet legatum propter coheredem: eúmque ex teſtamento acturum, vt creditori ſoluatur.

4 ¶ Liberatio autem debitori legata ita demum effectū habet, ſi non fuerit exactū id à debitore, dum viuat teſtator. ceterùm, ſi exactū eſt, euaneſcit legatū.

5 ¶ Vnde quærit Iulianus: ſi ab impuberis ſubſtituto ſit liberatio relicta; deinde impubes exegerit, quod debetur: an euaneſcat legatum. & cùm conſtet, pupillum in his, quæ à ſubſtituto relinquuntur, perſonam ſuſtinere eius, à quo ſub condicione legatur: conſequens eſt, ſubſtitutum actione ex teſtamento teneri, ſi pupillus à debitore exegerit.

6 ¶ Idémque eſt, & ſi pupillus non exegerit, ſed ſolummodò litem ſit conteſtatus: teneri eum, vt remittat actionem.

7 ¶ Nam & ſi debitori liberatio ſub condicione legata fuiſſet; & vel lis fuiſſet conteſtata, vel etiam exactum pendente condicione: ex teſtamento actio maneret, liberatione relicta.

8. *Pomponius* libro 6. ad Sabinum.

NOn ſolùm noſtrum debitorem, ſed & heredis, & cuiuslibet alterius, vt liberetur, legare poſſumus.

1 ¶ Poteſt heres damnari, vt ad certum tempus non petat à debitore. ſed ſine dubio nec liberare eū intra id tempus debebit. &, ſi debitor deceſſerit, ab herede eius intra id tempus peti non poterit.

2 ¶ Illud videndum eſt, an eius temporis, intra quod petere heres vetitus ſit, vel vſuras vel pœnas petere poſſit. & Priſcus Neratius exiſtimabat, committere eum aduerſus teſtamentum, ſi petiſſet. quod verum eſt.

3 ¶ Tale legatum, *Heres meus à ſolo Lucio Titio ne petito*, ad heredem Lucij Titij non tranſit, ſi nihil viuo Lucio Titio aduerſus teſtamentum ab herede, eo quòd ab eo exigere debitum temptauit, ſi commiſſum. quotiens enim cohæret perſonæ id, quod legatur, veluti perſonalis ſeruitus, ad heredem eius non tranſit. ſi non coheret, tranſit.

4 ¶ Si verba liberationis in rem ſint collata: pro eo eſt, quaſi heres ab eo debitore, heredéque eius petere vetitus ſit. vt adiectio heredis perinde nihil valeat, atque non eſſet valitura, ipſius debitoris perſona non comprehenſa.

5 ¶ Is, qui reddere rationes iuſſus ſit, non videtur ſatisfacere, ſi reliquum reddat, non editis rationibus.

6 ¶ Si heres vetitus ſit agere cum eo, qui negotia defuncti geſſerit: non videtur obligatio ei prælegata; quæ dolo vel ex fraude eius, qui negotia geſſerit, commiſſa ſit: & teſtator id videtur ſenſiſſe. ideo ſi heres negotiorum geſtorum egiſſet: agens procurator ex teſtamento incerti; doli mali exceptione excludi poteſt.

7 ¶ Et ei liberatio rectè legatur, apud quem depoſuero, vel cui commodauero; pignorive dedero, vel ei, quem ex furtiua cauſa mihi dare oportet.

9. *Vlpianus* libro 24. ad Sabinum.

SI quis rationes exigere vetetur; vt eſt ſæpiſſimē reſcriptum: non impeditur reliquas exigerē, quas ſe reliquauit; & ſi quid dolo fecit, qui rationes geſſit. Quòd ſi quis & hæc velit remittere, ita debet legare: *Damnas eſto heres meus, quidquid ab eo exegeris illa vel illa actione, id ei reſtituere, vel actionem ei remittere.*

10. *Iulianus* libro 33. Digeſtorum.

SI damnatus heres fuerit; à fideiuſſore quidem non petere; quod autem reus debet, Titio dare: paciſci debet, ne à fideiuſſore petat; & aduerſus reum actiones ſuas præſtare legatario. Quemadmodum damnatus heres ne à reo petat, & damnatus dare, quod fideiuſſor debet: & reo acceptum facere, & legatario litis æſtimationem ſufferre cogatur.

11. *Idem* libro 36. Digeſtorum.

SI debitor fideiuſſorem ſuum ab herede ſuo liberari iuſſerit, an fideiuſſor liberari debeat? reſpondit, debere. Item quæſitum eſt, an, quia mandati actione heredes tenerentur, inutile legatum eſt, quod debitor creditori ſuo legat. reſpondit quotiens debitor creditori ſuo legaret, ita inutile eſſe legatum, ſi nihil intereſſet creditoris ex teſtamēto potiùs agere, quàm ex priſtina obligatione. nam & ſi Titius mandauerit Męuio, vt pecuniam promitteret, deinde liberari eum iuſſerit à ſtipulatore: manifeſtum eſt, quantum interſit promiſſoris liberari potiùs, quàm præſtare ex ſtipulatu, deinde mandati agere.

12. *Idem* libro 39. Digeſtorum.

LVcius Titius, cùm Erotem actorem haberet, codicillis ita cauit: *Erotem liberum eſſe volo. quem rationes reddere volo eius temporis, quod erit poſt nouiſſimam meam ſubſcriptionem.* Poſtea viuus Erotem manumiſit; in eodem actu habuit. rationéſque ſubſcripſit vſque in eum diem, qui fuit ante pauciſſimos dies, quàm moreretur. heredes Lucij Titij dicunt quaſdam ſummas & ſeruum adhuc Erotem, & poſtea liberum accepiſſe; neque in eas rationes, quę à Lucio Titio ſubſcriptæ ſunt, intuliſſe. quæro, an heredes ab Erote nihil exigere debent eius temporis; quo Lucius Titius ſubſcripſit. reſpondi, Erotem ex ea cauſa, quæ proponeretur, liberationem petere non poſſe, niſi & hoc ſpecialiter ei remiſſum eſt.

13. *Idem* libro 81. Digeſtorum.

SI creditor debitori, qui ſe exceptione perpetua tueri poterat; legauerit. quod ſibi deberet: nullius momenti legatum erit. At ſi idem debitor creditori legauerit, intellegendum erit, exceptionem eum remitti creditori voluiſſe.

14. *Vlpianus* libro 1. Fideicommiſſorum.

IDem eſt, & ſi in diem debitor fuit, vel ſub condicione.

15. *Idem* libro 64. ad Edictum.

SI quis in teſtamento damnatus eſt, ne à Titio debitore exigat: neque ipſum, neque heredē eius poteſt conuenire. nam neque heredis heres agere; neque ab heredis herede poteſt peti. Heredis autem heres poteſt damnari, ne exigat debitorem.

16. *Paulus* libro 9. ad Plautium.



EI, cui fundum in quinquennium locaueram, legaui, quidquid eum mihi dare facere oportet, oporteVitvé, vt ſineret heres ſibi habere. Nerua Atilicinus, ſi heres prohiberet eum frui ex conducto: ſi iure locationis quid retineret, ex teſtamento fore obligatum aiunt: quia nihil intereſſet, peteretur, an retineret: totam enim locationem legatam videri.

17. *Iauolenus* libro 2. Labeonis Poſteriorum.

REliqua quoque in iudicio locationis venire.

18 *Paulus* libro 9. ad Plautium.

CAſſius: Etiam ſi habitatio eo modo legata eſſet, gratuitam habitationem heres præſtare deberet. & præterea placuit, agere poſſe colonum cum herede ex teſtamento, vt liberetur cōductione. quod rectiſſimè dicitur.

19. *Modeſtinus* libro 9. Regularum.

CVm ita teſtemur: *heres meus damnas eſto liberare illum, quod is negotia mea geſſit: & ſi quid eum mihi dare facere oportet, ab eo non exigere*: damnatur heres: nec creditas ab eo quoque pecunias exiget. in ſimili autem legato vix eſt, vt de eo quoque legando paterfamilias ſenſerit: quòd ſeruis eius, peculij nomine, debetur.

20. *Idem* libro 10. Reſponſorum.

A*Vrelio Sempronio fratri meo neminem moleſtari volo nomine debiti; neque exigere aliquid ab eo, quamdiu viueret, neque de ſorte, aut vſura, nomine debiti: & abſolui ei, & libero ex pignoribus eius domum, & poſſeſſionem Caperlatham.* Modeſtinus reſpondit: ipſum debitorem, ſi conueniatur, exceptione tutum eſſe: diuerſum in perſona heredis eius.

1 ¶ Gaius Seius, cùm adoleuiſſet, accepit curatores Publium Mæuium & Lucium Sempronium. ſed enim idem Gaius Seius intra legitimam ætatem conſtitutus, cùm in fatum concideret, teſtamento ſuo de curatoribus ſuis ita cauit: *Quæſtionem curatoribus meis nemo faciat. rem enim ipſe tractaui.* quæro, an rationem curæ heredes adulti à curatoribus petere poſſint: cùm defunctus (vt ex verbis teſtamenti apparet) confeſſus ſit, ſe omnem rem ſuam adminiſtraſſe. Modeſtinus reſpondit: ſi quid dolo curatores fecerunt. aut ſi quæ res teſtatoris penes eos ſunt: eo nomine conueniri eos poſſe.

21. *Terentius Clemens* libro 12. ad legem Iuliam & Papiam.

SI id, quod mihi (deberes, vel tibi vel alij legauero: idque mihi) ſolueris, vel qualibet alia ratione liberatus à me fueris: extinguitur legatum.

1 ¶ Vnde Iuliano placuit, etſi debitori heres extiterit creditor, poſteaque ipſe creditor deceſſerit, legatum extingui. & hoc verum eſt, quia confuſione perinde extinguitur obligatio, ac ſolutione.

2 ¶ Sed ſi ſub condicione dato legato heres præoccupauerit, & exegerit debitum: aliud dici oportet. quia in arbitrio heredis eſſe non debet: vt, quādoque condicione exiſtente, neque ipſi legatario debeatur legatum ſi tum viuat, & capere poſſit: neque ei, ad quem hoc commodum peruenit, ſi legatarius capere non poſſit.

22. *Papinianus* libro 19. Quæſtionum.

Q*Vod mihi Sempronius debet, peti nolo.* non tantùm exceptionem habere debitorem: ſed & fideicommiſſum, vt liberetur, petere poſſe, reſponſum eſt.

23. *Idem* libro 7. Reſponſorum.

PRocurator, à quo rationem heres exigere prohibitus, eoque nomine procuratore liberare damnatus eſt, pecuniam ab argentario debitam ex contractu, quem & procurator fecit, iure mandati cogetur reſtituere, vel actiones præſtare.

24. *Idem* libro 8. Reſponſorum.

CVm heres rogatur debitorem ſuum liberare: de eo tantum cogitatum videtur, quod in obligatione manſerit. itaque ſi quid ante tabulas apertas fuerit ſolutum, ad cauſam fideicommiſſi nō pertinebit quod autem poſt tabulas apertas ante aditam hereditatem ab eo, qui voluntatem defuncti non ignorauit, fuerit exactum, dolo proximum erit: ideóque repeti poteſt.

25 *Paulus* libro 10. Quæſtionum.

LEgaui Titio, quod mihi debetur, vel adiecta certa quantitate: ſiue ſpecie, vel non adiecta, aut ex contrario, æque cum diſtinctione: veluti: *Titio, quod ei debeo.* vel ita: *Titio centum, quæ ei debeo;* quæro, an per omnia requirendum putes, an debitum ſit. & pleniùs rogo, quæ ad hæc ſpectant, attingas cottidiana enim ſunt. reſpondi: Si is, cui Titius debebat, debitum ei remittere voluit: nihil intereſt, heredem ſuum iuſſit, vt eum liberaret, an prohibeat eum exigere. vtroque enim modo liberandus eſt debitor, & vtroque caſu competit vltrò ad liberandum debitori actio. Quòd ſi etiam centum aureorum, vel fundi debiti mentionem fecit: ſi quidem debitor fuiſſe probetur, liberandus eſt. quod ſi nihil debeat: poterit dici, quaſi falſa demonſtratione adiecta, etiam peti, quod comprehenſum eſt, poſſe. Sed poterit hoc dici, ſi ita legauit, *Centum aureos, quos mihi debet*: vel: *Stichum, quem debet, heres meus damnas eſto non petere.* Quod ſi ſic dixit: *heres meus centum aureos, quos mihi Titius debet, damnas eſto ei dare*: etiam illud temptari poterit, vt petere poſſit, quaſi falſa demonſtratione adiecta. quod mihi nequaquā placet: cùm Dandi verbum ad debitum referre ſe teſtator exiſtimauerit. Contrà autem, ſi debitor creditori leget, nullam vtilitatem video, ſi ſine quantitate leget. Sed & ſi id demonſtret, quod debere ſe confitetur: nulla vtilitas eſt, niſi in his ſpeciebus, in quibus emolumentum debiti ampliatur. Quod ſi centum aureos, quos ſe debere dixit, legauit: ſi quidem debet, inutile eſt legatum. quod ſi nō fuit debitor, placuit vtile eſſe legatum. certa enim nummorum quantitas ſimilis eſt Sticho legato cū demonſtratione falſa. idque & Diuus Pius reſcripſit, certa pecunia dotis acceptæ nomine legata.

26. *Scæuola* libro 4. Reſponſorum.

TVtor decedens, aliis heredibus ſcriptis pupillo ſuo, cuius tutelam geſſit, tertiam partem bonorum dari voluit, ſi heredibus ſuis tutelæ cauſa cōtrouerſiam non fecerit, ſed eo nomine omnes liberauerit, pupillus legatum prætulit, & poſtea nihilominùs petit, quidquid ex diſtractione aliave cauſa ad tutorem ſuum ex tutela peruenerit. quæro, an verbis teſtamenti ab his exactionibus excludatur. reſpondit: ſi priùs, quàm condicioni pareret, fideicommiſſum percepiſſet, & pergeret petere id, in quo contra condicionem faceret: doli mali exceptionem obſtaturam: niſi paratus eſſet, quod ex cauſa fideicommiſſi percepiſſet, reddere. quod ei ætatis beneficio indulgendum eſt.

27. *Tryphoninus* libro 8. Diſputationum.

VIdeamus: ſi ei, cum quo de peculio actio erit, liberatio teſtamento legata ſit: an, ſi die, quo legata cedere ſolent, niſi in peculio ſit: legatarij loco habetur. atquin nondum debitor fuit. nec procedit. vt emolumentum aliquid ex legato ad eum perueniat, niſi propter ſpem futuri peculij. numquid ergo in pendenti ſit, an legatarius fuerit: perinde atque ſi qua alia cauſa ſpem legati dubiam faceret?

28. *Scæuola* libro 16. Digeſtorum.

AVrelius Symphorus fideiuſſerat pro tutore quodam, & decedens eiſdem pupillis legauit in hæc verba: *Aurelio Lauino & Aurelio Felici ſingulis quina, cùm quis eorum quatuordecim annorum fuerit. ad quid tempus præſtari eis volo, ſingulis alimentorum nomine menſtruos denarios ſenos, & veſtiarij nomine annuos denarios viginti quinque. quo legato contenti eſſe debetis, quando tutela veſtra non minimo damno rationem meam adfligerit. à vobis autem heredes mei*

*pets, ne quid ex ratione tutelæ ab his exigere, vel ab hoc legato eorum retinere velitis.* quæſitum eſt: ſi heres eius ex cauſa fideiuſſionis aliquid præſtiterit: an herede filiorum eius, pro quo fideiuſſerat repetere poſſit: reſpondit, verbis, quæ proponerentur, id ſolum videri heredum fideicommiſſum, ne exigerent, quod ex ratione tutelæ, quam ipſe Symphorus adminiſtrauerat, ab Arelliis ſibi deberetur.

1 ¶ Teſtamento facto, debitoribus liberationem reliquerat. poſt inciſo lino, & recognito teſtamento, aliud teſtamentum fecit, in quo repetit legatum his verbis: *Quibuſque legata in eo teſtamento, quod incideram, dedi: omnia rata eſſe: & quæque ſcripta ſunt, volo.* quæſitum eſt, adita ex ſequente teſtamento hereditate, an debitores, quibus priori teſtamento liberatio relicta erat, conſequi poſſint, vt etiam eius quantitatis nomine, quam poſt prius teſtamentum debere cœperant, liberarentur: &, ſi ab his heredes petere cœperint, an doli mali exceptione ſummouerentur. reſpondit, non liberari.

2 ¶ Titius Seio debitori ſuo ita legauit: *Do lego Seio denarios decem. item dono illi, quidquid ſortis & vſurarum nomine mihi debebat.* præterea generaliter damnauit heredes, fideique eorum commiſit, vti darent, reſtituerent vnicuique, quidquid ei legaſſet. poſtea Seius aliam præterea pecuniam à Titio mutuatus eſt. quæro, an hæc quoque pecunia, quæ poſt teſtamentum factum data eſſet Seio, legata intellegitur. reſpondit, cùm in præteritum tempus verba collata proponerentur, non eſſe poſterius credendum legatum.

3 ¶ Titius, teſtamento facto, & filiis heredibus inſtitutis, de patre tutore ſuo quondam facto ita locutus eſt: *Seium patrem meum liberatum eſſe volo ab actione tutelæ.* quæro, hæc verba quatenus accipi debent. id eſt, an pecunias: quas vel ex venditionibus rerum factis, aut ex nominibus exactis in ſuos vſus conuertit, vel nomine ſuo fœnerauit, filio & heredibus teſtatoris, nepotibus ſuis debeat reddere. reſpondit, eum, cuius notio eſt, æſtimaturum. præſumptio enim propter naturalem affectum facit, omnia patri videri conceſſa: niſi aliud ſenſiſſe teſtatorem, ab heredibus eius approbetur.

4 ¶ Mæuia teſtamento ſuo alterum ex heredibus ſuis actione tutelæ voluit liberari his verbis: *Rationem tutelæ, quam egit Iulianus Paulus cum Antiſtio Cicerone, poſci ab eo nolo: eoque nomine cauſa omni liberatum eſſe volo.* quæro an, ſi qua pecunia ex tutela, apud eum remanſit, peti ab eo poſſit. reſpondit, nihil proponi, cur pecunia, quæ pupillæ eſt, & apud tutorem poſita maneret, legata videretur.

5 ¶ Teſtamento ita ſcripſerat: *Titio affini meo: quidquid mihi quacumque ex cauſa debebat, remitti volo. atque amplius decem do.* codicillis ita ſcripſit: *Titio hoc amplius affini & debitori meo vſuram pecuniæ, quam mihi debebat, ab herede meo, donec aduiuet. Quod ſi exigere vltra voluntatem meam putaueritis, eius ſortis vſuram eidem Titio ab heredibus meis, donec viuit, præſtari volo.* quæſitum eſt: cùm augendi potiùs, quàm minuendi, teſtator voluntatem habuerit, an heredes ex cauſa fideicommiſſi Titio teneantur: vt eum omni debito liberent. reſpondit, ſecundùm ea, quæ proponerentur, videri minutum legatum, quod primò dederat.

6 ¶ Legatum eſt teſtamento hoc modo: *Seio concedi volo, quidquid mihi ab eo debitum eſt, vel fidem meam pro eo obligaui,* quæro vtrùm id ſolù, quod teſtamenti facti tempore debebatur, legatum ſit: an etiam ſi quid ex ea ſumma, vſurarum nomine, poſtea acceſſit, legato cedat. reſpondit, videri omnem obligationem eius debiti per fideicommiſſum ſolui voluiſſe.

7 ¶ Sticho teſtamento manumiſſo fundum inſtructum & alia legauit, & hæc verba adiecit: *Quem rationem reddere veto, quia inſtrumenta penes ſe habet.* quæſitum eſt, an Stichus reliqua, quæ ex adminiſtratione actus debuerat, reddere debuerit. reſpondi, Stichum eo nomine non teneri. *Claudius*: Nemo enim ex ſeruitutis actu poſt libertatem tenetur: & conſultatio ad ius debiti relata fuerat. retineri ergo reliqua poſſunt cum peculio, aut ex eo deduci, ſi legatum eſt.

8 ¶ *Centum, quæ apud Apronianum depoſita habeo, apud ipſum eſſe volo, donec filius meus ad annos viginti peruenerit. eiuſque pecuniæ vſuram exigi veto.* quæſitum eſt: an ex cauſa fideicommiſſi Apronianus conſequi poſſit: ne, ante tempus à teſtatore præſcriptum, ea ſumma ab eo exigatur. reſpondit, ſecundùm ea, quæ proponerentur conſequi poſſe.

9 ¶ Filias heredes ſcripſerat, quarum fideicommiſit in hæc verba: *Ne a Gaio Seio rationes actus vel meos, quæ per menſam eius, ſiue extra menſam, in diem mortis meæ geſta eſt: exigatis. eoque nomine eum liberetis.* quæſitum eſt: cùm vniuerſas rationes in diem mortis iſte adminiſtrauerit, & per menſam ſuam, & quæ extra adminiſtrabantur: an ad rationes reddendas heredibus teneatur reſpondit, liberationem quidem ſecundum ea, quæ proponerentur, legatam eſſe: ſed, quatenus præſtanda ſit, ex qualitate diſceptationis iudicem æſtimaturum.

10 ¶ Eum, qui tutelam ipſius adminiſtrauerat, & fratrem ſuum, & alios quoſdam ſcripſit heredes: & tutori legauit, quæ impenderat in ſe, & fratrem ipſius, decem. quæſitum eſt, an vtile eſſet in perſona eius fideicommiſſum. reſpondit, ſi id dederit per fideicommiſſum, quod debebatur, peti non poſſe.

11 ¶ Idem quæſiit, ſi in tutoris perſona inutile eſſet: an in perſona fratris vtile videretur: quoniam illi proficeret, cuius & ipſius tutelam adminiſtraſſet. reſpondit, fratri vtiliter eſſe legatum: cùm ſuo debito liberetur.

12 ¶ Idem quæſiit, ſi tutor amplecteretur fideicommiſſum ita, vt quibuſdam ſtari vellet verbis teſtamenti, in quibuſdam autem recedat, quòd minorem quantitatem ſumptuum dicat fideicommiſſo contineri, quàm ipſe erogauerat: an audiri deberet. reſpondit, non impediri eum ſcriptura teſtamenti, quo minus omne, quod ſibi deberi probaſſet, petere poſſet.

13 ¶ Quidam ita legauit: *Semproniæ vxori meæ reddi iubeo ab heredibus meis quinquaginta ea, quæ mutua acceperam chirographo particulatim in negotia mea.* quæſitum eſt, an, ſi verè vxoris debitor fuerit, fideicommiſſum conſtiterit. reſpondit, ſi debita fuiſſet, nullum eſſe fideicommiſſum.

14 ¶ Idem quæſiit: an ſi hanc pecuniam vt debitam apud iudicem petierit. & victa fuerit: an fideicommiſſum peti poſſit. reſpondit, ſecundum ea, quæ proponuntur, poſſe ex cauſa fideicommiſſi peti, quod apparuiſſet non fuiſſe ex alia cauſa debitum.

29. *Paulus* libro 6. ad Legem Iuliam & Papiam.

SI is, qui duos reos promittendi habet, damnauerit heredem, vt vtroſque liberet: ſi alter ex his capere non poſſit, nec ſocij ſint: delegari debebit is, qui nihil capit, ei, cui hoc commodum lege competit. cuius petitione vtrumque accidit: vt & hoc commodum ad eum perueniat: & is, qui capit, liberetur. Quod ſi ſocij ſint: propter eum, qui capax eſt, & ille capit per conſequentias, liberato illo per acceptilationem. id enim eueniret, etiam ſi ſolum capacem liberare iuſſus eſſet.

30. *Idem* libro 16. Quæſtionum.

PEtitor vel poſſeſſor damnauit heredem ſuum, ne centumuirale iudicium exerceat. de effectu legati quæritur. & dictum, ita demum vtile videri legatum eſſe, ſi malam cauſam aduerſarius teſtatoris habuit; vt litigante herede vinci debuerit. tunc enim non tantum litis emolumentum, ſed etiam ſumptus heres legatario præſtare cogitur. nam in bona cauſa nihil videtur eſſe in legato nec propter ſumptus: quod quidam exiſtimauerunt.

31. *Scæuola* libro 3. Reſponſorum.

CReditor debitori legauit ita: *Gaio Seio, quidquid mihi ſ…*



*damnas eſto dare.* id legatum videtur, quod teſtamenti tempore fuiſſet. quia præſens tempus ſemper intellegeretur, ſi aliud comprehenſum non eſſet. nam cùm dicit, *Veſtem meam, argentum meum:* hac demonſtratione *meum* præſens, non futurum tempus oſtendit. Idem eſt, & ſi quis ita legauerit, *Serui mei.*

8 *Idem* libro 9 ad Plautium.

PLautius: Mulier ita legauit: *Quiſque mihi heres erit, Titiæ veſtem meam, mundum, ornamentaque muliebria damnas eſto dare.* Caſſius ait, ſi non appareret, quid ſenſiſſet, omnem veſtem ſecundum verba teſtamenti legatam videri. *Paulus*: Idem Iauolenus ſcribit. quia veriſimile eſt, (inquit) teſtatricem tantum ornamentorum vniuerſitati derogaſſe, quibus ſignificationem muliebrium accommodaſſet accedere eo: quòd illa demonſtratio *Muliebria* neque veſti, neque mundo applicari, ſalua ratione recti ſermonis poteſt.

9. *Modeſtinus* libro 9. Regularum.

CVm centum auri vel argenti pondus legatum eſt: ſi non ſpecies deſignata ſit: non materia, ſed pretium præſentis temporis præſtari debet.

10. *Pomponius* libro 5. ad Quintum Mucium.

QVintus Mucius ait: Si paterfamilias vxori vas, aut veſtimentum, aut quippiam aliud ita legauit, *Quæ eius cauſa empta paratáve eſſent*: id videtur legaſſe, quod magis illius, quàm communis vſus cauſa paratum eſſet. *Pomponius*: Sed hoc verum eſt: non ſolùm ſi ipſius viri & vxoris communis vſus: ſed etiam ſi liberorū eius, aut alterius alicuius, communis vſus fuerit, id enim videtur demonſtraſſe, quod proprio vſui vxoris comparatum ſit. Sed quod Quintus Mucius demonſtrat, vas, aut veſtimentum, aut quid aliud: efficit, vt falſa ſint, quæ ſubiecimus. multùm enim intereſt, generaliter, an ſpecialiter legentur hæc. nam ſi generaliter, (veluti ita, *Quæ vxoris cauſa comparata ſunt*) vera eſt illius definitio. ſi vero ita ſcriptum fuerit, *Veſtem illam purpuram*, vt certa demonſtraret: licet adiectum ſit, *Quæ eius cauſa empta paratáve eſſent*: licet neque empta, neque parata, neque in vſum ei data ſint: legatum omnimodo valet. quia certo corpore legato, demonſtratio falſa poſita non peremit legatum. veluti ſi ita ſit ſcriptum: *Stichum, quem ex venditione Titij emi.* nam ſi neque emit, aut ex alia venditione emit: legatum nihilo minus valet. Plane ſi ita legatum fuerit: *Vas, aut veſtimenta*, aut *quæ vxoris cauſa parata ſunt*: tunc æque erit vera Quinti Mucii ſententia. quo caſu ſciendum eſt, etiam ſi alienæ res hæ fuerint, quas putauit teſtator ſuas eſſe, heredem teneri, vt eas det.

11. *Proculus* libro 5. Epiſtularum.

SI quis legauerit aurum, gemmas, margaritas, quæ in eo auro eſſent etiam id aurum, cui neque gemmæ, neque margaritæ ineſſent, legaſſe videtur.

12. *Papinianus* libro 17 Quæſtionum.

SI imaginem legatam heres deraſit, & tabulam ſoluit: poteſt dici, actionem ex teſtamento durare. quia legatum imaginis, non tabulæ fuit.

13. *Scæuola* libro 15. Digeſtorum.

VXori quis legauit his verbis: *Mundum muliebrē omnem, ornamenta, & quidquid viuus dedi, donaui, eius cauſa comparaui, cōfeci: id omne dari volo.* quæſitum eſt, an carrucha dormitoria cum mulis, cùm ſemper vxor vſa ſit, ei debeatur. reſpondit, ſi eius vſus cauſa habita eſſet, deberi. Idem quæſiit, an ex eadem clauſula veſtis, quam ancillis, vel lecticarijs eiuſdem vxoris ſuæ comparauerat, vel fecerat, præſtanda eſſet. reſpondit, præſtandam.

14. *Pomponius* libro 5 ad Sabinum.

SI ſtatuam legauero, & poſtea ex alia ſtatua brachium ei adiecero: omnimodo ſtatua à legatario vindicari poteſt.

15. *Scæuola* libro 15. Digeſtorum.

SPecies auri & argenti Seiæ legauit, & ab ea petiit in hæc verba: *A te Seia peto, vt, quid tibi ſpecialiter in auro, argento legaui, id, cum morieris, reddas reſtituas illi & illi vernis meis. quarum rerum vſumfructum, dum viues, tibi ſufficiet.* quæſitum eſt, an vſusfructus auri & argenti ſolus legatariæ debeatur. reſpondit, verbis, quæ proponerentur, proprietatem legatam, addito onere fideicommiſſi.

16. *Idem* libro 18. Digeſtorum.

FIliam in poteſtate patris manentem mater ſcripſit heredem, eique patrem Meuium ſubſtituit, & ita ſcripſit: *Quiſquis mihi heres erit, fidei eius committo, vti ornamenta mea omnia, aurum, argentum, veſtimenta, quibus ego vſa ſum, ne veneant, & filiæ meæ reſeruentur.* quæſitum eſt: cùm filia recuſante, pater ex ſubſtitutione heres extitiſſet, & inteſtato deceſſiſſet, filia autem bonis eius abſtinuerat: an fideicommiſſum petere poſſit. reſpondit, ſecundùm ea, quæ proponerentur, videri patris vtiliter fideicommiſſum. *Claudius*: Quoniam verbo Seruandi quod ſcriptum eſt, videri in id tempus dilatum fideicommiſſum, quo ſui iuris futurus eſſet is, cui dabatur.

17 *Vlpianus* libro 21. ad Sabinum.

SI gemmæ ex anulo legetur, vel aliæ materiæ iunctæ, vel emblemata: rectè legantur, & ſeparantur, & præſtanda ſunt.

18. *Scæuola* libro 22 Digeſtorum.

QVi vxori ſuæ legauerat bonorum ſuorum decimam, & mancipia, & ſpecies argenti, quas expreſſerat: eidem anulos & veſtem reddi ab heredibus petit, quaſi propria vxoris fuiſſent. quæſitum eſt, ſi vxoris non fuerint, an præſtari ex cauſa legati deberent. reſpondit, legandi animo dediſſe ea videri: niſi contrarium ab herede approbetur.

1 ¶ Idem teſtator fidei commiſit vxoris, vt, quidquid ad eam ex teſtamento eius perueniſſet, alumno communi reſtitueret. quæſitum eſt, an etiam eas res, quas proprias vxoris ſuæ fuiſſe teſtator ſciat, eique reddi præcepit, alumno præſtare debeat. reſpondit: ſi propriæ fuiſſent, non debere: ſi legato adquirerentur, debere.

2 ¶ Mulier teſtamento, & poſtea codicillis multas ſpecies veſtis, argenti, quas vel ipſa ſe confeciſſe, vel habere ſignificauit, ſpecialiter per fideicommiſſum reliquit. quæſitum eſt, an non aliæ legatariis cederent, quàm quæ in hereditate inuentæ eſſent. reſpondit, eas cedere, quæ inuentæ eſſent.

19. *Vlpianus* libro 20. ad Sabinum.

CVm aurum vel argentum legatum eſt: quidquid auri argentique relictum ſit, legato continetur ſiue factum, ſiue infectum. pecuniam autem ſignatam placet eo legato non contineri.

1 ¶ Proinde ſi certum pondus auri ſit legatum, vel argenti: magis quantitas legata videtur: nec ex vaſis tanget.

2 ¶ Sed ſi argenti facti pondo centum ſint legata: ex facto argento debebitur legatum. Vnde eſt quæſitum apud Celſum an & vaſcula poſſit ſeparare. & ſcripſit, vaſcula non ſeparaturum, licet ei optio fuerit relicta.

3 ¶ Idem Celſus libro nonodecimo quæſtionum quærit. ſi centum pondo argenti fuerint relicta, an replumbari debeant, vt ſic appendantur. & Proculus, & Celſus aiunt, exempto plumbo appendi debere. nam & emptoribus replumbatæ adſignantur, & in rationes argenti pōdus ſic defertur. quæ ſententia habet rationem. 4 ¶ Planè ſi cui vaſcula argentea, vtputa lances quadratæ ſint legatæ: etiam plumbum, quo continentur, eum ſequetur.

5 ¶ Simili modo quæritur, ſi cui argentum legetur, an emblemata aurea, quæ in eo ſunt, eum ſequantur. & Pomponius libro quinto, ex Sabino diſtinguit multum intereſſe, certum pondus ei argēti facti legetur, an verò argentū factū. ſi pōdus, nō cōtineri. ſi argentum factum, contineri: quoniam argento cedit, quod ad ſpeciem argenti iunctum eſt.

Quemadmodum claui aurei & purpuræ pars ſunt veſtimentorum. Idem Pomponius libris epiſtularum.

ET ſi non ſunt claui veſtimentis conſuti: tamen veſte legata contineri. 6 ¶ Idem Celſus libro nonodecimo digeſtorum, commentariorum ſeptimo ſcribit,auro legato ea,quæ inaurata ſunt, non deberi:nec aurea emblemata,quæ in abſidibus argenteis ſint. 7 ¶ An autem auri appellatione anuli aurei contineantur, quæritur & Quintus Saturninus libro decimo ad edictum ſcribit,contineri.

8 ¶ Lectum plane argenteum,vel ſi qua alia ſupellex argenti appellatione non continetur, ſi numero argenti habita non eſt. Vt in iunctura argentea ſcio me dixiſſe,quod non in argentario paterfamilias reponebat.Sed nec candelabra,nec lucernæ argenteæ,vel ſigilla, quæ in domo repoſita ſunt, vel imagines argenteæ, argenti appellatione continebuntur. nec ſpeculum vel parieti adfixum,vel etiã quod mulier mundi cauſa habuit. ſi modò non in argenti numero habita ſunt. 9 ¶ Argento facto legato,Quintus Mucius ait,vaſa argentea contineri. veluti parapſidas:acetabula,tryllas,pelues,& his ſimilia.non tamen,quæ ſupellectilis ſunt.

10 ¶ Sed cui vaſa ſint legata: non ſolùm ea continentur, quæ aliquid in ſe recipiant edendi, bibendique cauſa paratum, ſed & quæ aliquid ſuſtineant.& ideo ſcutellas,vel promulſidaria contineri.Repoſitoria quoque continebuntur. nam vaſorũ appellatio generalis eſt.dicimus vaſa vinaria,& naualia. 11 ¶ Infecti autẽ argenti appellatio rudem materiam continet,id eſt,non factam. Quid ergo,ſi cœptum ſit argentum fabricari,nondum perfectũ: vtrùm facti, an infecti appellatione contineatur, dubitari poteſt. ſed puto magis facti. Certe ſi iam erat factum,ſed celabatur : facti appellatione continebitur. An & celati continebitur, quod celari cœpit?& puto contineri,ſi cui forte celatum ſit argentum legatum. 12 ¶ Si cui eſcarium argentum legatum ſit:id ſolum debebitur, quod ad epulandum in miniſterio habuit,id eſt,ad eſum & potum. Vnde de aquiminario dubitatũ eſt.& puto contineri.nam & hoc propter eſcam paratur. Certe ſi caccaVos argenteos habebat,vel miliarium argẽteum, vel ſartaginem,vel aliud vas ad coquendum:dubitari poterit,an eſcario contineantur.& hæc magis cocinatorij inſtrumenti ſunt.

13 ¶ Perueniamus & ad gemmas incluſas argento auroque.& ait Sabinus,auro argentoue cedere.ei enim cedit,cuius maior eſt ſpecies. quod rectè expreſſum. ſemper enim,cùm quærimus,quid cui cedat,illud ſpectamus,quid cuius rei ornandæ cauſa adhibetur:vt acceſſio cedat principali. cedent igitur gemmæ fialis vel lancibus,incluſæ auro argentove. 14 ¶ Sed & in coronis menſarum gemmæ coronis cedent:& hæ menſis.

15 ¶ In margaritis quoque & auro idem eſt.nam, ſi margaritæ auri ordinandi gratia adhibitæ ſunt, auro cedunt.ſi contrà,aurum margaritis cedet.

16 ¶ Idem & in gemmis annulis incluſis.

17 ¶ Gemmæ autem ſunt perlucidæ materiæ.quas (vt refert Sabinus libris ad Vitellium) Seruius à lapillis eo diſtinguebat : quod gemmæ eſſent perlucidæ materiæ,velut ſmaragdi,chryſoliti, amethuſti:lapilli autem contrariæ ſuperioribus naturæ,vt obſiani,venientani.

18 ¶ Margaritas autem nec gemmis nec lapillis contineri,ſatis conſtitiſſe,ibidem Sabinus ait.quia concha apud rubrum mare & creſcit, & coaleſcit. 19 ¶ Murrina autem vaſa in gemmis non eſſe, Caſsius ſcribit. 20 ¶ Auro legato,vaſa aurea continentur:& gemmis, gemmea vaſa ſecundùm hæc: ſiue gemmæ ſint in aureis vaſis, ſiue in argenteis: auro, argentove cedent. quoniam hoc ſpectamus, quę res cuius rei ornandæ cauſa fuerit adhibita, non quæ ſit pretioſior.

20. *Paulus* libro 3 ad Sabinum.

SI,vt habiliter gemmæ geri poſsint, incluſæ auro fuerint:tum aurum gemmis dicimus cedere.

21. *Pomponius* libro 6. ad Sabinum.

IN argento potorio verùm id dumtaxat ſit,in quo bibi poſsit:an etiam id, quod ad præparationem bibendi comparatum eſt,veluti colum miVarium,& vrceoli:dubitari poteſt,ſed propius eſt,vt hæc quoque inſint. 1 ¶ Vnguentis legatis,non tantùm ea legata videtur,quibus vnguimur voluptatis cauſa, ſed & valetudinis,qualia ſunt,commagena,glaucina,crina,roſa,mura, colum, nardum purum. hoc quidem,etiam quo elegantiores ſint & mundiores, vngũtur feminæ. 2 ¶ Sed de aquiminario Caſsius ait,conſultum ſe reſpondiſſe,cùm alteri argentum potorium,alteri eſcarium legatum eſſet:eſcario cedere.

22. *Vlpianus* libro 22. ad Sabinum.

VEſtimentum id eſt,quod detextum eſt, etſi deſectum non ſit:id eſt,ſi ſit conſummatum. Quod in tela eſt, nondum pertextum vel detextum : contextum appellatur. Quiſquis igitur veſtem legauerit:neque ſtamen,neque ſubtemen legato continebitur.

23. *Idem* libro 44. ad Sabinum.

VEſtis,an veſtimenta legentur nihil refert.

1 ¶ Veſtimentorum ſunt omnia lanea,lineaque,vel ſerica,vel bombucina,quæ induendi, præcingendi,amiciendi,inſternendi, iniciendi, incũbandive cauſa parata ſunt, & quæ his acceſsionis vice cedunt.quæ ſunt inſitæ picturæ,clauique,qui veſtibus inſuuntur.

2 ¶ Veſtimenta omnia aut virilia ſunt,aut puerilia,aut muliebria,aut communia, aut familiarica. Virilia ſunt,quæ ipſius patrisfamiliæ cauſa parata ſunt:veluti togæ,tunicæ,palliola, veſtimenta ſtragula,amſitapa,& ſaga,reliquáque ſimilia.Puerilia ſunt, quæ ad nullum alium vſum, pertinent, niſi puerilem: veluti togæ prætextæ, aliculæ, chlamydes,pallia,quæ filiis noſtris comparamus. Muliebria ſunt,quæ matrisfamiliæ cauſa ſunt comparata,quibus vir non facile vti poteſt ſine vituperatione:veluti ſtolæ,pallia,tunicæ,capitia, zonæ,mitræ,quæ magis capitis tegendi,quàm ornandi cauſa,ſunt comparata, plagulæ, penulæ. Communia ſunt, quibus promiſcue vtitur mulier cum viro. veluti ſi eiuſmodi penula,palliúmve eſt, & reliqua huiuſmodi, quibus ſine reprehenſione vel vir vel vxor vtatur.Familiarica ſunt quæ ad familiam veſtiendam parata ſunt : ſicuti ſaga,tunicæ, penulæ, lintea,veſtimenta,ſtragula,& conſimilia.

3 ¶ Veſtis etiam ex pellibus conſtabit.

24. *Paulus* libro vndecimo ad Sabinum.

CVm & tunicas, & ſtragula pellicia nonnulli habeant.

25 *Vlpianus* libro 44. ad Sabinum.

ARgumento ſunt etiam nationes quædam,veluti Sarmatarum,quæ pellibus teguntur.

1 ¶ Ariſto etiam coactilia veſti cedere ait,& tegimenta ſubſelliorum huic legato cedere.

2 ¶ Vittæ margaritarum,item fibulæ,ornamentorum magis,quàm veſtis ſunt.

3 ¶ Tapeta veſti cedunt:quæ aut ſterni, aut inici ſolent. Sed ſtragulas,& babylonica, quę equis in ſterni ſolent,non puto veſtis eſſe.

4 ¶ Faſciæ crurales,pedulesque, & impilia veſtis loco ſunt:quia partem corporis veſtiunt.Alia cauſa eſt odonum : quia vſum calciamentorum præſtant.

5 ¶ Ceruicalia quoq. veſtis nomine continẽtur.

6 ¶ Si quis addiderit *Veſtem ſuam*: apparet, de ea eum ſenſiſſe,quam ipſe in vſus ſuos habuit.

7 ¶ Culcitæ etiam veſtis erunt. 8 ¶ Item pelles caprinæ & agninæ veſtis erunt. 9 ¶ Muliebri veſte legata:& infantilem contineri,& puellarum,& virginum Pomponius libro viceſimo ſecundo ad Sabinum rectè ſcribit. mulieres enim omnes dici, quęcunque ſexus femini ſunt, 10 ¶ Ornamenta muliebria ſunt,quibus mulier ornatur : veluti inaures, armillæ,viriolæ, anuli præter ſignatorios,& omnia,



pia,quæ ad aliam rem nullam parantur,niſi corporis ornandi cauſa. quo ex numero etiam hęc ſunt, aurum,gemmę,lapilli: quia aliam nullam in ſe vtilitatem habent. Mundus mulieris eſt, quo mulier mundior ſit. Continentur eo ſpecula, matulæ, vnguenta,vaſa vnguentaria, & ſi qua ſimilia dici poſſunt:veluti labrum,riſcus. Ornamentorum hæc,vittæ,mitræ,ſemimitræ.calautica, acus cum margarita, quam mulieres habere ſolent, reticula, crocufantia. Sicut & mulier poteſt eſſe munda, non tamen ornata:vt ſolet contingere in his, quæ ſe emundauerint lotæ in balneo,neque ſe ornauerint. & contrà eſt aliqua ex ſomno ſtatim ornata,non tamen communda. 11 ¶ Margaritæ,ſi non ſoluta ſunt; vel qui alij lapides,ſi quidem exemptiles ſint;dicendum eſt, ornamentorum loco haberi. Sed etſi in hoc ſint reſoluti vt componantur : ornamentorum loco ſunt. Quòd ſi adhuc ſint rudes lapilli, vel margaritæ, vel gemmæ:ornamentorum loco non erunt : niſi alia mens fuit teſtantis, qui hæc quoque quæ ad ornamenta parauerat, ornamentorum loco & appellatione comprehendi voluit. 12 ¶ Vnguenta, quibus valetudinis cauſa vnguimur, mundo non continentur.

26. *Paulus* libro 11. ad Sabinum.

QVamuis quædam ex veſte magis ornatus gratia,quàm quo corpus tegant,comparentur : tàmen,quod eo nomine ſint reperta, potiùs habenda eſſe veſtis numero,quàm ornamentorum. Similiter ornamentorum eſſe conſtat,quibus vti mulieres venuſtatis & ornatus cauſa cœperunt. neque referre,ſi quædam eorum alium quoque vſum præbeant,ſicuti mitræ,& analemata. quamuis enim corpus tegant, tamen ornamentorum,non veſtis eſſe.

27. *Vlpianus* libro 44. ad Sabinum.

QVintus Mucius libro ſecundo iuris ciuilis ita definit argentum factum vas argenteum videri eſſe. 1 ¶ An,cui argentum omne legatum eſt, ei nummi quoque legati eſſe videantur,quæritur.& ego puto,non contineri. non facilè enim quiſquam argenti numero nummos computat. item argento facto legato,puto,niſi euidenter contrà ſenſiſſe teſtatorem appareat,nummos non contineri. 2 ¶ Argento omni legato,quod ſuum eſſet :ſine dubio non debetur id,quod in credito eſſet hoc ideo, quia non videtur ſuum eſſe,quod vindicari non poſsit.

3 ¶ Cui aurum,vel argentum factum, legatum eſt:ſi fractum aut colliſum ſit: non continetur. Seruius enim exiſtimat, aurum vel argentum factũ id videri,quo commodè vti poſſumus:argentum autem fractum & colliſum non incidere in eam definitionem,ſed infecto contineri. 4 ¶ Cui legatum eſt aurum omne : quod ſuum eſſe, cùm moreretur, vindicare potuit:ſuum eſſe. Sed ſi qua diſtributio eius rei facta eſt:tunc intereſt, quomodo ſit legatum. Si factum aurum legatum eſt : omne ad eum pertinet,cui legatum eſt,ex quo auro aliquid eſt effectũ; ſiue id ſuæ,ſiue alterius vſionis cauſa paratum eſſet: veluti vaſa aurea,emblemata, ſigna, aurum muliebre & cætera,quæ his rebus ſunt ſimilia. Sed ſi infectum legatum eſt : quod eius ita factum eſt, vt eo, quod ad rem comparatum eſt,non poſsis vti ſine refectione,quódque ab eo patrefamilias infecti numero fuerat;id videtur legatum eſſe. Si autem aurum vel argentum ſignatum legatum eſt:id paterfamilias videtur teſtamento legaſſe, quod eius aliqua forma eſt expreſſum:veluti quæ Filippi ſunt, itémque nomiſmata,& ſimilia. 5 ¶ Argento legato,non puto,ventris cauſa habita ſcafia contineri: quia argenti numero non habentur. 6 ¶ Argentum factum rectè quis ita definierit,quod neque in maſſa,neque in lamina,neque in ſignato,neque in ſupellectili, neque in mundo,neque in ornamentis inſit.

28. *Alfenus Varus* libro 7. Digeſtorum.

CVm in teſtamento alicui argentum, quod vſus ſui cauſa paratum eſſet,legaretur; itèmque veſtis,aut ſupellex:quæſitum eſt, quid cuiuſque vſus cauſa videretur paratum eſſe:vtrùmne id argentum, quod victus ſui cauſa paratum paterfamilias ad coTidianum vſum paraſſet : an & ſi eas menſas argenteas, & eius generis argentum haberet, quo ipſe non temerè vteretur,ſed commodare ad ludos,& ad cæteras apparationes ſoleret. & magis placet, quorum victus ſui cauſa paratum eſt,tantum contineri.

29. *Florentinus* libro 11. Inſtitutionum.

SI quando alterius generis materia,auro argentóve iniecta ſit:ſi factum aurum, vel argentum legetur:& id quod iniectum eſt,debetur. 1 ¶ Vtra autem vtrius materiæ ſit acceſsio, viſu atque vſu rei, conſuetudinis patrisfamilias æſtimandum eſt.

30. *Paulus* libro ſingulari de aſsignatione libertorum.

SI quis ita legauerit : *Vxori meæ mundum, ornamenta,ſeu quæ eius cauſa paraui,do lego* : placet omnia deberi.Sicuti cùm ita legatur:*Titio vina, quæ in vrbe habeo,ſeu in portu,do lego*:omnia deberi. Hoc enim verbum *ſeu* ampliandi legati gratia poſitum eſt.

31. *Labeo* libro 2. Poſteriorum à Iaboleno Epitomatorum.

QVi lancem maximam,minorem, minimam relinquebat:ita legauérat : *Lancem minorem illi lego*:mediæ magnitudinis videri legatam lancem reſponſum eſt,ſi non appareret, quam lancem ex his paterfamilias demonſtrare voluiſſet.

32. *Paulus* libro 2. ad Vitellium.

PEdiculis argenteis adiuncta ſigilla ænea, cæteráque omnia,quæ ad eandem ſimilitudinem redigi poſſunt,argento facto cedunt. 1 ¶ Auro facto adnumerantur gemmæ anulis incluſæ:quippe anulorũ ſunt.Cymbia argentea cruſtis aureis illigata:margaritæ;quæ ita ornamentis muliebribus contextæ ſunt vt in his aſpectus auri potentior ſit;auro facto adnumerantur. Aurea emblemata;quæ in lapidibus,apſidibus argenteis eſſent,& replum Vari poſſent;deberi, Gallus ait.ſed Labeo improbat.Tubero autem,quod teſtator auri numero habuiſſet, legatum deberi ait. alioquin aurata & incluſa vaſa alterius materiæ,auri numero non habenda. 2 ¶ Argento potorio vel eſcario legato;in his;quæ dubium eſt, cuius generis ſint;conſuetudinem patrisfamilias ſpectandam : non etiam in his,quæ certum eſt eius generis non eſſe.

3 ¶ Quidam primipilaris vxori ſuæ argentum eſcarium legauerat. quæſitum eſt:cùm paterfamilias in argento ſuo vaſa habuerit;quibus & potabat & edebat:an legato hæc quoque vaſa continerentur.Scęuola reſpondit,contineri.

4 ¶ Idem:cùm quæreretur de tali legato; *Hoc amplius filia mea dulciſsima è medio ſumito, tibique habeto ornamentum omne meum muliebre cum auro,& ſi qua alia muliebria apparuerint*;cùm teſtatrix negotiatrix fuerit;an non ſolum argẽtum, quod in domo vel intra horreum vſibus eius fuit,legato cedit; ſed etiam quod in baſilica fuit muliebre:reſpondi,ſi teſtatrix habuit proprium argentum ad vſum ſuũ paratum,non videri id legatum, quod negotiandi cauſa venale proponi ſoleret:niſi de eo quoque ſenſiſſe, is qui petat,probet. 5 ¶ Neratius Proculum refert ita reſpondiſſe:vaſis electrinis legatis; nihil intereſſe, quantum ea vaſa,de quibus quæritur, argenti aut electri habebant. Sed vtrùm argentum electro,an electrum argento cedat:id ex aſpectu vaſorum faciliùs intellegi poſſe.quòd ſi in obſcuro ſit:inſpiciendũ eſt,in vtro numero ea vaſa is,qui teſtamentum fecit,

habuerit. 6 ¶ Labeo teſtamento ſuo Neratiæ vxori ſuæ nominatim legauit: *Veſtem, mundum muliebrem omnem, ornamentáque muliebria omnia, lanam, linum, purpuram, verſicoloria, facta infectáque omnia*, & cætera: ſed non mutat ſubſtantiam rerum non neceſſaria verborum multiplicatio: quia Labeo teſtamento lanam, ac deinde verſicoloria ſcripſit; quaſi deſit lana tincta, lana eſſe. detractóque verbo *verſicolorio*, nihilo minùs etiam verſicoloria debebuntur: ſi non appareat, aliam defuncti voluntatem fuiſſe. 7 ¶ Titia mundum muliebrem Septiciæ legauit, ea putabat, ſibi legata & ornamenta & monilia, in quibus gemmæ & margaritæ inſunt, & anulos, & veſtem tam coloriam, quàm verſicoloriam. quæſitum eſt, an hæc omnia mundo continentur. Scæuola reſpondit, ex his, quæ proponerentur, dumtaxat argumentum Valneare mundo muliebri contineri. 8 ¶ Item cùm inaures, in quibus duæ margaritæ elenchi, & ſmaragdi duo, legaſſet: & poſtea elenchos eiſdem detraxiſſet: & quæreretur, an nihilo minùs, detractis elenchis, inaureis deberentur: reſpondit, deberi, ſi maneant inaures, quamuis margarita eis detracta ſint. 9 ¶ De alio idem reſpondit; cùm quædam ornamentum mamillatum ex cylindris triginta quattuor & tympanis margaritis triginta quattuor legaſſet; & poſtea quattuor ex cylindris, etiam ſex de margaritis detraxiſſet.

33. *Pomponius* libro 4. ad Quintum Mucium.

INter veſtem virilem & veſtimenta virilia nihil intereſt. ſed difficultatem facit mens legantis, ſi & ipſe ſolitus fuerit vti quadam veſte, quæ etiam mulieribus conueniens eſt. itaque ante omnia dicendũ eſt; eam legatam eſſe, de qua ſenſerit teſtator; non quæ re vera aut muliebris, aut virilis ſit. nam & Quintus (Titius) ait, ſcire ſe quendam ſenatorem muliebribus ſenatoriis vti ſolitum, qui, ſi legaret muliebrem veſtem, non videretur de ea ſenſiſſe, qua ipſe quaſi virili vtebatur.

34. *Idem* libro 9. ad Quintum Mucium.

SCribit Quintus Mucius; Si aurum ſuum omne paterfamilias vxori ſuæ legaſſet: id aurum, quod auri faciundum dediſſet, aut quod ei deberetur, ſi ab aurifice ei repenſum non eſſet, mulieri non debetur. *Pomponius*, Hoc ex parte verum eſt, ex parte falſum. Nam de eo, quod debetur, ſine dubio, vtputa ſi auri libras ſtipulatus fuerit, hoc aurum, quod ei debetur ex ſtipulatu, non pertinet ad vxorem: cùm illius factum adhuc non ſit. id enim, quod ſuum eſſet, non quod in actione haberet, legauit. In aurifice falſum eſt. ſi aurum dederit, ita vt ex eo auro aliquid ſibi faceret. nam tunc; licet apud aurificem ſit aurum; dominium tamen non mutabit; manet tamen eius, qui dedit; & tantùm videtur mercedem præſtaturus pro opera aurifici. per quod eò perducimur, vt nihilo minùs vxori debeatur. Quòd ſi aurum dedit aurifici, vt non tamen ex eo auro fieret ſibi aliquod corpuſculum, ſed ex alio: tunc, quatenus dominium tranſit eius auri ad aurificem, (quippe quaſi permutationem feciſſe videatur) & hoc aurum non tranſibit ad vxorem. 1 ¶ Item ſcribit Quintus Mucius: ſi maritus vxori, cùm haberet quinque pondo auri, legaſſet ita; aurum quodcumque vxoris cauſa paratum eſſet, vti hæres vxori daret: etiam ſi libra auri inde veniſſet, & mortis tempore ampliùs, quàm quattuor libræ non deprehenduntur: in totis quinque libris hæredem eſſe obligatum. quoniam articulus eſt præſentis temporis demonſtrationem in ſe continẽs. Quod ipſum, quantum ad ipſam iuris obligationem pertineat, rectè dicetur: id eſt, vt ipſo iure heres ſit obligatus. verùm ſciendum, Si in hoc alienauerit teſtator inde libram, quòd deminuere vellet ex legato vxoris ſuæ: tunc mutata voluntas defuncti locum faciet doli mali exceptioni: vt, ſi perſeuerauerit mulier in petendis quinque libris, exceptione doli mali ſubmoueatur. Sed ſi ex neceſſitate aliqua compulſus teſtator, non quòd vellet diminuere ex legato: tunc mulieri ipſo iure quinque libræ auri debebuntur, nec doli mali exceptio nocebit aduerſus petentem. 2 ¶ Quod ſi ita legaſſet vxori; *Aurum, quod eius cauſa paratum erit*: tunc rectiſsimè ſcribit Quintus Mucius, vt hæc ſcriptura habeat in ſe & demonſtrationem legati & argumentum. ideóque ipſo iure, alienata libra auri, amplius quattuor pondo non remanebunt in obligatione. nec erit vtendum diſtinctioni, qua ex cauſa alienauerit teſtator.

35. *Paulus* libro 14. Reſponſorum.

T*Itiæ amicæ meæ, cum qua ſine mendacio vixi, auri pondo quinque dari volo.* quæro, an hæredes ad præſtationem integræ materiæ auri, an ad pretium, & quantum præſtandum compellendi ſint. Paulus reſpondit; aut aurum ei, de qua quæritur, præſtari oportere: aut pretium auri, quanti comparari poteſt. 1 ¶ Item quæro; ſi lite conteſtata prætor ita pronuntiauit, vt materia præſtetur; an tutores audiẽdi ſint ab hac ſententia pupillũ, aduerſus quem pronuntiatum eſt, apud ſucceſſorem eius in integrum reſtituere volentes. Paulus reſpondit; prætorem; qui, auro legato certi ponderis, materiam præſtari iuſsit, rectè pronuntiaſſe videri.

36. *Scæuola* libro 3. Reſponſorum.

S*Eiæ dulciſſimæ poculum aureum, quod elegerit, fidei heredum committo, vt darent.* quæro, cùm in hereditate non ſint niſi triellæ, ſcyphi, modioli, phialæ, an Seia de his Speciebus eligere poſsit. reſpondit; cùm omnia potui parata, pocula dicuntur: poſſe eam ex his eligere.

37. *Paulus* libro 21. Reſponſorum.

ORnamentorum appellatione veſtem muliebrẽ non contineri, nec errorem hæredis ius mutaſſe, reſpondi.

38. *Scæuola* libro 3. Reſponſorum.

TItia teſtamento, item codicillis multas ſpecies tã argenti, quàm veſtis ſpecialiter per fideicommiſſum reliquit. quæro, an non aliæ ſpecies legato cedant, quàm quæ in hæreditate inuentæ eſſent. reſpondit; eas cedere, quæ inuenta Eſſent, de cæteris cauendum, vt ſi inuenta Eſſent, præſtentur. 1 ¶ *Semproniæ piæ hoc ampliùs copertoria Tabiana, & tunicas tres cum palliolis, quæ ei gerit, dari volo.* quæro, an ex vniuerſa veſte, id eſt an ex ſynthesi, tunicas ſingulas, & palliola Sempronia eligere poſsit. reſpondit, ſi eſſent tunicæ ſingulares cum palliolis relictæ, ex his dumtaxat eligi poſſe: quod ſi non eſt; hæredem vel tunicas & palliola, ſet ex ſynthesi præſtaturum, vel veram æſtimationem earum. 2 ¶ Seia teſtamento ita cauit: *Si mihi per condicionem humanam contigerit, ipſa faciam. ſin autem: ab heredibus meis fieri volo, iubeóque, ſignum Dei ex libris centum in illa ſacra æde, & in patria ſtatui ſubſcriptione nominis mei.* quæſitum eſt: cùm in eo templo non niſi aut ærea aut argentea tantùm ſint dona: heredes Seiæ vtrùm ex argento, an ex auro ſignum ponere compellendi ſunt, an æreum. reſpondit, ſecundùm ea quæ proponerentur, argenteum ponendum.

39. *Iauolenus* libro 2. ex Poſterioribus Labeonis.

SI vxori mundus muliebris legatus eſſet: ea tantummodò deberi, Ofilius, Labeo reſponderunt, quæ ex his tradita vtendi cauſa vxori viro fuiſſent. aliter enim interpretantibus, ſummam fore captionem, ſi vaſcularius, aut faber argentarius vxori ita legaſſet. 1 ¶ Cùm ita legatum eſſet, *Argentum quod domo meæ erit, cùm moriar*: Ofilius, nec quod depoſitum à ſe, nec quod commodatũ reliquiſſet, argentum legatum videri, reſpondit. idem Caſcellius de commodato. Labeo, quod depoſitum eſſet, ita deberi, ſi præſtaris



*mihi ſub pignore hortorum ſuorum debuit, ab heredibus meis dari volo.* quæro, cùm teſtator viuus à Seio aliquid recipit, an id ex cauſa legati peti poſſit. reſpondit, ſecundum ea, quæ proponerentur, non poſſe. Idem repetiit: & ait, item teſtatorem ante factos codicillos, quibus legauit, pænè omnem pecuniam ſortis & vſurarum recepiſſe, ita vt modicum ſortis & vſurarum debeatur: & quæſiit, an ei petitio competeret propter verba ad præteritum relata, *Quicquid mihi debuit*. reſpondit: Prius quidem ſecundùm ea, quæ proponerentur, rectè reſponſum eſt. verum poſterius propter ea, quæ in tempore adderentur, ita ab iudice æſtimandum: vt inſpiceret obliuione pecuniæ ſolutæ: aut quòd eo inſcio numerata eſſet, id feciſſet, an conſulto, quòd quantitatem quõdam debitam, non ius liberationis: dare voluiſſet. 1 ¶ Inter cetera liberto ita legauit: *Et ſi quid me viuo geſſit, rationes ab eo exigi veto.* quæritur: an chartas, in quibus rationes conſcriptæ ſunt: item reliquas, ſecundum accepta & expenſa, heredibus reddere debeat. reſpondit: ea, de quibus quæreretur, poſſe heredem vindicare: id autem, quod conſeruis, qui remanent in hereditate, crediderit, & in rem domini verſum eſſet, deſiiſſe in reliquis eſſe. 2 ¶ Titia, quæ duos tutores habuerat, ita cauit: *Rationem tutelæ meæ, quam egit Publius Mæuius cum Lucio Titio, repoſci ab eo nolo.* quæritur, an, ſi qua pecunia apud eum ex tutela remanſit, peti ab eo poſſit. reſpondit, nihil proponi, cur non pecunia, quæ pupillæ eſſet, & apud tutorem remaneret, legata videretur. 3 ¶ Item quæritur, an contutor liberatus videretur. reſpondit, contutorem non liberari. 4 ¶ *Gaio Seio epiſtolæ meritis hoc amplius lego, concedique volo, neque ab eo peti, neque ab heredibus eius, quicquid mihi aut chirographis aut rationibus debitor eſt, vel quidquid à me mutuum accepit, vel fidem meam pro eo obligaui.* quæro: vtrùm id ſolùm, quod eo tempore, quo teſtamentum fiebat, debebatur, legatum ſit: an & ſi quid ex ea ſumma, vſurarum nomine, poſtea acceſſit: legato cedat. reſpondit, ſecundùm ea, quæ proponerentur, videri omnem obligationem Seio eius debiti per fideicommiſſum ſolui voluiſſe. 5 ¶ Item quæritur: ſi poſtea nouatione facta, & ampliata ſumma, cœperit debere: an id, quod ex vetere contractu debebatur, nihilominus in cauſa legati duret: & an verò, nouatione facta, quaſi nouus debitor ampliatæ ſummæ poſſit conueniri. reſpondit id dumtaxat legatum videri, quod tunc debuiſſet: ſi tamen manſit in ea voluntate teſtator, quæ tunc fuiſſet.

DE ADIMENDIS VEL TRANSFERendis legatis vel fideicommiſſis,

TIT. IIII.

*Paulus* libro 3. ad Sabinum.

QVi, actu legato, iter adimat: nihil adimit: quia numquàm actus ſine itinere eſſe poteſt.

2. *Pomponius* libro 5. ad Sabinum.

FVndo legato, adimi ita poteſt: *Fundum illi præter vſumfructum neque do neque lego*: vt vſusfructus in legato relinquatur. 1 ¶ Sed & fructus adimi poteſt, vt proprietas relinquatur. 2 ¶ Item pars fundi legati adimi poteſt.

3. *Vlpianus* libro 24 ad Sabinum.

SI quis ita legauerit: *Titio fundum do lego. ſi Titius deceſſerit, Seio heres meus dare damnas eſto*: rectè trãſlatum legatum videtur. ſed etſi iam mortuo eo, cui legatum erat, eaſdem res tranſtulerit: Sempronio debetur. 1 ¶ Si quis Titio legauerit ſic: *Titio dato: aut, ſi Titius ante deceſſerit, quàm acceperit, Sempronio dato*: ſecundum meram ſuptilitatem vtrique obligatum videri heredem: id eſt, & Sempronio, & heredi Titij. ſed ſi quidem mora Titio ab herede facta eſt: ad heredes eius legati exactio tranſmittitur Sempronio repellendo. ſin autem nulla mora interceſſerit: tunc Sempronius legatum accipit, & non Titij heredes. ſed ſi ante diem legati cedentem deceſſerit Titius: ſoli Sempronio debetur legatum. 2 ¶ Idem dicendum eſt, & fideicommiſſa hereditate puero data: aut, ſi ante reſtitutam deceſſiſſet, matri eius relicta: vt, ſi puer ante diem legati cedentem deceſſiſſet, matri debeatur: ſi poſtea, ad pupilli heredes fideicommiſſum tranſmittatur, vtpote re ipſa mora ſubſecuta. 3 ¶ Sed & cùm quis ita legaſſet: *Heres meus Titio dato: ſi non dederit, Sempronio dato*: ita demum Sempronio debetur, ſi dies eius in perſona Titij non ceſſiſſet. 4 ¶ Si quis ita legauerit: *Heres meus Titio fundum dato: &, ſi Titius eum fundum alienauerit, heres meus eundem fundum Seio dato*: oneratus eſt heres. non enim à Titio fideicommiſſum relictum eſt, ſi alienaſſet fundum, ſed ab herede ei legatum eſt. heres igitur debebit, doli exceptione poſita, proſpicere ſibi cautione à Titio de fundo non alienando. 5 ¶ Si quis plus, quàm dedit, ademerit: ademptio valet. veluti ſi quis viginti legauerit, & quadraginta ademerit. 6 ¶ Si loci vſumfructum leget teſtator, & iter adimat: non valet ademptio. nec vitiatur legatum. Sicuti qui proprietatem fundi legat: iter adimendo, legatum non minuit. 7 ¶ Si duobus Titiis ſeparatim legauerit, & vni ademerit: nec appareat, cui ademptum ſit: vtrique legatum debetur. quemadmodum & in dando, ſi nõ appareat, cui datum ſit, dicemus neutri legatum. 8 ¶ Si Titio fundus pure, eidémque ſub condicione legatus ſit: deinde poſtea ademptum ſit ſic: *Titio fundum, quem ſub condicione legaui, heres meus ne dato*: ex nulla datione debetur: niſi ſpecialiter dixerit, pure eum legatum velle accipere 9 ¶ Condicio legati an adimi poſſit, vel hereditatis, vel ſtatuliberi, videndum. & Iulianus ſcribit, in ſtatulibero detractam condicionem non repræſentare libertatem. Papinianus quoque libro ſeptimodecimo quæſtionum ſcribit generaliter, condicionem adimi non poſſe. nec enim datur. (inquit) condicio, ſed adſcribitur. quod autem adſcribitur, non poteſt adimi, ſed quod datur. ſed melius eſt ſenſum magis, quàm verba amplecti, & condiciones, ſicut adſcribi, ita & adimi poſſe. 10 ¶ Cum Titio centum teſtamento legaſſet: & eidem codicillis ita legaſſet, *Titio quinquaginta dumtaxat, nec amplius heres meus dato*: non amplius quinquaginta legatarium petiturum. 11 ¶ Non ſolùm autem legata, ſed & fideicommiſſa adimi poſſunt, & quidem nuda voluntate. Vnde quæritur, an etiam inimicitiis interpoſitis fideicommiſſum non debeatur. & ſi quidem capitales vel grauiſſimæ inimicitiæ interceſſerint ademptum videri, quod relictum eſt. ſin autem leuis offenſa, manet fideicommiſſum. Secundùm hæc & in legato tractamus, doli exceptione oppoſita.

4. *Idem* libro 35. ad Sabinum.

QVòd ſi iterum in amicitiam redierunt, & pœnituit teſtatorem prioris offenſæ: legatum vel fideicommiſſum relictum redintegratur. ambulatoria enim eſt voluntas defuncti vſque ad vitæ ſupremum exitum.

5 *Gaius* libro 2. ad Edictum vrbicum.

SIcut adimi legatum poteſt, ita & ad alium trãſferri: veluti hoc modo: *Quod Titio legaui, id Seio do lego.* quæ res in perſonam Titij tacitam ademptionem continet.

6. *Paulus* libro 5. ad Legem Iuliam & Papiam.

TRanſlatio legati fit quattuor modis. aut enim à perſona in perſonam transfertur: aut ab eo, qui dare iuſſus eſt, transfertur, vt alius det: aut cùm res pro re datur, vt pro fundo decem aurei: aut quod pure datum eſt, transf-

fertur ſub condicione.

1 ¶ Sed ſi id, quod à Titio dedi, à Mæuio dem: quamuis ſoleant eſſe duo eiuſdem rei debitores: tamen verius eſt, hoc caſu ademptum eſſe legatum. nam cùm dico: *Quod Titium dare damnaui, Seius damnas eſto dare*: videor dicere, ne Titius det.

2 ¶ Item ſi pro fundo decem legentur: quidam putant, non eſſe ademptum prius legatum: ſed verius eſt, ademptum eſſe. nouiſſima enim voluntas ſeruatur.

7. *Vlpianus* libro 24. ad Sabinum.

QVòd ſi alij legetur ſub condicione, quod alij pure datum eſt: non plene receſſum videtur à primo: ſed ita demum, ſi condicio ſequentis exſtiterit. ceterùm ſi hoc animo fuerit teſtator, vt omnimodo receſſum à primo putauerit: dicendum erit, à primo ademptum legatum.

8. *Iulianus* libro 32. Digeſtorum.

ET ideo ſi viuo teſtatore mortuus fuerit is, in quē tranſlatum legatum fuerit: nihilo magis ad eum, à quo tranſlatum fuerit, pertinebit.

9. *Vlpianus* libro 5. Diſputationum.

CVm centum, quæ quis pure reliquit, condicione adiecta iterum eidem legauit: ſi quidem quaſi aliam hanc ſummam eſſe voluit: & quod pure relictum eſt, ſtatim debebitur: & quod ſub condicione adſcriptum eſt, ſi condicio exſtiterit. quod ſi eandē ſummam, mutata voluntate, ſub condicione reliquit: pura datio, condicionalis effecta videbitur. Quare ſi in eodem teſtamento, in quo centum adſcripſerat, poſtea quinquaginta reliquerit: ſi quidē alia voluit eſſe hæc quinquaginta, centum quinquaginta debebuntur: ſin vero quinquaginta tantum deberi voluit, quinquaginta tantum debebuntur. Idem eſt, & ſi in codicillis id fuerit factum.

10. *Iulianus* libro 37. Digeſtorum.

SI legatum pure datum Titio, adimatur ſub condicione; & pendente condicione, Titius deceſſerit: quamuis condicio defecerit: ad heredem Titij legatum non pertinebit. nam legatum cùm ſub cōdicione adimitur: perinde eſt, ac ſi ſub contraria condicione datum fuiſſet.

1 ¶ Quod ita legatum eſt: *Titio decem heres meus dato: ſi Titio non dederit, eadem decem Sempronio dato*: ſi moriatur Titius ante diem legati: Sempronius legatum vtiliter petet. tranſlatum enim legatum intellegi debebit.

11. *Idem* libro 54. Digeſtorum.

QVi hominem legat, & Stichum adimit: non peremit legatum, ſed extenuat.

12. *Vlpianus* libro 50. ad Sabinum.

VT Stichum legatarius eligere non poſſit:

13. *Marcianus* libro 6. Inſtitutionum.

DIui Seuerus & Antoninus reſcripſerunt, cùm teſtator poſtrema ſcriptura, quaqua ratione motus, peſſimum libertum eſſe adieciſſet: ea, quæ priori ſcriptura ei relicta fuerant, adempta videri.

14. *Florentinus* libro 11. Inſtitutionum.

LEgata inutiliter data, ademptione non confirmantur. veluti ſi, domino herede inſtituto, ſeruo pure legatum, ſub condicione adimatur. nam pure legatum ſi ſub condicione adimatur, ſub contraria condicione datum intellegitur. & ideo confirmatur. ademptio autem, quo minus, non quo magis legatum debeatur, interuenit.

1 ¶ Quibus ex cauſis datio legati inutilis eſt, ex iſdem cauſis etiam ademptio ineſficax habetur. veluti ſi viam pro parte adimas, aut pro parte liberum eſſe vetes.

15. *Paulus* libro ſingulari de adſignatione libertorum.

CVm ſeruus legatus à teſtatore, & alienatus, rurſus redemptus ſit à teſtatore, non debetur legatario, oppoſita exceptione doli mali. ſane ſi probet legatarius nouam voluntatem teſtatoris, non ſubmouebitur.

16. *Idem* ex libro ſingulari de iure codicillorum.

NIhil intereſt: inducatur, quod ſcriptum eſt: an adimatur.

17. *Celſus* libro 22. Digeſtorum.

NIhil prohibet, priorem ſcripturam poſteriore corrigere, commutare, reſcindere.

18. *Modeſtinus* libro 8. Differentiarum.

REm legatam ſi teſtator viuus alij donauerit, omnimodo extinguitur legatum. nec diſtinguimus, vtrùm propter neceſſitatem rei familiaris, an mera voluntate donauerit: vt, ſi neceſſitate donauerit, legatum debeatur: ſi nuda voluntate, non debeatur hæc enim diſtinctio in donantis munificentia non cadit: cùm nemo in neceſſitatibus liberalis exſiſtat.

19. *Idem* libro 11. Reſponſorum.

MOdeſtinus reſpondit:

SI adimendo legatum, quod Mæuio relictum ſit, fideicommiſſum ab eo datum defunctus reuocare noluit: heredes ex cauſa fideicommiſſi conueniri poſſe, rectè probari.

20. *Pomponius* libro 1. ad Quintum Mucium.

LIcet transferam legatum in eum, cum quo nobis teſtamenti factio non eſt, ſiue in ſeruū proprium, cui ſine libertate legauero: licet eis non debeatur: nec illi tamen debebitur, cui fuerit ademptum.

21. *Licinnius Rufinus* lib. 4. Regularum.

LEgatum nulli alij adimi poteſt, quàm cui datum eſt. quapropter ſi filio, aut ſeruo alieno legatum fuerit: domino, aut patri legatum adimi non poteſt.

22. *Papinianus* libro 6. Reſponſorum.

EX parte heres inſtitutus, etiam legatum acceperat. eum teſtator inimicitiis grauiſſimis perſecutus, cùm teſtamentum aliud facere inſtituiſſet, neque perficere potuiſſet, præteriit. hereditariæ quidem actiones ei non denegabuntur: ſed ſi legatum ſi petat, exceptione doli mali ſubmouebitur.

23. *Idem* libro 7. Reſponſorum.

PAter, inter filios facultatibus diuiſis, filiam ex ratione primipili commodorum trecentos aureos accipere voluit: ac poſtea de pecunia commodorum poſſeſſionem parauit. nihilominus fratres & coheredes ſorori fideicommiſſum præſtabunt. non enim abſumptum videtur, quod in corpus patrimonij verſum eſt, cùm autem, inter filios diuiſo patrimonio, res indiuiſas ad omnes coheredes pertinere voluiſſet: ita poſſeſſionem ex commodis comparatam diuidi placuit, vt in eam ſuperflui pretij filia portionem hereditariam accipiat. hoc enim eueniret, in bonis pecunia relicta.

24. *Idem* libro 8. Reſponſorum.

LEgatum ſub condicione datum, cùm transfertur, ſub eadem condicione transferri videtur, ſi non condicio priori perſonæ cohæreat nam ſi quis vxori *Sublatis liberis* legauerit, repetita condicio non videbitur, quæ fuit in perſona mulieris neceſſaria.

1 ¶ Pater hortos inſtructos filiæ legauit: poſtea quædam ex mancipiis hortorum vxori donauit. ſiue donationes confirmauit, ſiue non confirmauit: poſterior voluntas filiæ legato potior erit. ſed etſi non valeat donatio, tamen minuiſſe filiæ legatum pater intellegitur.

25. *Idem* libro 9. Reſponſorum.

ALteri ex heredibus præceptionē prædij dedit: mox alteri præſtari aduerſus debitorem actiones ad eum finē mandauit, quo prædium fuerat cōparatum cùm poſtea prædio diſtracto citra vllā offenſam eius, qui præceptionem acceperat, pretium in corpus patrimonij rediſſet: non eſſe præſtandas actiones coheredi, reſpondi.

26. *Paulus* libro 9. Quæſtionum.

SI ſeruo cum libertate dato legato, & alienato adimatur libertas: quamuis alieno inutili-





ter adimatur: tamen legatum ad emptorem non peruenturum. & merito: conſiſtit enim ademptio, quia poſſit redimi. ſicut datio, cùm in eum confertur, qui teſtamenti faciendi tempore fuit teſtatoris, deinde alienato codicillis libertas datur.

1 ¶ Quid ergo, ſi eum, quem liberum eſſe quis iuſſerat, manumiſerat viuus, deinde codicillis libertatem ei ademerit? videamus, an perdiderit legatum vana ademptio libertatis. quod quidam putant. ſed ſuperuacua ſcriptura non nocet legato.

27. *Idem* libro 21. Quæſtionum.

SEruus legatus eſt, & ei aliquid, ſi alienato eo adimatur, quod ei legatum eſt: valet ademptio: quia & legatum poteſt procedere, ſi redimatur.

1 ¶ Seruo legato, & inter viuos manumiſſo, ſi legatum adimatur: nullius momenti ademptio eſt. igitur legatum, quod ipſi datum eſt, capiet. nam etſi rurſus in ſeruitutem ceciderit, non tamen legatum eius reſuſcitabitur. nouus enim videtur homo eſſe.

28. *Valens* libro 5. Fideicommiſſorum.

SI tibi certam rem legauero; & rogauero te, vt eam Titio reſtitueres: deinde eandem rem tibi fideicommiſero: nec rogauero te, vt alij eam præſtares: quæritur, an in tua poteſtate ſit, ex cauſa fideicommiſſi eligere, vt fideicommiſſum nō præſtes. & magis poſteriorem ſcripturam teſtamenti placuit ſpectari.

29. *Paulus* libro 3. Sententiarum.

LIbertus qui in priore parte teſtamenti legatum acceperat, & ingratus poſtea eadem ſcriptura à teſtatore appellatus eſt; commutata voluntate, actionē ex teſtamento habere non poteſt.

30. *Scæuola* libro 20. Digeſtorum.

ALumnæ ſuæ plura legauerat. quædam ex his abſtulit. quædam vt præſtarentur, ab herede ſuo petiit: in quibus & viginti dari voluit his verbis: *Hoc amplius do lego, darique volo viginti auri libras.* & adiecit: *fideique tuæ Atti committo, vt in primis Semproniam ſororem tuam pro tua pietate & regere & tueri velis: & ſi putaueris eam ad bonam vitæ conſuetudinem reuerſam, ita viginti auri libras ei reddere, cùm nupſerit: interim tamen reditum eius, id eſt vſuras ſemiſſes, ei præſtes.* poſtea codicillis ad Mæuium legatarium eaſdem viginti libras auri tranſtulit, & fidei eius commiſit in hæc verba: *Viginti libras auri, quas teſtamento Semproniæ alumnæ meæ reliqui, eas dari volo Mæuio, cautionibus interpoſitis, vt ex ea ſumma eidem Semproniæ, quamdiu aduixerit, præſtet menſtruos denarios quinque, & veſtiarij nomine denarios centenos vicenos quinos. idque fidei veſtræ committo. Certa ſum autem, te, Mæui, pro tua pietate petiturum ab herede tuo, vt voluntas mea in perſona alumnæ meæ duret*: quæſitum eſt, an Mæuius legatarius cogendus ſit poſt mortem ſuam viginti libras auri Semproniæ reſtituere, ſicut rogatus fuerat Attius heres. reſpondit, ſecundùm ea, quæ proponerentur, viginti quidem auri libras non cogendum præſtare: ſed alia, quæ ab eo alimentorum nomine relicta ſunt, deberi à Mæuio, & ab herede eius donec viuit alumna.

1 ¶ Titia teſtamento Seiam libertam, eandémque collactaneam, ex parte duodecima heredem inſtituerat. Pamphilo liberto ſuo prædia per fideicommiſſum dedit: in quibus & σύγκτησιν latifundium prædiorum, quæ appellabatur circa Colonem. eidem liberto poſtea per epiſtulam alias etiam res donauit, in quibus de Seia & Pāphilo ita eſt locuta Titia: Τοῖς κληρονόμοις μου χαίρειν. Βούλομαι βέβαια εἶναι τὰ ὑπ' ἐμοῦ ταγμένα, ὅσα ἐχαρισάμην εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Παμφίλου ἀπελευθέρου. ἐὰν Σεία ἡ σύντροφός μου κληρονόμος μὴ γένηται ἐξ οὗ γέγραφα αὐτὴν μέρους, βούλομαι αὐτῇ δοθῆναι τὴν σύγκτησιν τὴν περὶ Κολώνην. id eſt, *Heredibus meis ſalutem. Volo firma eſſe, quæ infra ordinata ſunt, quæcumque in nomen Pamphili liberti ante conſtitui. ſi Seia collactanea mea heres non fiet ex parte, ex qua eam ſcripſi: volo ei dari ſyntesin, quæ eſt circa Colonem.* quæſitum eſt: cùm Seia liberta, omiſſa parte hereditatis ei teſtamento adſcripta, ex codicillis fideicommiſſum, id eſt, συγκτησιν circa Colonem, eligat: an, ſi Pamphilus ex cauſa fideicommiſſi eadem prædia vindicet, doli mali exceptione ſummoueri debeat. reſpondit, tranſlatum videri fideicommiſſum prædiorum, id eſt σύγκτησιν, quæ eſt circa Colonem, in Seiam libertam.

2 ¶ Ab heredibus petierat, vt, ſi in prouincia deceſſiſſet, ſexaginta Lucio Titio darentur, vt is corpus eius curaret in patriam reportari: & adiecerat hæc verba: *Cui concedi volo, ſi quid ex ea pecunia ſupererit.* eadem die codicillos ad heredes ſuos ita ſcripſerat: *Peto à vobis: vt, ſiue in prouincia, ſiue in via aliquid mihi humanitus acciderit; corpus meum curetis & in Campania & in monumentum filiorum meorum reportare.* quæſitum eſt, an id, quod ſuperfuerit ex ſexaginta, à Lucio Titio tacitè ademerit. reſpōdit, ademptum videri.

3 ¶ Qui filias ex diſparibus portionibus teſtamento heredes inſtituerat, pænè omnium bonorum ſuorum eodem teſtamento diuiſionem fecit. deinde hæc verba adiecit, τὰ δὲ λοιπὰ πάντα τῶν ὑπαρχόντων μου, ὁμοίως καὶ τὰ τῆς κληρονομίας βάρη, ἔσται μόνων τῶν δύο μου θυγατέρων Πρίμης καὶ Σεκούνδης ἢ τῆς ἐξ αὐτῶν περιούσης. id eſt, *Reliqua autem omnia bona exiſtentia mihi, ſimiliter & hereditaria onera, erunt ſolùm duarum filiarum mearum, ſcilicet Primæ & Secundæ, vel quæ ex his ſubſiſtet.* poſtea codicillis longè aliam diuiſionem fecit bonorum inter eaſdem, inter quas & teſtamento diuiſerat: quædam tamen nulli nominatim dedit. quæſitum eſt, an Prima & Secunda filia ex verbis teſtamenti conſequi poſſint, vt ſolæ habeant ea, quæ nominatim nulli relicta ſunt in diuiſione, quæ nouiſſima à patre facta eſt. reſpondit, non à tota volūtate receſſiſſe videri, ſed his tantùm rebus, quas reformaſſet.

4 ¶ Cum poſt apertas tabulas teſtamenti Priſcillianus vixerit; de cuius legato, portionéque hereditatis, mater epiſtula ita cauerat: *Quoniā cognoui, Priſcillianum filium meum in extremis eſſe: iuſtiſſimum & piiſſimum duxi, portionem eius hereditatis, quam ei teſtamento dederam, legare Mariano fratri meo & Ianuario marito meo æquis portionibus. & ſi quid ei amplius legaueram, vt ſi quid ei humanitus contigerit, do lego, darique eis volo*: poſtea ex eadem infirmitate Priſcillianus deceſſit: quæſitum eſt, an legatum quoque eius ad Ianuarium & Marianum ex cauſa fideicommiſſi pertineat. reſpondit, poſſe videri, ſi deceſſiſſet ex ea infirmitate, omnimodo & legatum ad eos, de quibus quæreretur, tranſtuliſſe.

31. *Idem* libro 14. Digeſtorum.

FIlio ex parte heredi inſtituto duos fundos cum mancipiis & inſtrumēto omni legauit. idem vxori plura legata, & ſeruos Stichum & Damam legauit. ſed cùm in altero ex fundis filio prælegatis cognouiſſet vilicum non eſſe; Stichū miſit; & tam rei ruſticæ; quàm rationibus fundi præfecit. quæſitum eſt, Stichus vtrùm ad vxorem, an ad filium pertineret. reſpondit; cùm memor erat eorum, quę teſtamento cauiſſet; Stichum his prædiis, in quæ translatus eſt, actorem cedere; nec vxorem poſſe Stichum ex fideicommiſſi cauſa petere.

1 ¶ Matri ſuę heredi ex parte inſtitutæ quattuor prædia legauit; & fidei eius commiſit, vt ex his duo ſocero reſtitueret. deinde codicillis ſocero ademit fideicommiſſum. quęſitum eſt, an nihilominus ex prę legatione ad matrem pertineret. reſpondi, nihil proponi, cur ad matrē pertinerent. 2 ¶ Seia teſtamento ſuo legauit auri pondo quinque. Titius accuſauit eā, quod patrem ſuum mandiſſet interficiendum, Seia, poſt inſtitutam accuſationem, codicillos confecit:

nec ademit Titio priuigno legatum: & ante finem accuſationis deceſſit. acta cauſa, pronuntiatum eſt, patrem Titij ſcelere Seiæ non interceptum. quæro cùm codicillis legatum, quod teſtamento Titio dederat, non ademerit, an ab heredibus Seiæ Titio debeatur. reſpondit, ſecundùm ea, quæ proponerentur, non deberi.

3 ¶ Filiæ, quam in poteſtate habebat, inter cetera legauit peculium. idem poſt factum teſtamentum pecuniam à debitore filiæ exegit, & in ſuam rationem conuertit. quæro, an filia eo nomine cum heredibus patris agere poſſit. reſpondit: ſi probaret, non adimendi animo factum, agere poſſe.

32. *Venuleius* libro 10. Actionum.

DEtrahere legatis, vel adijcere, ſi nihil præter numeratam pecuniam legatum ſit, promptum eſt. cum verò res corporales interuenient: & ſcriptura difficilior fit, & obſcura portio. 1 ¶ Cùm libertas adimitur: legata ſeruis relicta nihil attinet adimi.

## DE REBVS DVBIIS, TIT. V.

*Papinianus* libro 7. Reſponſorum.

FVndum Mæuianum aut Seianum Titio legauerat. cùm vniuerſa poſſeſſio plurium prædiorum ſub appellatione fundi Mæuiani rationibus demonſtraretur: reſpondi, non videri cetera prædia legato voluiſſe defunctum cedere, ſi Seiani pretium à fundi Mæuiani pretio non magna pecunia diſtingueretur.

2. *Idem* libro 49. Reſponſorum.

CIuibus ciuitatis legatum vel fideicommiſſum datum, ciuitati relictum videtur.

3. *Paulus* libro 14. Quæſtionum.

IN ambiguo ſermone non vtrumque dicimus: ſed id dumtaxat, quod volumus. Itaque qui aliud dicit, quàm vult: neq; id dicit, quod vox ſignificat; quia non vult: neque id, quod vult; quia id non loquitur.

*Idem* libro 19. Reſponſorum.

P*Aulus reſpondit; id, quod condicionis implendæ cauſa datum eſt, ſine dubio & certis & incertis perſonis dari debere: vt fideicommiſſi petitio poſſit competere.*

4. *Idem* libro 19. Reſponſorum.

PAulus reſpondit; cùm nomen fideicommiſſarij teſtamento adſcriptum non ſit; nulli perſonæ, neq; certæ neque incertæ, datum fideicommiſſum videri, indubitatum eſt.

5. *Gaius* libro 1. Fideicommiſſorum.

QVidam relegatus: facto teſtamento, poſt heredis inſtitutionem, & poſt legata quibuſdam data ita ſubiecit: *Si quis ex heredibus ceteriſve amicis, quorum hoc teſtamento mentionem habui, ſiue quis alius reſtitutionem mihi impetrauit ab Imperatore, & antè deceſſero, quàm ei gratias agerem: volo dari ei, qui id egerit, à ceteris heredibus aureos tot.* vnus ex his, quos heredes ſcripſerat, impetrauit ei reſtitutionem, &, antequàm id ſciret, deceſſit. cùm de fideicommiſſo quæreretur, an deberetur: conſultus Iulianus reſpondit; deberi; ſed etiam ſi non heres vel legatarius, ſed alius ex amicis curauit eum reſtitui, & ei fideicommiſſum præſtari. Si tibi & poſtumo ſuo vel alieno hereditatem reſtituere quis rogauerit.

6. *Macianus* libro 3. Fideicommiſſorum.

VEl ex parte te, & ex parte poſtumum heredem inſtituiſſet; legatúmve ſimiliter, vel fideicommiſſum dediſſet.

7. *Gaius* libro 1. Fideicommiſſorum.

VTrùm ita poſtumus partem faciat, ſi natus ſit: an & ſi natus non ſit, quæritur. ego commodiùs dici puto, ſi quidem natus non eſt, minimè eum partem facere, ſed totum ad te pertinere, quaſi ab initio tibi ſolido relicto: ſin autem natus fuerit, vtroſque accipere, quantum cuique relictum eſt, vt, vno nato, pars tibi dimidia debeatur. duobus natis, tertia tibi debeatur. tribus natis, quia trigemini quoque naſcuntur, quarta debeatur. & noſtra quidem ætate Serapias Alexandrina mulier ad Diuum Hadrianum perducta eſt cum quinque liberis, quos vno fetu enixa eſt. ſed tamen quod vltra tres naſcitur, ferè portentoſum videtur. 1 ¶ Cum quidam, pluribus heredibus inſtitutis, vnius fideicommiſiſſet, vt, cùm moreretur, vni ex coheredibus, cui ipſe vellet, reſtitueret eam partem hereditatis, quæ ad eum perueniſſet: veriſſimum eſt, vtile eſſe fideicommiſſum. nec enim in arbitrio eius, qui rogatus eſt poſitum eſt, an omnino velit reſtituere, ſed cui potiùs reſtituat. plurimùm enim intereſt; verùm in poteſtate eius, quem teſtator obligari cogitat, faciat, ſi velit dare; an poſt neceſſitatem dandi, ſolius diſtribuendi liberum arbitrium concedit. 2 ¶ Quæſitum eſt; ſi coheredes ex diſparibus partibus ſcripti ſint; verùm partem ſuam in viriles partes reſtituere ſingulis debeat, an portionibus hereditatis, ex quibus heredes ſcripti ſint. & placuit: ſi teſtator ita reſtitui iuſſiſſet partem, ſi aliquam pecuniam dediſſent; ſi quidem æquas partes iuſſi fuerint dare; conueniens videri eſſe, etiam ex fideicommiſſo æquas partes eis reſtitui oportere. ſi verò diſpares in ea pecunia diſtribuenda ſignificauit teſtator, vt videantur hereditariis portionibus congruere; conſentaneum eſſe, etiam fideicommiſſum pro hereditariis partibus eis reſtitui debere.

8. *Paulus* libro 2. Sententiarum.

SI inter virum & vxorem donatio facta fuerit: priore defuncto, cui donatum eſt, ad eum res redit, qui donauerat. quod ſi ſimul tam is, cui donatum eſt; quàm is, qui donauerit: quæſtionis decidendæ gratia, magis placuit, valere donationem: eo maximè, quòd donator non ſuperuiuat, qui rem condicere poſſit.

9. *Tryphoninus* libro 21. Diſputationum.

QVi duos impuberes filios habebat: ei, qui ſupremus moritur, Titium ſubſtituit. duo impuberes ſimul in naue perierunt. quæſitum eſt, an ſubſtituto, & cuius hereditas deferatur. dixi: Si ordine vita deceſſiſſent: priori mortuo frater ab inteſtato heres erit, poſteriori ſubſtitutus: in ea tamen hereditate etiã antè defuncti filij habebit hereditatem. in propoſita autem quæſtione, vbi ſimul perierunt: quia cum neutri frater ſuperſtes fuit, quaſi vtrique vltimi decesſiſſe ſibi videantur; an verò neutri, quia comparatio poſterioris decedentis ex facto prioris mortui ſumitur? ſed ſuperior ſententia magis admittenda eſt, vt vtrique heres ſit. nam & qui vnicum filium habet, ſi ſupremùm morienti ſubſtituit, non videtur inutiliter ſubſtituiſſe. & proximus adgnatus intellegitur etiam, qui ſolus eſt, quique neminem antecedit. & hic vtrique, quia neutri eorum alter ſuperſtes fuit, vltimi primique obierunt.

1 ¶ Cùm bello pater cum filio periſſet; materque filij, quaſi poſtea mortui, bona vindicaret. adgnati verò patris, quaſi filius antè periſſet: Diuus Hadrianus credidit, patrem priùs mortuum.

2 ¶ Si cùm filio ſuo libertus ſimul perierit, inteſtati patrono legitima defertur hereditas, ſi non probatur ſuperuixiſſe patri filius. hoc enim, reuerentia patronatus ſuggerente, dicimus. 3 ¶ Si maritus & vxor ſimul perierint: ſtipulatio de dote ex capitulo, *Si in matrimonio mulier deceſſiſſet*, habebit locum, ſi non probatur illa ſuperſtes viro fuiſſe.

4 ¶ Si Lucius Titius cum filio pubere, quem ſolum teſtamento ſcriptum heredem habebat, perierit, intelligitur ſuperuixiſſe filius patri, & ex teſtamento heres fuiſſe, & filij hereditas ſucceſſoribus eius defertur, niſi contrarium approbetur. Quòd ſi impubes cum patre filius perierit, creditur pater ſuperuixiſſe, niſi & hîc contrarium approbetur.



10. *Vlpianus* libro 6. Diſputationum.

SI fuerit legatum relictum, ex cognatis meis qui primus Capitolium aſcenderit: ſi ſimul duo venerint, nec appareat, quis prior venerit, an impediatur legatum? vel ei, qui monumentum fecerit, & plures fecerint, vel ei, qui maximus natus eſt, & duo pares ætate ſint. ſed & ſi legatum Sempronio amico fuerit relictum, & duo ſint æquâ caritate coniuncti. Sed & ſi duobus hominibus eiuſdẽ nominis fuerit legatum, puta Sempronio, mox Sempronio ademptum ſit; nec appareat, cui ademptum ſit; vtrum datio in vtriuſq; perſona infringitur, an ademptio nulla eſt, quæri poteſt. Itẽ ſi ex pluribus ſeruis eiuſdẽ nominis vni, vel quibuſdam libertas relicta eſt. Et verum eſt, in his omnibus etiam legata & libertates impediri, ademptionẽ autẽ in vtroq; valere. 1 ¶ Planè ſi ita libertatẽ acceperit ancilla, *Si primum marem pepererit, libera eſto*. & hæc vno vtero marẽ & fœminam peperiſſet: ſi quidẽ certum eſt, quid priùs edidiſſet: non debet de ipſius ſtatu ambigi, vtrum libera eſſet, néc ne, ſed nec filiæ: nam ſi poſtea edita eſt, erit ingenua. ſi autẽ hoc incertum eſt, nec poteſt nec per ſubtilitatẽ iudicialẽ manifeſtari, in ambiguis rebus humaniorẽ ſententiam ſequi oportet: vt tam ipſa libertatẽ conſequatur, quàm filia eius ingenuitatẽ: quaſi per præſumptionem priore maſculo edito.

11. *Iulianus* libro 36. Digeſtorum.

QVotiens libertis vſusfructus legatur: & ei, qui nouiſsimus ſuperuixerit, proprietas: vtile eſt legatum. exiſtimo enim omnibus libertis proprietatẽ ſub hac condicione, *Si nouiſsimus ſuperuixerit*, dari.

12. *Idem* libro 50. Digeſtorum.

QVotiens in actionibus, aut in exceptionib. ambigua oratio eſt: commodiſsimum eſt, id accipi, quo res, de qua agitur, magis valeat, quàm pereat.

13. *Idem* libro ſingulari de Ambiguitatibus.

SI is, qui ducẽta depoſuit, ita leget: *Scio cum ducentis, quæ apud eum depoſui, trecenta lego*: ſingulæ ſummæ ſeparatæ quidẽ certam habẽt demonſtrationẽ, coniunctione verò tali incidunt in ambiguitatẽ. ſed dicẽdum eſt, non trecenta, ſed quingenta deberi. quia duæ ſummæ iunguntur. 1 ¶ Si quis leget, *Fundum Seianum heres meus Attio cum Dione Mæuij ſeruo dato*: dubitatur quidem, Dioni quoque fundus legatus ſit, an Dio cum fundo legatus ſit. ſed magis dicendum eſt, non ſolùm fundum, ſed etiam ſeruum Dionem eſſe legatum: maximè ſi nullas iuſtas cauſas habuit Dioni legandi. 2 ¶ Cùm ita ſtipulationem concipimus, *Si hominem aut fundum non dederis, centum dari ſpondes?* vtrumque eſt faciendum, ne ſtipulatio committatur. id eſt, ſiue alterum, ſiue neutrum factum ſit, tenebit ſtipulatio. Idémque eſt euidenter, cùm propoſitis ſpecialiter pluribus rebus, quas fieri volumus, ita ſtipulatur: *Si quid eorum factum non erit? veluti Stichum & Damam & Herotem ſiſtiſ? ſi quis eorum non ſteterit, decem dari?* neceſſe eſt enim omnes eſſe ſiſtendos, vt ſtipulationi ſatisfiat. Vel (vt propius accedamus) fingamus ita ſtipulationẽ factam, *Si Stichum & Damam, & Herotem non ſiſteris, decem dari?* neque enim dubitauimus, quin æquè omnes ſiſti oporteat. 3 ¶ Verum ita concipias ſtipulationem, *Si illud aut illud factum non erit*, an hoc modo, *Si quid eorum factum non erit, quæ vt fierent, comprehenſa ſunt*: hoc intereſt: quod quamuis altero facto verum ſit, hoc aut illud verè factum eſſe, non ideo tamen verum erit, hoc aut illud factum non eſſe. nam ſimul ea poſſunt eſſe vera, quamuis inter ſe contraria ſunt. quia cùm ſignificatio non ex vniuerſo, ſed ex aliquo ſumitur, ſi veri aliquid inde ſit, veram efficit totam orationem. Sicut è contrariò duæ orationes pugnantia continentes, ſimul falſæ ſunt. veluti ſi qui libertorum partim puberes, partim impuberes deceſſerint. nam & hoc falſum erit, omnes impuberes deceſsiſſe: & illud, omnes puberes deceſsiſſe. id accidi: quia ſignificatio ſumitur ex vniuerſo: in quo ſi aliquid falſum eſt, totam orationem falſam efficit. Animaduertendum igitur eſt, quid ſit de quo quæritur. nam cùm ita concipio, *Si illud aut illud non fuerit*: quæri debet, an aliquid factum non ſit: illius effectus hic eſt, vt neutrum fiat. huius autẽ, vt vtrumque fiat. nec in illo prodeſt, aliquid non feciſſe, ſi aliquid factum ſit: neque in hoc aliquid feciſſe ſi aliquid factum non ſit. 4 ¶ Proinde ſi quis ita interroget, *Eorum quid, quæ obijciuntur tibi, feciſti?* ille neget. hoc exprimat, Eorum quid, quæ obijciuntur, non feci. id eſt, nihil horum feci. 5 ¶ Si quis autem plura in ſtipulatum deducat, quorum vnum fieri velit, ita comprehendere debet: *Illud aut illud fieri ſpondes? ſi nihil eorum factum erit, tantum dabis.* 6 ¶ Item ſi paterfamilias in teſtamento ita ſcripſerit: *Si quis mihi filius aut filia genitur, heres mihi eſto: ſi mihi filius aut filia heres non erit, Seius heres eſto*: non ſatis voluntatem ſuam declarauit, ſi non aliter extraneum heredem eſſe volet, quàm ſi neque filius neque filia hæres ſit. hoc enim modo, concipi oportet, *Si mihi neque filius neque filia heres erit.* poteſt autem interdum ſuperior ſcriptura eſſe neceſſaria, ſi quis, cùm filium & filiam habeat, vtrumque heredem inſtituere velit, ſed, ſiue alter heres futurus ſit, extraneum miſcere: ſiue neuter, extraneum ſubſtituere. ſed procliuior eſt ſententia teſtatoris ſic eſſe interpretanda: vt, ſiue filius, ſiue filia nati ei fuerint, extraneus non admittatur, niſi ſpecialiter hoc teſtator expreſſerit.

14. *Marcianus* libro 6. Inſtitutionum.

SI quis ita ſcripſerit, *Illis, qui teſtamentum meum ſignauerint, heres meus decem dato*: Trebatius vtile legatum eſſe putat. quod Pomponius verius eſſe exiſtimat. quia ipſum teſtamentum confirmatur teſtib. adhibitis, quod verum eſſe exiſtimo.

15. *Idem* libro 2. Regularum.

QVædam ſunt, in quibus res dubia eſt, ſed ex poſt facto retroducitur & apparet, quid actum eſt. Vt ecce: ſi res legata fuerit, & deliberante legatario, eam rem hæres alij tradiderit. nam ſi quidem voluerit legatarius habere legatum, traditio nulla eſt. ſi verò repudiauerit, valet. Tantundẽ eſt, & ſi pecuniam hæreditariam legatam crediderit hæres. nam ſi quidẽ non repudiauerit legatarius, alienam pecuniam credidit. ſi verò repudiauerit, ſuam pecuniam crediſſe videtur. Quid ergò ſi conſumpta fuerit pecunia? vtique idem erit ex euentu dicendum.

16. *Idem* libro 3. Regularum.

QVod de pariter mortuis tractamus, & in aliis agitatum eſt. vt ecce, ſi mater ſtipulata eſt, dotẽ à marito, mortua filia in matrimonio, ſibi reddi, & ſimul cum filia periit: an ad hæredem matris actio ex ſtipulatu competeret? & Diuus Pius reſcripſit, non eſſe commiſſam ſtipulationem: quia mater filiæ non ſuperuixit. 1 ¶ Item quæritur: ſi extraneus, qui dotem ſtipulatus eſt, ſimul cum marito deceſſerit, vel cum ea, propter quam ſtipulatus eſſet, an ad hæredem ſuum actionem tranſmittat.

17. *Paulus* libro 12. ad Plautium.

IDem eſt, ſi dos vxori prælegata ſit, & ſimul cum marito perierit.

18. *Marcianus* libro 3. Regularum.

SEd & in illo quæritur, ſi pariter pupillus, & qui ei ſubſtitutus erat frater neceſſarius, deceſſerit, an frater fratri extiſtat hæres, an contrà,

vel ſi duo inuicem neceſſarij ſubſtituti ſunt, & vnà perierint: an hæredes exſtitiſſe videantur, vel alter alteri: hoc eſt, ſi inuicem hæreditatem rogari fuerint reſtituere. In quibus caſibus, ſi pariter deceſſerint: nec appareat quis antè ſpiritum emiſit: non videtur alter alteri ſuperuixiſſe. 1 ¶ Sed & circa legem Falcidiam; ſi dominus cùm ſeruis ſimul vita functus ſit; ſerui, quaſi in bonis eius mortis tempore fuerint, non computantur.

19. *Vlpianus* libro 25. ad Sabinum.

SI cognatis legatum ſit, & hi cognati quidem eſſe deſierunt, in ciuitate autem manent: dicendum, deberi legatum. cognati enim teſtamenti facti tempore fuerunt. Certe ſi quis teſtamenti facti tempore cognatus non fuit, mortis tempore factus eſt per adrogationem: facilius legatum conſequitur.

1 ¶ Si quis cognationi legct: idem eſt atque ſi cognatis legaſſet.

20. *Paulus* libro 11. ad Plantium.

CVm ſenatus temporibus Diui Marci permiſerit collegiis legare: nulla dubitatio eſt; quod, ſi corpori, cui licet coire, legatum ſit, debeatur. cui autem non licet, ſi legetur: non valebit, niſi ſingulis legetur. hi enim, non quaſi collegium, ſed quaſi certi homines, admittentur ad legatum.

21. *Idem* libro 14. ad Plautium.

VBi eſt verborũ ambiguitas: valet, quod acti eſt. veluti cùm Stichum ſtipuler, & ſint plures Stichi; vel hominem; vel Carthagini, cùm ſint duæ Carthagines: ſemper in dubiis id agendum eſt. vt quàm tutiſſimo loco res ſit bona fide contracta: niſi cùm apertè contra leges ſcriptum eſt.

22. *Iauolenus* libro 5. ex Caſsio.

CVm pubere filio mater nauphragio periit. cùm explorari non poſsit, vter prior exſtinctus ſit: humanius eſt credere, filium diutiùs vixiſſe.

23. *Gaius* libro 5. ad legem Iuliam & Papiam.

SI mulier cum filio impubere nauphragio periit, priorem filium necatum eſſe intellegitur.

24. *Marcellus* libro 11. Digeſtorum.

CVm in teſtamento ambiguè, aut etiam perperam ſcriptum eſt: benignè interpretari; & ſecundùm id, quod credibile eſt cogitatum; credendum eſt.

25. *Celſus* libro 22. Digeſtorum.

Q*Vem heredi meo dixero velle me liberum eſſe, liber eſto. Cui vt dare damnas ſit heres meus*, *dixero, ei heres meus dare damnas eſto.* teſtatoris voluntas, ſi quibuſdam argumentis apparebit, de quo dixit, adimplenda eſt.

26. *Idem* libro 26. Digeſtorum.

CVm quæritur in ſtipulatione quid acti ſit: ambiguitas contra ſtipulatorem eſt.

27. *Modeſtinus* libro 1. Regularum.

SI quis de pluribus vnum manumitti voluerit; nec appareat, de quo manumittendo teſtator ſenſit: nulli eorum fideicommiſſa competit libertas.

28. *Iauolenus* libro 3. ex poſteriori- bus Labeonis.

QVi habebat Flaccum fullonem, & Philonicum piſtorem: vxori Flaccum piſtorem legauerat, qui eorum, & num vterque deberetur? placuit primò eum legatum eſſe, quem teſtator legare ſenſiſſet. quòd ſi non appareret: primùm inſpiciendum eſſe, an nomina ſeruorum dominus nota habuiſſet. quòd ſi habuiſſet: eum deberi, qui nominatus eſſet, tametſi in artificio erratum eſſet. ſin autem ignota nomina ſeruorum eſſent, piſtorem legatum videri, perinde ac ſi nomen ei adiectum non eſſet.

29. *Scæuola* libro 18. Digeſtorum.

PLures teſtamento manumiſerat: in quibus Sabinum & Cyprogeniam, cùm quiſque eorum ad trigeſimum annum ætatis perueniſſent: &, cùm liber quiſque eorum eſſet, certam ſummam dari voluerat, & coniunctâ ſcriptura ita cauerat: *Sabinæ, & Cyprogeniæ dari volo, cùm ad ſtatutam ætatem peruenerint, ſingulis decem. & hoc amplius alimentorum nomine in annos ſingulos, quoad viuent. ſingulis decem.* quæſitum eſt; vtrùm omnibus manumiſsis alimenta debeantur; an verò Sabinæ & Cyprogeniæ ſolis. reſpondit ſecundùm ea quæ proponerentur, videri omnibus alimenta legata.

## DE HIS QVÆ POENÆ cauſa relinquuntur,

## TIT. VI.

*Africanus* libro Quæſtionum.

FIliofamilias vel ſeruo hærede inſtituto, etiam ſi in patris dominive pœnam illicitè vel probroſè datum eſt: nullius momenti legatum eſſe, reſpondit. non enim id ſolùm, quòd in hæredes, ſed omne, quod in cuiuſque lucrum aliquid ex vltima voluntate ſentientis, talem pœnam in teſtamento ſcriptum ſit, nullius momenti habendum.

2. *Marcianus* libro 6. Inſtitutionum.

POenam à condicione voluntas teſtatoris ſeparat. & an pœna, an condicio, an translatio ſit: ex voluntate defuncti apparet. idque Diui Seuerus & Antoninus reſcripſerunt.

## DE REGVLA CATONIANA, TIT. VII.

*Celſus* libro 35. Digeſtorum.

CAtoniana regula ſic definit: quòd ſi teſtamenti facti tempore deceſsiſſet teſtator, inutile foret: id legatum, quandocunque deceſſerit, non valere. Quæ definitio in quibuſdam falſa eſt. 1 ¶ Quid enim ſi quis ita legauerit: *Si poſt Kalendas mortuus fuero, Titio dato?* an cauillamur? nam hoc modo, ſi ſtatim mortuus fuerit, non eſſe datum legatum, verius eſt, quàm inutiliter datum. 2 ¶ Item ſi tibi legatus eſt fundus, qui ſcribendi teſtamenti tempore tuus eſt: ſi eum viuo teſtatore alienaueris, legatum tibi debetur: quod non deberetur, ſi teſtator ſtatim deceſsiſſet.

2. *Paulus* libro 4. ad Plautium.

SEd & ſi ſic legauerit, *Si filia mea Titio nupta erit*: ſufficere viſum eſt, ſi mortis tempore nupta inueniatur, licèt teſtamẽti facti tempore fuerit impubes.

3. *Papinianus* libro 15. Quæſtionum.

CAtoniana regula non pertinet ad hæreditates: neque ad ea legata, quorum dies non mortis tempore, ſed poſt aditam cedit hæreditatem.

4. *Vlpianus* libro 10. ad Sabinum.

PLacet, Catonis regulam ad condicionales inſtitutiones non pertinere.

5. *Idem* libro 22. ad Sabinum.

REgula Catoniana ad nouas leges non pertinet.

## DE HIS, QVÆ PRO NON ſcriptis habentur,

## TIT. VIII.

*Iulianus* libro 78. Digeſtorum.

SI quis hereditatem vel legatum adſcripſerit: quæritur, an hereditas vel legatum pro non ſcripto habeatur: & quid, ſi ſubſtitutum habeat. huiuſmodi inſtitutio. reſpondit: Pars hereditatis, de qua me conſuluiſti, ad ſubſtitutum pertinet. nam ſenatus, cùm pœnas legis Corneliæ conſtitueret aduerſus eum, qui ſibi hæreditatem vel legatum ſcripſiſſet, eodem modo improbaſſe videtur, quo improbatæ ſunt illæ: *Qua ex parte me Titius heredem ſcriptum in tabulis ſuis recitauerit, ex ea parte heres eſto*: vt perinde haberentur, ac ſi inſertæ teſtamento nõ fuiſſent.

2. *Alfenus Varus* libro 5. Digeſtorum.

Cuæ



QVæ in teſtamento ſcripta eſſent, neque intellegerentur, quid ſignificarent: ea perinde ſunt, ac ſi ſcripta non eſſent, reliqua autem per ſeipſa valent.

3. *Marcianus* libro 11. Inſtitutionum.

SI in metallum damnato quid, extra cauſam alimentorum, relictum fuerit: pro non ſcripto eſt, nec ad fiſcum pertinet. nam pœnæ ſeruus eſt, non Cæſaris. & ita Diuus Pius reſcripſit.

1 ¶ Sed etſi poſt teſtamentum factum heres inſtitutus vel legatarius in metallum datus ſit; ad fiſcum non pertinet.

2 ¶ Item ſi ſeruo alieno quid legatum fuerit, & poſtea à teſtatore redemptus ſit: legatum extinguitur. Nam quæ in eam cauſam peruenerunt, à qua incipere non poterant, pro non ſcriptis habentur.

4. *Vlpianus* libro 13 ad legem Iuliam & Papiam.

SI eo tempore, quo alicui legatum adſcribebatur, in rebus humanis non erat: pro non ſcripto hoc habebitur.

1 ¶ Sed & ſi in hoſtium poteſtate erat, quo teſtamentum fiebat, neque ab hoſtibus rediit: pro non ſcripto erit. & ita Iulianus ſcribit.

5. *Paulus* libro 12. Quæſtionum.

QVod quis ſibi adſcripſerit, ſi alij reſtituere à teſtatore iuſſus eſt: cum onere fideicommiſſum id apud heredem remanet, quamuis pro non ſcripto eſſet. Idem eſt & in teſtamento militis.

## DE HIS, QVAE VT INDIgnis auferuntur,

## TIT. IX.

*Marcianus* libro 6. Inſtitutionum.

DIui Seuerus & Antoninus reſcripſerũt, quaſi indignum carere legato ſeu fideicommiſſo libertum, quæ ei teſtamento patroni relicta erant, cùm patronum ſuum poſt mortem eius quaſi illicitæ mercis negotiatorem detulerat, quamuis & præmium meruit.

2. *Idem* libro 11. Inſtitutionum.

AVfertur hereditas ex aſſe, & ad fiſcum pertinet, ſi emancipatus filius contra tabulas bonorum poſſeſsionem patris vt præteritus petierit, & ex ſubſtitutione impuberis adierit hereditatem. Item ſi quis contra mandata duxerit vxorem ex ea prouincia, in qua officium aliquid gerit: quod ei ex teſtamento vxoris adquiſitum eſt, Diui Seuerus & Antoninus reſcripſerunt, retinere eum non poſſe: tamquàm ſi tutor pupillam contra decretum ampliſsimi ordinis in domum ſuam duxiſſet. vtroque ergo caſu, etſi ex aſſe heres inſtitutus adierit hereditatem, fiſco locus ſit. nam quaſi indigno ei aufertur hereditas.

2 ¶ Per contrarium autem ducta tam ab eo, qui officium in prouincia gerebat, quàm à tutore illicite: magis eſt, vt dicatur capere illam ex teſtamento: nec, quaſi indignam, eſſe repellendam.

3 ¶ Item erit, ſi quis viui ignorantis bona, vel partem bonorum alicuius cognati donauerit. nam quaſi indigno aufertur.

3 *Idem* libro 5. Regularum.

INdignum eſſe Diuus Pius illum decreuit, (vt & Marcellus libro duodecimo Digeſtorum refert) qui manifeſtiſsime comprobatus eſt id egiſſe, vt per neglegentiam & culpam ſuam mulier, à qua heres inſtitutus erat, moreretur.

4. *Vlpianus* libro 14. ad Edictum.

PApinianus libro quinto quæſtionum ait, ſi quis vnum heredem quaſi per falſum adſcriptum accuſauit: legatum ei non auferri à coherede relictum, quem non inquietauit.

5. *Paulus* libro 1. de iure Fiſci.

POſt legatum acceptum, non tantum licebit falſum arguere teſtamentum: ſed & non iure factũ contendere: inofficioſum autem dicere non permittitur. 1 ¶ Ille, qui non iure factum contendit, nec optinuit, non repellitur, ab eo, quod meruit. Ergo qui legatum ſecutus, poſtea falſum dixit, amittere debebit, quod conſecutus eſt. De eo vero, qui legatum accepit, ſi neget iure factum eſſe teſtamentum, Diuus Pius ita reſcripſit: Cognati Sophronis licet ab herede inſtituto acceperant legata: tamen ſi is eius condicionis fuerit viſus, vt optinere hereditatem non poſsit, & iure inteſtati ad eos cognatos pertinet: petere hereditatem ipſo iure poterunt. Prohibendi autem ſint, an non: ex cuiuſque perſona, condicione, ætate, cognita cauſa à iudice conſtituendum erit.

2 ¶ Amittere id, quod teſtamento meruit, & eum placuit, qui tutor datus excuſauit ſe à tutela. Sed ſi conuectus fuerit, nõ admittitur ad excuſationem. Diuerſum putó in eo, qui legatum tantùm meruit, & à matre pupilli tutor petitus, excuſare ſe maluit. hic enim nihil contra iudicium defuncti fecit. Sed hoc legatum, quod tutori denegatur, non ad fiſcum transfertur, ſed filio relinquitur, cuius vtilitates deſertæ ſunt.

3 ¶ Si pater accuſauerit teſtamentum, vel dominus: denegabitur ei actio etiam eius, quod filio eius vel ſeruo legatum eſt, ſi ad ipſos emolumentum rei peruenturum eſt. quod ſi perſonam illorum ſpectet, diuerſum dicendum eſt.

4 ¶ Si ſeruum ſuum rogatus ſit manumittere, qui legatum meruit, vel etiam ipſi ſeruo vtrumque datum ſit: dicendum eſt, non debere obeſſe ſeruo factum domini: ſed à fiſco redimendum, vt manumittatur: ſi tamen velit ſeruum vendere: quia non poteſt cogi, qui iudicium ſpreuit defuncti.

5 ¶ Si filiusfamilias falſum accuſauerit teſtamentum: videndum eſt, an denegari debeat actio patri. & puto, ſi inuito patre accuſauit, non eſſe denegandam patri actionem. 6 ¶ Si is, cui rogatus ſum legatum reſtituere, falſum dixerit: reſtituere id fiſco debebo.

7 ¶ Qui accuſauit falſum, heres legatario exſtitit, vel heredi ſcripto. nihil huic nocere dicẽdum eſt.

8 ¶ Similis eſt ei, & qui inofficioſum dicit.

9 ¶ Aetati eius, qui accuſauit, ignoſcitur. & maxime ſi tutor, vel curator dicere falſum vel inofficioſum velit. & ita imperatores Seuerus & Antoninus reſcripſerunt. 10 ¶ His vero, qui teſtimonio ſuo intentionem accuſatoris adiuuauerunt, deneganda eſt actio idque Diuus Seuerus decreuit. 11 ¶ Sunt, qui putant, & recte, & ei denegandam, qui accuſatori adfuit, vel fideiuſſor pro eo exſtiterit.

12 ¶ Quidam & præſidem indignum putant, qui teſtamentum falſum pronuntiauit, ſi appellatione intercedente heres ſcriptus optinuit. 13 ¶ Aduocatum fiſci, qui intentionem delatoris exſequitur, in omnibus officij neceſsitas ſatis excuſat. 14 ¶ Qui principale teſtamentum arguit: & à ſecundis tabulis repellendus eſt: item à codicillis ad teſtamẽtum facti, licet non confirmatis. Non idem ſequendum eſt, ſi ſecũdas tabulas, vel codicillos coarguit: quia non vtrumque hoc caſu improbaſſe videtur.

15 ¶ An libertas ei ſeruo data, qui teſtimonio ſuo infringere voluerit teſtamentum, auferri debeat, vidẽdum eſt. fideicommiſſum vtique non eſt dignus conſequi. & de libertate Diuus Pius iudicauit, eſſe ea priuandum. 16 ¶ Ei, qui tutor datus eſt, non prodeſt ad excuſationem, quod falſum dixit, ſed a legato remouetur. 17 ¶ Qui mortis cauſa donationem accepit à teſtatore, non eſt ſimilis in hac cauſa legatario. 18 ¶ Alia cauſa eſt eius, qui propter teſtamentum à legatario vel à ſtatulibero accipere iuſſus eſt. hic enim vt indignus repelletur. 19 ¶ Et Falcidiæ beneficium heredi ſcripto auferri debere, Diuus Pius & Diuus Marcus putauerunt.

20. ¶ Omnes, qui vt indigni repellentur, ſummouendi ſunt à præmio, quod ſecundùm edictum Diui Traiani datur his, qui ſe deferunt.

6. *Marcellus* libro 12. Digeſtorum.

REſcriptum eſt à principe, heredem rei, quam amouiſſet, quartam non retinere. & ideo ſi

is, qui quadringenta habebat, vniuerſa quadringẽta legauit, & heres centũ ſubtraxiſſet: trecentorum quartam retinebit, ſeptuagintaquinque ſcilicet: & ducenta viginti quinque dabit legatariis. ex centum, quæ ſubripuit, legatariis quidem dabit ſeptuagintaquinque reliqua, id eſt viginti quinque, ad fiſcum venient.

7. *Modeſtinus* libro 6 Differentiarum.

QVi Titij teſtamentum falſum dixit, nec optinuit: heredi eius heres exſiſtere prohibendus non eſt: quia non principaliter in Titij hereditatem ſuccedit.

8 *Idem* libro 9. Regularum.

INdigno herede pronuntiato, adempta hereditate, confuſas actiones reſtitui non oportet.

9. *Vlpianus* libro 14. ad Legem Iuliam & Papiam.

SI inimicitiæ capitales interuenerunt inter legatarium & teſtatorem: & veriſimile eſſe cœperit, teſtatorem noluiſſe, legatum ſiue fideicommiſſum præſtari ei, cui adſcriptum relictum eſt: magis eſt, vt legatum ab eo peti non poſsit.

1 ¶ Sed & ſi palam & apertè teſtatori maledixerit, & infauſtas voces aduerſus eum iactauerit, idem erit dicendum. 1 ¶ Si autem ſtatus eius controuerſiam mouit: denegatur eius, quod teſtamento accepit, perſecutio: ex qua ſpecie ſtatim fiſco deferetur.

10. *Gaius* libro 15. ad legem Iuliam & Papiam.

IN fraudem iuris fidem accommodat, qui vel id, quod relinquitur, vel aliud tacite promittit reſtituturũ ſe perſonæ, quæ legibus ex teſtamento capere prohibetur: ſiue chirographum eo nomine dederit, ſiue nuda pollicitatione repromiſerit.

1 ¶ Si quis ei, qui capere poſsit, rogatus fuerit reſtituere: & is mortis tempore prohibetur legibus hoc capere: non dubito, quin, etſi deficit fideicommiſſum, apud eum tamen, qui rogatus eſt reſtituere, manere debet. quia nulla fraus eius interueniſſe videtur. niſi ſi in futurum caſum fidem accommodauit: id eſt, vt, licet capere legibus prohiberi cœperit, reſtituat. 2 ¶ Recte dictum eſt, ſi pater filij, quem in poteſtate habebat, tacitam fidem interpoſuerit, non debere id filio nocere: quia parendi neceſsitatem habuerit.

11. *Papinianus* libro 15. Quæſtionum.

HEres, qui tacitam fidem contra leges accommodauit, in ea parte, quæ fraudem adhibuit, Falcidia non vtitur. & ita ſenatus cenſuit. Sed ſi maior modus inſtitutionis, quàm fraudis fuerit, quod ad Falcidiam attinet, de ſuperfluo quarta retinebitur.

12. *Idem* libro 16. Quæſtionum.

CVm quidam ſcripſiſſet heredes, quos inſtituere non potuerat: quamuis inſtitutio non valeret, neque ſuperius teſtamentum ruptum eſſet: heredibus tamen vt indignis, qui non habuerunt ſupremam voluntatem, abſtulit iam pridem ſenatus hereditatem. Quod Diuus Marcus in eius perſona iudicauit, cuius nomen peracto teſtamento teſtator induxerat. cauſam enim ad præfectos ærarii miſit. Verum ab eo legata relicta ſalua mãſerunt. de præceptionibus eidem datis voluntatis erit quæſtio. & legatum ei non denegabitur: niſi hoc euidenter teſtatorem voluiſſe appareat.

13. *Idem* libro 32. Quæſtionum.

CLaudius Seleucus Papiniano ſuo ſalutem. Mæuius in adulterio Semproniæ damnatus, eãdem Semproniam non damnatã duxit vxorem: qui moriens heredem eam reliquit: quæro, an iuſtum matrimonium fuerit, & an mulier ad hereditatem admittatur. reſpondi, neque tale matrimonium ſtare, neque hereditatis lucrum ad mulierem pertinere: ſed, quod relictum eſt, ad fiſcum peruenire. ſed etſi talis mulier virum heredem inſtituerit, & ab eo, quaſi ab indigno hereditatem auferri dicimus.

14. *Idem* libro 33. Quæſtionum.

MVlierem, quæ ſtupro cognita in contubernio militis fuit, etſi ſacramento miles ſolutus intra annum mortem obierit, non admitti ad teſtamentum iure militiæ factum: & id quod relictum eſt, ad fiſcum pertinere, proxime tibi reſpondi.

15. *Idem* libro 6. Reſponſorum.

HEredi qui falſos codicillos eſſe dixit, neque obtinuit, hereditas non aufertur. ſi tamen aliquid a coherede codicillis acceperit, eius actio denegabitur. itaque ſi bonorum inter heredes diuiſionem defunctus codicillis fecerit: partes quidem hereditarias, in quibus legatum conſiſtere non potuit, tenebit. ſed Falcidiæ beneficio non vtetur, ſi tãtum in amiſsis portionibus erit, quod Falcidiam æquitate compenſationis recuſaret.

16. *Idem* libro 8. Reſponſorum.

CVm tabulis ſecundis pater impuberi filio fratris filios, coheredibus datis, ſubſtituiſſet: ac ſubſtituti fratris filij poſt mortem pueri, matrem eius partus ſubiecti ream poſtulaſſent, vt hereditatem patrui legitimam optinerent: victis auferendam eſſe partem hereditatis ex cauſa ſubſtitutionis, reſpondi: quia ex teſtamento ſententiam ſecundum ſe dictam non haberent.

1 ¶ Quoniam ſtuprum in ea contrahi non placuit, quæ ſe non patroni concubinam eſſe patitur: eius, qui concubinam habuit, quod teſtamento relictum eſt, actio non denegabitur. idque in teſtamento Cocci Caſsiani clariſsimi viri, qui Rufinam ingenuam honore pleno dilexerat, optimi maximique principes noſtri iudicauerunt. cuius filiam, quam alumnam teſtamento Caſsianus nepti coheredem datam appellauerat, vulgo quæſitam apparuit.

2 ¶ Cùm heredis nomen, mutata voluntate paterfamilias inciſis tabulis induxiſſet, atque ideo fiſco portionis emolumentum adiudicatum fuiſſet: eam rem legatariis non obeſſe, qui retinuerant voluntatem, Diuo Marco placuit: & ideo cum ſuo onere fiſcum ſuccedere.

17. *Idem* libro 13. Reſponſorum.

HEredem, qui ſciens defuncti vindictam inſuper habuit, fructus omnes reſtituere cogendum exiſtimaui: nec probe deſideraturum, actionem confuſam reſtitui. Deceptum autem ignoratione facti, bonæ fidei poſſeſſoris defenſionem habiturum, ante motam ſcilicet controuerſiam, ſi ratio fructuum ſubducatur: nec improbe confuſam actionem reddi poſtulaturum.

18 *Idem* libro 15. Reſponſorum.

EVm, qui tacitum fideicommiſſum in fraudem legis ſuſcepit, eos quoque fructus, quos ante litem motam percepit, reſtituere cogendum, reſpondi, quòd bonæ fidei poſſeſſor fuiſſe non videtur: exemplo bonorum fiſco vindicatorum. poſt motam de tacito fideicommiſſo controuerſiam, ante pretia fructuum percepta cum vſuris eſſe reſtituenda, reſpondi. ſed omnium fructuum, quorum pretia percepta fuerant. quod ſi fructus in vſu habuit: eorum pretia tantùm reſtitui, ſatis erit. ſed Diuus Seuerus bonorum tacite relictorum, citra diſtinctionem tẽporis, fructus dumtaxat deberi, non etiam vſuras eorum, benigne decreuit quo iure vtimur.

2 ¶ Bonis vniuerſis ex cauſa taciti fideicommiſsi fiſco reſtitutis, heredem onus æris alieni non ſpectare conuenit. Nec aliud ſeruatur, morte non defenſa Si quid tamen ob aditam hereditatem, actionibus aut ſeruitutibus confuſis, amiſerit: auxilio reſtitutionis non merebitur.

2 ¶ Pro parte heres inſtitutus, prædij legatum acceperat, & in hereditate non capienti reſtituendi tacitum miniſterium ſuſceperat. quamquàm legatum pro ipſius parte non conſtitiſſet, idcoque portionem



portionem iſtam pro herede poſsideret: tamen ei prædium integrum eſſe relinquendum, reſpondi. neque enim rationem iuris, ac poſſeſsionis varietatem inducere diuiſionem voluntatis.

19. *Paulus* libro 16. Reſponſorum.

SI ſcriptis heredibus ideo hereditas ablata eſt, quod teſtator aliud teſtamentum mutata voluntate facere voluit, & impeditus ab ipſis eſt: ab vniuerſo iudicio priore receſsiſſe eum videri.

20. *Hermogenianus* libro 3. Iuris Epitomatorum.

EI, qui mortem vxoris non defendit, vt indigno dos aufertur

21. *Paulus* libro 5. Sententiarum.

POrtioneſque eorum fiſco vindicantur, qui mortem libertorum ſuſpecte decedentium non defenderunt. omnes enim heredes, vel eos, qui loco heredis ſunt, officioſe agere circa defuncti vindictam conuenit.

22. *Thryphoninus* libro 5. Diſputationum.

TVtorẽ, qui pupilli ſui nomine falſum vel inofficioſum teſtamentum dixit, non perdere ſua legata, ſi non optinuerit, optima ratione defenditur. & ſi libertum patris pupilli ſuo nomine capitis accuſauerit, non repelli à bonorum poſſeſsione contra tabulas. quia officij neceſsitas, & tutoris fides excuſata eſſe debet. nec quiſquam iudicium calumnia notabit tutorem, qui non ſuis ſimultatibus accuſationem ſub nomine pupilli inſtituit, ſed cogente forte matre pupilli, vel libertis patris inſtantibus. & ſi tutor reum aliquem poſtulauerit pupilli nomine, & ideo non ſit exſecutus, quod interim ad pubertatem pupillus peruenerit: non oportet dici, in Turpillianum eum ſenatuſconſultum incidiſſe. diſcreta ſunt enim iura, quamuis plura in eandem perſonam deuenerint, aliud tutoris, aliud legatarij, & cùm non ſuæ perſonæ iure, ſed pupilli accuſauerit: propriam pœnam mereri non debet. denique pupillo relicta in eo teſtamento, niſi à principe conſeruata ſint, pereunt. adeo ille eſt accuſatoris defenſor, & quaſi patronus. idem & Sabinus libris ad Vitellium ſcripſit.

23. *Gaius* libro ſingulari de tacitis Fideicommiſſis.

SI quilibet heres ex cuiuſcumque teſtamento tacite rogatus fuerit, vt quadrantem, quem legis Falcidiæ beneficio retinuit, non capienti reſtituat: æque locus erit ſenatuſconſulto. neque enim multum intererit inter tale fideicommiſſum, & cùm quis id, quod ad ſe ex hereditate peruenerit, reſtituere rogatus ſit.

24. *Papinianus* libro 18 Quæſtionum.

SI teſtamentum patris iure factum filius negauit: quoniam de iure diſputauit, non iudicium impugnauit, aut accuſauit: retinet defuncti voluntatem.

25. *Idem* libro 14. Reſponſorum.

SI gener ſocerum heredem reliquerit, taciti fideicommiſsi ſuſpicionem ſola ratio paternæ affectionis non admittit. 1 ¶ Apud Scæuolam libro trigeſimo digeſtorum Claudius notat:

SI viuo teſtatore deceſſerit is, cui illicite legatum relictum erat: non fiſco hoc vindicatur, ſed apud eum, à quo relictum eſt, remanet.

# LIBER TRIGESIMVSQVINTVS.

## DE CONDICIONIBVS, ET DEMONſtrationibus, & cauſis, & modis eorum, quæ in teſtamento ſcribuntur.

*Pomponius* libro 3. ad Quintum Mucium.

LEgatis, quæ relinquuntur, aut dies incertus, aut condicio adſcribitur: aut, ſi nihil horum factum ſit, præſentia ſunt: niſi ſi vi ipſa condicio inſit. 1 ¶ Cum dies certus adſcriptus eſt, quamuis dies nondum venerit, ſolui tamen poſſunt, quia certum eſt, ea debitu iri. 2 ¶ Dies autem incertus eſt, cum ita ſcribitur: *heres meus, cùm moriturus decem dato*. nam diem incertum mors habet eius. & ideo, ſi legatarius ante deceſſerit, ad heredem eius legatũ non tranſit: quia non ceſsit dies viuo eo: quamuis certum fuerit, moriturum heredem.

3 ¶ Ineſt autem condicio legati: veluti cùm ita legamus, *Quod ex Areſcuſa natum fuerit, heres dato*: aut: *fructus, qui ex eo fundo percepti fuerint, heres dato*, aut, *ſeruum, quem alij non legauero, Seio dato*.

2. *Vlpianus* libro 5. ad Sabinum.

COndicionum quædam ſunt, quæ quandoque impleri poſſunt etiam viuo teſtatore: vt puta, *ſi nauis ex Aſia venerit*. nam quandoque venerit nauis, condicioni paritum videtur. quædam quæ non niſi poſt mortem teſtatoris: *ſi decem dederit, ſi Capitolium aſcenderit*. nam, vt paruiſſe quis cõdicioni videatur, etiam ſcire debet hanc condicionem inſertã. nam, ſi fato fecerit, non videtur obtemperaſſe voluntati.

3. *Idem* libro 6. ad Sabinum.

OPtinuit, impoſsibiles condiciones teſtamento aſcriptas pro nullis habendas.

4. *Pomponius* libro 3. ad Sabinum.

SI his legatum eſt, quibus patronus legata præſtat: temperare debet prætor condicionẽ: vt & patrono, & heredibus ſcriptis, pro portione dentur condicionis explendæ gratia. 1 ¶ Si ita ſcriptum ſit, *Si, in quinquennio proximo, Titio filius natus non erit, decem Seiæ heres dato*: ſi Titius antè mortuus ſit: non ſtatim Seiæ decem deberi: quia hic articulus *tum* extremi quinquennij tempus ſignificat.

5. *Paulus* libro 2. ad Sabinum.

COndicionibus pupillus & ſine tutoris auctoritate parere poteſt. nec quem moueri quod expleta condicione neceſſarius heres aliquando eſſe poteſt. nam hoc iure poteſtatis fieri, non condicionis expletæ. 1 ¶ Item ſeruus vel filiusfamilias ſine iuſſu patris vel domini condicionem implere poſſunt. quia eo facto nemo fraudatur.

6. *Pomponius* libro 3. ad Sabinum.

MVlta teſtamento non committitur ab herede, vel legatario, vel eo, qui ex vltima voluntate aliquid lucratur, qui alicuius arbitratu monumẽtũ facere iuſſus ſit, ſi is, cuius arbitriũ eſt, non viuat, vel adeſſe non poſsit, aut rei arbitrari nolit. 1 ¶ Si ſeruos certos quis manumiſiſſet, heres eſſe iuſſus erat. quibuſdã ex his ante mortuis, Neratius reſpõdit, defici cũ cõdicione. nec eſtimabat, pareri poſſe condicioni, nec ne ſed Seruius reſpõdit, cùm ita eſſet ſcriptũ, *ſi filia & mater mea viuet*, altera iã mortua, non defici condicione. idem eſt & apud Labeonem ſcriptum. Sabinus quoque & Caſsius, quaſi impoſsibiles eas condiciones in teſtamento poſitas pro non ſcriptis eſſe. quæ ſententia admittenda eſt.

7. *Vlpianus* libro 18. ad Sabinum.

MVcianæ cautionis vtilitas conſiſtit in condicionibus, quæ in non faciendo ſunt conceptæ: vt puta, *ſi in Capitolium non aſcenderit, ſi Stichum non manumiſerit*, & in ſimilibus. & ita Ariſtoni, & Neratio, & Iuliano viſum eſt. quæ ſententia & conſtitutione Diui Pij, comprobata eſt. Nec ſolùm in legatis placuit: verùm in hereditatibus quoque idem remedium admiſſum eſt.

1 ¶ Vnde ſi vxor maritum ſuum, cui dotem promiſerat, ita heredem ſcripſerit ex parte, *ſi dotem quã*

*ei promiſſ, neque petierit, neque exegerit*, denũtiare eum poſſe coheredi, paratum ſe accepto facere dotem, vel cauere: & ita adire poſſe hereditatem. ſed ſi ex aſſe ſit inſtitutus maritus ſub ea condicione: quoniã non eſt, cui caueat: non impediri eum, quo minùs adeat hereditatem. nam iure ipſo videtur impleta conditio, eo quòd non eſt, quem poſsit de dote conuenire ipſe adeundo hereditatem.

8. *Pomponius* libro 5. ad Sabinum.

SI quis ita legauerit: *Dum vxor mea cum filio erit, heres meus ei tantum dato*: ſi ea latitans patronum, de medio diſceſsit, vt tamen conſilium retineret habendi ſecum liberos: deberi ei legatum Trebatius & Labeo aiunt: quia non omne momentum exigendum ſit, vt cum liberis ſit: ſed ſi eam mentem, & id propoſitum habeat, ne filium a ſemet dimittat, neve per eam ſtet, quo minus cum ea filius educetur.

9. *Vlpianus* libro 20. ad Sabinum.

SOlemus dicere, eum, qui in tempus liberorum vxori legat, de his non ſenſiſſe, quos iam tunc vxor habuit, cùm teſtaretur maritus.

10. *Idem* libro 23. ad Sabinum.

HAec condicio: *filia mea, cùm nupſerit*, talis eſt: vt, qui teſtatus eſt, impleri ſolummodo condicionem voluerit: non ſatis egerit, quando. & ideo, & ſi viuo teſtatore nupſerit poſt teſtamentum factum, impleta condicio videtur. præſertim cùm condicio hæc talis eſt, vt ſemel impleri debeat. Sed enim nõ omnes coniunctiones implent condicionem. puta enim nondum nubilis ætatis in domum mariti deducta, non paruit condicioni ſed etſi ei coniuncta ſit, cuius nuptiis ei interdictum ſit: idem dicemus, an tamen nubendo poſtea parere condicioni poſsit, quaſi non nupſerit, dubitari poteſt. & ſi teſtator de primo nuptiali iugo ſenſit, puto, defectam condicione: benigne tamen dicendum eſt, nondum impletam condicionem defectam. 1 ¶ Si ſic legatum ſit, *ſi nauis ex Aſia venerit*, & ignorante teſtatore, nauis venerit teſtamenti facti tempore: dicendum, pro impleta haberi. Et ſi cui ſic legatum eſt, *cum pubes erit*: ſimili modo hoc erit dicendum.

11. *Paulus* libro 4. ad Sabinum.

SI iam facta ſint, quæ condicionis loco ponũtur, & ſciat teſtator: quæ iterum fieri poſſunt, exſpectentur, vt fiãt. ſi verò neſciat, præſenti debeantur. 1 ¶ Item ſciendum eſt, promiſcuas condiciones poſt mortem impleri oportet, ſi in hoc fiant, vt teſtamento pareatur: velùti, *ſi capitolium aſcenderit*, & ſimilia. non promiſcuas, etiam viuo teſtatore exiſtere poſſe: veluti, *ſi Titius conſul factus fuerit*.

12. *Vlpianus* libro 24 ad Sabinum.

SI ita legatum ſit: *Quoniam filius meus ex arca mea decem ſuſtulit, heres meus filius decem è medio ſumito*: debetur legatum: quia idcirco relictum eſt, vt condicio filiorum exæquaretur. & ſanè hæc cauſa eſt. nam cauſa in præteritum, pœna in futurum confertur.

13. *Paulus* libro 5. ad Sabinum.

SI fundus alicui legatus fuerit, ſi pupilló vel furioſo pecuniam dediſſet: videtur expleſſe condicionem curatori, vel tutori dando.

14. *Pomponius* libro 8. ad Sabinum.

TItius, *ſi ſtatuas in municipio poſuerit, heres eſto*. ſi paratus eſt ponere, ſed locus a municipibus ei non datur: Sabinus, Proculus, heredem eum fore: & in legato idem iuris eſſe dicunt.

15. *Vlpianus* libro 35. ad Sabinum.

CVi fuerit ſub hac condicione legatum, *ſi in familia nupſiſſet*: videtur impleta condicio, ſtatim atque ducta eſt vxor, quamuis nondum in cubiculum mariti venerit. nuptias enim non concubitus, ſed conſenſus facit.

16. *Gaius* libro 1. de teſtamentis ad Edictum Prætoris.

IN his, quæ extra teſtamentum incurrerent, poſſunt res ex bono & æquo interpretationem capere. Ea verò quæ ex ipſo teſtamento oriuntur, neceſſe eſt, ſecundum ſcripti iuris rationem expediri.

17. *Idem* libro 2 de legatis ad Edictum. Prætoris.

DEmonſtratio falſa eſt: veluti ſi ita ſcriptum ſit: *Seruum Stichum, quem de Titio emit fundum Tuſculanum, qui mihi à Seio donatus eſt*. nam ſi conſtat, de quo homine, de quo fundo ſenſerit teſtator: ad rem non pertinet, ſi is, quem emiſſe ſignificauit, donatus eſſet, aut, quem donatum ſibi eſſe ſignificauerat, emerit.

1 ¶ Igitur & ſi ita ſeruus legatus ſit, *Stichum cocum, Stichum ſutorem Titio lego*: licèt neque cocus, neque ſutor ſit: ad legatarium pertinebit, ſi de eo ſenſiſſe teſtatorem conueniat. nam & ſi in perſona legatarij deſignanda aliquid erratum fuerit, conſtat autem, cui legare voluerit: perinde valet legatum, ac ſi nullus error interueniret.

2 ¶ Quod autem iuris eſt in falſa demonſtratione, hoc vel magis eſt in falſa cauſa veluti ita, *Titio fundum do, quia negotia mea curauit*. idem: *Fundum Titius filius meus præcipito, quia frater eius ipſe ex arca tot aureos ſumpſit*. licet enim frater huius pecuniam ex arca non ſumpſit, vtile legatum eſt. 3 ¶ At ſi condicionaliter concepta ſit cauſa, veluti hoc modo: *Titio, ſi negotia mea curauit, fundũ do*: *Titius filius meus, ſi frater eius centum ex arca ſumpſit, fundum præcipito*: ita vtile erit legatum, ſi & ille negotia curauit, & huius frater centum ex arca ſumpſit.

4 ¶ Quod ſi cui in hoc legatum ſit, vt ex eo aliquid faceret, veluti monumentum teſtatori, vel opus, aut epulum municipibus faceret, vel ex eo vt partem alij reſtitueret: ſub modo legatum videtur.

18. *Idem* libro octauodecimo ad Edictum Prouinciale.

IS, cui ſub condicione non faciendi aliquid relictum eſt, ei ſcilicet cauere debet Muciana cautione, ad quem iure ciuili, deficiente condicione, hoc legatum, eave hereditas pertinere poteſt.

19. *Vlpianus* libro 5. Diſputationum.

IN condicionibus primum locum voluntas defuncti optinet, eaque regit condiciones. denique & in ea condicione, *ſi filia mea cum Titio nupta erit*, placuit, non ſemper mortis tempus obſeruari, ſed voluntate patrocinante tardius produci.

1 ¶ Hæc ſcriptura: *ſi primus heres erit, damnas eſto dare*: pro condicione non eſt accipiẽda magis enim demonſtrauit teſtator, quando legatum debeatur, quàm condicionem inſeruit. niſi fortè hoc animo fuerat teſtator, vt faceret condicionem. Proinde nec illud dicendum erit facere condicionem. *Quod quid mihi Epheſi oportet dari, hoc do lego*. Sed ſi ſic leget, *ſi Primus mihi heres non erit, damnas eſto Secundus dare*, & Primus heres extitit: legatum non debebitur ſi Primus adierit cum Secundo: non extitiſſe condicionem, nequaquam ambigendum eſt.

2 ¶ Si patronus contra tabulas bonorum poſſeſſione accepta debitam portionem occupet: legata, quæ ſic data ſunt, *ſi patronus heres non erit*, non debet coheres patroni præſtare.

3 ¶ Si à Primo ita legatum eſt, *ſi Secundus heres non erit, viginti Titio dato*: ſimili modo à Secundo, eidem Titio ita legatum eſt, *ſi Primus heres non erit*: & ambo heredes extiterint: legati condicio deficiet. ſi alter heres exſtitit, alter heres non exſtitit: legatum debebitur.

20. *Marcellus* apud Iulianum libro 27. Digeſtorum notat.

NOn dubitamus, quin turpes condiciones remittẽdæ ſunt, quo in numero plerumque ſunt etiam iuriſiurandi.



21. *Iulianus* libro 31. Digeſtorum.

MVltùm intereſt, condicio facti, an iuris eſſet. nã huiuſmodi condiciones; *Si nauis ex Aſia venerit, ſi Titius conſul factus erit*; quamuis impletæ eſſent; impediunt hæredem circa adeundam hereditatem, quamdiu ignoraret eas impletas eſſe. quæ verò ex iure veniunt, in his nihil ampliùs exigendum, quã vt impletæ ſint. veluti ſi quis ſe filiumfamilias exiſtimat, cùm ſit paterfamilias poterit adquirere hæreditatem. quare & ex parte hæres ſcriptus, qui ignorat an tabulæ teſtamenti apertæ ſint, adire hæreditatem poterit.

22. *Idem* libro 35 Digeſtorum.

QVotiens ſub condicione mulieri legatur, ſi non nupſerit; & eiuſdem fideicommiſſum ſit, vt Titio reſtituat, ſi nubat: commodè ſtatuitur, & ſi nupſerit, legatum eam petere poſſe, & non eſſe cogẽdam fideicommiſſum præſtare.

23. *Idem* libro 43. Digeſtorum.

QVi duobus hæredibus decem dare iuſſus eſt, & fundum ſibi habere; verius eſt, vt condicionem ſcindere non poſsit, ne etiam legatum ſcindatur. igitur quamuis alteri quinque dederit, nullam partem fundi vindicabit: niſi alteri quoque adeunti hæreditatem reliqua quinque numerauerit: aut, illo omittente hæreditatem, ei, qui ſolus adierit hæreditatem, tota decem dederit.

24. *Idem* libro 55. Digeſtorum.

IVre ciuili receptum eſt; quotiens per eum, cuius intereſt condicionem impleri, fit, quo minùs impleatur; vt perinde habeatur, ac ſi impleta condicio fuiſſet. Quod plerique & ad legata, & ad hæredum inſtitutiones perduxerunt. Quibus exemplis ſtipulationes quoque committi quidam rectè putauerunt, cùm per promiſſorem factum eſſet, quo minùs ſtipulator condicioni pareret.

25. *Idem* libro 69. Digeſtorum.

CVm vir vxori, quandoque liberos habebit, fundũ legat: ſi mulier, diuortio facto, liberos ex alio procreauerit; deinde, ſoluto ſecundo matrimonio, ad priorem maritum redierit: non intellegitur expleta condicio: quòd teſtatorem veriſimile non eſt de his liberis ſenſiſſe; qui, ſe viuo, ex alio ſuſcepti fuiſſent.

26. *Idem* libro 82. Digeſtorum.

HÆc ſcriptura, *ſi viginti dederit aut iurauerit ſe aliquid facturum*, vnam condicionem exprimit habentem duas partes. quare ſi quicumque hæres ſcriptus erit ſub condicione, ſi iurauerit ſe decem daturum aut monumentum facturum: quamuis verbis edicti ad hæreditatem vel legatum admittatur: tamẽ compellitur facere id, quod facturum ſe iurare iuſſus eſt, ſolo iureiurando remiſſo. 1 ¶ Cùm eadem res alteri purè, alteri ſub condicione legatur, aut, cùm alter purè, alter ſub condicione hæres ſcriptus eſt: pars legati vel hæreditatis, deficiente condicione, adcreſcit etiam hæredi eius, cui purè legatum vel hæreditas data eſt: ſi tamen hæreditas eius adita fuerit.

27. *Alfenus Varus* libro 5. Digeſtorum.

IN teſtamento quidam ſcripſerat vt ſibi monumẽtum ad exemplum eius, quod in via Salaria eſſet Publij Septimij Demetrij, fieret: niſi factum eſſet, heredes magna pecunia multare. & cùm id monumẽtum Publij Septimij Demetrij nullum reperiebatur, ſed Publij Septimij Damæ erat, ad quod exemplum ſuſpicabatur eum, qui teſtamentum fecerat, monumentum ſibi fieri voluiſſe: quærebant hæredes, cuiuſmodi monumentum ſe facere oporteret, & , ſi ob eã rem nullum monumentum feciſſent, quia non reperirent, ad quod exemplum facerent, num pœna tenerentur. reſpondit, ſi intellegeretur, quod monumentum demonſtrare voluiſſet is, qui teſtamentum feciſſet, tametſi in ſcriptura non tum eſſet, tamen ad id, quod ille ſe demonſtrare animo ſenſiſſet, fieri debere. ſin autem voluntas eius ignoraretur: pœnam quidem nullam vim habere, quoniam, ad quod exẽplum fieri iuſſiſſet, id nuſquam exſtaret: monumentum tamen omnimodò ſecundùm ſubſtantiam & dignitatem defuncti extruere debere.

28. *Paulus* libro 2. Epitomarum Alfeni Digeſtorum.

FIliæ ſuæ ita quis legauit: *Si Attia filia mea arbitratu Lucij Titij nupſerit, ei tot heres meus dato*. Titio ante teſtatorem mortuo, Attia nupſerat. quærebatur an legatum ei deberetur. reſpondit, deberi.

1 ¶ *Attia vxor mea Optato Philargyrum puerum, Agatheam ancillam, qui mei erant, cùm moriar*. is, qui teſtamentum fecit, Agatheam, quam teſtamẽti tempore habuit, vendidit: & poſtea ancillas emit: ex his vni Agatheæ nomen impoſuit. quæſitum eſt, an hæc legata videretur. reſpondit, legatam videri.

29. *Iulianus* libro 1. ad Vrſeium Ferocem.

HÆc condicio, *Si in Capitolium aſcenderit*, ſic recipienda eſt, ſi cùm primùm potuerit Capitolium aſcendere.

30. *Idem* libro 1. ex Minicio.

SI ſeparatim mihi totus fundus purè, tibi ſub condicione legatus fuerit, & tu deceſſeris, antequàm condicio exſtiterit: non habebo neceſſitatem implere condicionem: vtpote cùm, etiam ſi condicio defecerit, pars, quam vindicaturus eras, mihi adcreſcat.

31. *Africanus* libro 2. Quæſtionum.

IN teſtamẽto ita erat ſcriptum: *Stichus & Pamphila liberi ſunto. &, ſi in matrimonium coierint, heres meus his centum dare damnas eſto*. Stichus ante apertas tabulas deceſsit reſpondit, partem Stichi defectã eſſe, ſed & Pamphilam defectam condicione videri, ideóque partem eius apud heredem remanſuram. Sed etſi vterq; viueret, & Stichus nollet eam vxorẽ ducere, cùm mulier parata eſſet nubere: illi quidem legatum deberetur: Stichi autẽ portio inutilis fiebat. Nã cùm vni ita legatum ſit, *Titio, ſi Seiam vxorem duxerit, heres meus centum dato*: ſi quidem Seia moriatur, defectus condicione intellegitur: at ſi ipſe decedat, nihil ad hæredem ſuum eum tranſmittere: quia morte eius condicio defeciſſe intellegitur. vtroq; autem viuente: ſi quidem ipſe nolit vxorem ducere, quia ipſius facto condicio deficit, nihil ex legato conſequitur: muliere autem nolente nubere, cùm ipſe paratus eſſet, legatum ei debetur.

32. *Idem* libro 9. Quæſtionum.

QVamuis rationes reddere nihil aliud ſit, quàm reliqua ſoluere: tamen ſi & ſtatuliberi, & hæredis culpâ, ſine fraude tamen ſerui minùs ſolutum ſit & bona fide redditas eſſe rationes, exiſtimatum fueris: liberum fore. &, niſi ita obſeruetur, neminẽ, qui ſub condicione ita manumiſſus eſſet, vnquàm ad libertatẽ peruẽturum, ſi per imprudẽtiam minùs ſolutum eſſet. Hæc ita accipienda ait, ſi quando is, qui rationes reddere iuſſus ſit, per aliquem errorem ſine dolo malo ita rationes ediderit, vt dominus quoq; circa computationem erraret.

33. *Marcianus* libro 6. Inſtitutionum.

FAlſa demonſtratio neq; legatario, neq; fideicommiſſario nocet, neq; hæredi inſtituto. veluti ſi fratrem dixerit, vel ſororem, vel nepotem, vel quodlibet aliud. & hoc ita iuris ciuilis ratione, & conſtitutionibus Diuorum Seueri & Antonini cautum eſt. 1 ¶ Sed ſi controuerſia ſit de nomine inter plures: qui probauerit ſenſiſſe de ſe defunctum, ille admittetur. 2 ¶ Sed ſi cui quaſi liberto, id eſt, inter libertos, legatũ fuerit: non idcirco legatũ amittit, quia poſtea anulos ab Imperatore acceperit. nam honor

eius auctus eſt, non condicio mutata: & ita Diui Seuerus & Antoninus reſcripſerunt. 3 ¶ Si quis legauerit rem ita, ſi mortis tempore eius erit, nec tunc eius inuenitur: nec æſtimatio eius legari videbitur. 4 ¶ Quid ergo ſi quis ita ſcripſerit, *Stichum & Pamphilum Titio do lego, ſi mei erunt, cùm moriar*, & vnum ex his alienauerit? an vel alter poſſit à legatario vindicari? placet, vindicari. nam hunc ſermonem, licèt pluralis ſit, pro eo oportet accipi, atque ſi ſeparatim dixiſſet, *Stichum, ſi meus erit, cùm moriar*.

34. *Florentinus* libro 11. Inſtitutionum.

NOminatim alicui legatur ita, *Lucio Titio*, an per demonſtrationem corporis, vel artificij, vel officij, vel neceſſitudinis, vel adfinitatis: nihil intereſt. nam demonſtratio plerumque vice nominis fungitur. nec intereſt, falſa, an vera ſit, ſi certum ſit, quem teſtator demonſtrauerit. 1 ¶ Inter demonſtrationem & condicionem hoc intereſt: quod demonſtratio plerumque factam rem oſtendit, condicio futuram.

35. *Pomponius* libro ſingulari Regularum.

LEuiſſima libertatis condicio ea intellegenda eſt, quæ ad libertatem perducit, quamuis natura grauior & durior ſit.

36. *Marcellus* libro ſingulari Reſponſorum.

PVblius Mæuius teſtamento ſuo ita cauit: *Quiſquis mihi heres heredéſve erunt: do lego, fideique eorum committo, vti dent Gaio Seio ſorori meæ filio in honorem conſulatus quadringenta.* viuo Mæuio, Seius conſul deſignatus eſt, & munus edidit. deinde ex calendis Ianuarijs conſulatum ingreſſus eſt, atque ita Mæuius deceſsit. quæro, an quadringenta Seio debeantur: Marcellus reſpondit, deberi. 1 ¶ Titia codicillis de prædijs, quæ teſtamento Septiciæ reliquerat, ita cauit: *A te peto Septicia, vt filio meo, cùm annorum ſedecim eſſet, eadem prædia reſtitueres. quod ſi filius meus ſedecim annos non impleuerit: peto, vti reddas eaſque reſtituas Publio Mæuio, & Gaio Cornelio.* quæro, cùm Septicia deceſſerit, deinde filius quintumdecimum annum agens defunctus ſit, an repræſentetur fideicommiſſum, quintodecimo anno impleto, & heredes Septiciæ reſtituere id Publio Mæuio, & Gaio Cornelio debeant. Marcellus reſpondit, Septiciam ius, quod in his prædiis habuiſſet, heredi ſuo reliquiſſe. etenim videri contra voluntatem teſtatricis repræſentationem fideicommiſſi deſiderari, vt ampliùs ad ſubſtituto peruenjat, quàm ad puerum peruenire vel à Septicia vel ab hæredibus potuiſſet. & verba quidem videntur repræſentare fideicommiſſum ſed non eſt veriſimile, vt maturiùs voluerit teſtatrix ad ſubſtitutos id transferre. nec quicquã mutat, quòd Septicia ante deceſsit. nam etſi puer viueret: nõ priùs Septiciæ hæredes, quàm Septicia, poſſent conueniri.

37. *Paulus* libro ſingulari ad legem Fuſiam Caniniam.

SI quis eum, quem ipſe manumittere non poterat, legauerit ita, vt eum legatarius manumitteret: etſi à legato non repellatur: non eſt compellendus, vt manumittat. quoniam totiens ſecundùm voluntatem teſtatoris facere compellitur, quotiens contra legem nihil ſit futurum. Idque Neratius ſcripſit. & tamen à legato non eſſe eum repellendum: quoniam magis legatarium aliquid commodum teſtator in hoc ſeruo, quàm heredem, habere voluiſſet.

38. *Idem* libro ſingulari de iure Codicillorum.

SI ita ſcripſero, *Quantum codicillis Titio legauero*: licèt codicillis legatum explicetur: tamen ex teſtamento valet: ſoláque quantitas in codicillo delata eſt. Nam & apud veteres legata talia fuere. *Quantum ei per epiſtulam ſcripſero: quantum ex illa actione detraxero, heres dato.*

39. *Iauolenus* libro 1. ex Poſterioribus Labeonis.

QVæ condicio ad genus perſonarum non ad certas & notas perſonas pertineat, eam exiſtimamus totius eſſe teſtamenti, & ad omnes hæredes inſtitutos pertinere: at quæ condicio ad certas perſonas accommodata fuerit, eam referre debemus ad eum duntaxat gradum, quo hę perſonæ inſtitutæ fuerũt. 1 ¶ Cùm ita in teſtamento ſcriptum erat, *Vt aliquid in foro fiat*, neque adſcriptum erat, in quo foro: Labeo ait, ſi non appareat, quid mortuus ſenſerit, in eius municipij foro faciendum, in quo is, qui teſtamentum fecerit, domicilium habuerit. quam ſententiam ego quoq; probo.

40. *Idem* libro 2. ex Poſterioribus Labeonis.

QVibus diebus vicinus tuus te via publica, cùm ad parẽdum condicioni ire velles, ire prohibuerit, nec per te ſteteri, quo minus agẽdo ob calumnias eum ſummoueas: hi dies condicioni non imputabũtur. 1 ¶ Quidam ita legauerat: *Si Publius Cornelius impenſam, quam in fundum Seianum feci, heredi meo dederit: tum heres meus Publio Cornelio fundum Seianum dato.* Caſcellius aiebat, etiam pretium fundi dari debere. Ofilius impẽſæ verbo negat pecuniam ſignificari: ſed eos duntaxat ſumptus, quos in eum, poſteaquã is emptus eſſet, fecit. idẽ Cinna ſcribit: adiecto eo, quod, non deductis fructibus, impẽſarum ratio haberi debeat. & hoc magis verum puto. 2 ¶ Quidam Titio centum legauerat: deinde infrà ita inſſerat: *Quas pecunias cuique legaui, eas heres meus ſi mater mea morietur, dato*: mortuo patrefamilias Titio vixerat: & viua matrefamilias deceſſerat. mortua matre, hæredib. Titij legatum deberi Ofilius reſpondit: quoniam non ſub condicione eſſet legatum, ſed ante legatum purè, deinde dies ſoluẽdi adiecta. videamus, (inquit Labeo) ne id falſum ſit: quia nihil intereſt, vtrum ita ſcribatur, *Quas pecunias cuique legaui, eas heres meus, ſi mater mea morietur, dato*: an ita, *Niſi mater mea morietur, ne dato*: vtrubiq; enim ſub condicione vel datum, vel adẽptum eſſe legatum. Labeonis reſponſum probo. 3 ¶ Dominus ſeruo aureos quinq; ſic legauerat: *Heres meus Sticho ſeruo meo, quem teſtamento liberum eſſe iuſſi, aureos quinque, quos in tabulis debeo, dato.* nihil ſeruo legatum eſſe, Namuſa Seruium reſpõdiſſe ſcribit: quia dominus ſeruo nihil debere potuiſſet. ego puto, ſecũdùm mẽtẽ teſtatoris naturale magis, quàm ciuile debitum ſpectandũ eſſe: & eo iure vtimur. 4 ¶ Qui dotalẽ fundum nullũ habebat, ita legauerat: *Fundum Cornelianum, quem illa mihi doti dedit, ei heres dato.* Labeo Ofilius, Trebatius reſpõderũt, fũdũ nihilo minùs legatũ eſſe: quia, cũ fundus Cornelianus in rerũ natura ſit, demõſtratio falſa legatum non peremit. 5 ¶ Thermus Minor, quorũ arbitratu monumẽtũ ſibi fieri vellet, teſtamẽto ſcripſerat: deinde ita legauerat: *Lucijs, Publijs, Cornelijs ad monumentum meum ædificandum mille heres meus dato.* Trebatius reſpondit, pro eo habẽdum, ac ſi ita legatum eſſet, ſi ſatiſdediſſent ſe ita id monumẽtum ex ea pecunia facturos. Labeo Trebatij ſentẽtiam probat: quia hæc mẽs teſtantis fuiſſet, vt ea pecunia in monumẽtum conſumeretur. idẽ & ego, & Proculus probamus.

41. *Vlpianus* libro 34. ad Edictum.

LEgata ſub condicione relicta non ſtatim, ſed cùm condicio extiterit, deberi incipiant. ideóq; interim delegari non potuerunt.

42. *Africanus* libro 2. Quæſtionum.

FIliofamilias legatum eſt ſub hac condicione ſi in poteſtate patris manſiſſet. magis patri legatum videri ait, & patrẽ ſuo nomine legatum petere. Idem iuris eſſe, & ſi ſeruo ſimiliter legetur. Argumẽtum rei eſt, quòd, etſi cibaria ſeruis Titij legẽtur, proculdubio domini eſt, non ſeruorum legatum.

43. Paulus



43. *Paulus* libro 8. ad Plautium.

PLautius: Rogatus eſt heres à liberto teſtatore, vt, perceptis ſibi decem, totam hereditatem reuenderet: poſtea patronus defuncti bonorum poſſeſſionem contra tabulas petierat, & partem hereditatis, quæ debebatur, abſtulerat. Proculus, Caſſius, fideicommiſſarium pro rata quod ſoluit, repetere debere aiunt. *Paulus*: Hoc iure vtimur. nam quemadmodum præſtatione fideicommiſſorum & legatorum heres exoneratur per prætorem: ita etiam ipſe partem conſequi debet. 1 ¶ Diuerſum eſt, ſi Falcidia interueniat, & minuat legatum. nam his caſibus nihil repetetur: quia in ſolidum condicioni paretur. 2 ¶ Item ſcinditur ius dandi, ſi is, cui legatum eſt, non poteſt partem hereditatis ſibi relictam, totam capere. nam verius eſt, partem eum præſtare debere, partem illos, qui ad ferunt, ab eo, quod plus relictum eſt, quàm à lege conceditur. 3 ¶ Neratius libro primo reſponſorum ſcribit: ex duobus ſcriptis heredibus ſi vnus rogatus ſit tibi hereditatem reſtituere, tu Titio certam ſummam dare, & beneficio legis Falcidiæ in reſtituendo heres vtatur: quanto minus tibi præſtiterit, tanto minus te Titio præſtare, non eſſe iniquum.

44. *Idem* libro 9. ad Plautium.

QVi heredi dare iuſſus eſt: ſeruo alieno inſtituto, non domino dare debet. nam & ſi, alio herede inſtituto, iuſſus eſt ſeruo Titij dare: ipſi ſeruo datur. quia quæ facti ſunt, non tranſeunt ad dominum. quẽadmodum ſi mihi aut ſeruo Titij ſtipulatus ſim: non Titio, ſed ſeruo eius dari poteſt. & hæc vera ſunt. 1 ¶ Sed cùm heredi dare iuſſus eſt: videamus, ne domino dandum ſit. & conſequens eſt, & hic ſeruo dari. 2 ¶ Certè, ſtatuliber quin domino dare debeat, non eſt dubium. 3 ¶ Contrà qui domino debet dare, non implet condicionem dando ſeruo eius: niſi ſi dominus conſenſerit. nemo enim in tali ſpecie condicionem, neſciente me, vel nolente, implere poteſt. 4 ¶ Cùm hereditas ex Trebelliano ſenatuſconſulto reſtituta eſt: heredi dandum eſt, vt impleatur condicio: nec hoc reſtituendum eſt ex cauſa fideicommiſſi. 5 ¶ Sed cùm ſuſpectam adiit, & reſtituit: dubitabatur, an ei auferendum ſit. & benignius eſt, & in hoc caſu nihil ei auferri. 6 ¶ Si autem, me herede inſtituto, controuerſia mihi fiet hereditatis: ſi cauet legatarius, euicta hereditate reddi legatum: & ipſi cauendum eſt, reddi, quod dedit. 7 ¶ Sed ſi iuſſus ſis mihi decem dare, & accipere hereditatem ex ſenatuſconſulto: decem tibi ex cauſa fideicommiſſi non reſtituam. 8 ¶ Si duorum ſeruo legatum ſit ſub condicione dandi: non poſſe per partes condicioni pareri, quidam aiunt: ſed ſemel dandam pecuniam. ſed ego contrà puto. 9 ¶ Si pars rei legatæ vſucapta ſit: an in ſolidum parẽdũ ſit, dubito. & poteſt dici, pro parte parẽdũ ex ſententia teſtatoris. 10 ¶ *Plautius*: Vni ex heredibus fundum legaui, ſi centum heredibus dediſſet. deducet ſuam partem hereditariam: & reliquam ſummam heredib. pro portione eorum dabit. At ſi heres ex parte ita inſtitutus eſſet, ſi hæredibus decem dediſſet: non aliter eſſet heres, quàm ſi tota decem coheredibus dediſſet. quia non antè ad hereditatem admitteretur, quàm ſi omnem ſummam dediſſet. Nam cùm & ſeruus teſtamento liber, & ex parte heres ita ſcriptus eſſet, ſi heredibus decem dediſſet: conſtitit, non aliter eum liberum heredémque futurum, quàm ſi tota decem coheredibus dediſſet. *Paulus*: Hoc iure vtimur.

45. *Idem* libro 16. ad Plautium.

IVlianus ait: ſi heredi legatarius, cui ſub condicione legatum erat, *Si heredi decem dederit*, id, quod ei deberet, heres acceptò tuliſſet: non quidem videri condicioni paruiſſe, quaſi dederit: ſed quaſi per heredem fiet, quo minus pareat, poſſe petere legatum, quaſi extiterit condicio.

46. *Idem* libro 3. ad Vitellium.

SI in diem (exempli gratia) centeſimum, imperatũ eſt ſtatulibero, vt pecuniam ſolueret, neque initiũ temporis eius, quod futurum eſſet, adſcriptum eſt: adita hereditate cedere dies incipit. quia abſurdum viſum eſt, ante diem præterire, quàm is exiſteret, quem oporteret accipere. & hoc in omnibus, qui heredi dare iuſſi ſunt, dicendum eſt. igitur & legatario ex adita hereditate ad parendum condicioni tempus computabitur.

47. *Marcellus* libro 14. Digeſtorum.

SEruo libertatem ita dedit: *Ille, ſi meus erit, liber eſto.* legatum vel hereditatem ſine condicione ei dedit. deinde eum alienauit. debebitur domino eius legatum vel hereditas: & iuſſu eius adiri poterit. nam id expreſſit, *Si meus erit*, in libertate danda. quo futurum erat, vt impediretur libertas, etiam ſi expreſſum non eſſet. ſæpenumero tamen mutatur rei effectus, quamquam id expreſſerit teſtator, quod, etſi non feciſſet, ineſſet tamen.

48. *Idem* libro 15. Digeſtorum.

NOn putabam diem fideicommiſſi veniſſe, cùm ſextumdecimum annum ingreſſus fuiſſet, cui erat relictum, cùm ad annum ſextumdecimum perueniſſet. & ita etiam Aurelius imperator Antoninus ad appellationem ex Germania iudicauit.

49. *Celſus* libro 22. Digeſtorum.

SI in annos decem heres dare damnatus, aut quis liber eſſe iuſſus eſt: nouiſſimo eius temporis die legatum debebitur, & libertas obtingit.

50. *Vlpianus* libro 1. de officio Conſulis.

SI cui libertas data ſit directo ſub hac conidcione, ſi rationes reddidiſſet: arbitrum à conſulibus Diuus Pius dari permiſit his verbis: Aditi à vobis ampliſſimi conſules arbitrum dabunt: qui, excuſſis rationibus, non tantùm, quæ reliqua ſunt Epaphroditi, conſtituent, verumetiam quas rationes, quæque inſtrumenta tradere, aut exhibere dominis ſuis debeat. cuius ſentẽtiæ cùm fuerit ſatisfactum, non impedietur Epaphroditi libertas.

51. *Modeſtinus* libro 5. Differentiarum.

SVb diuerſis condicionibus diſiunctim poſitis liber eſſe iuſſus, eam condicionem eligere poteſt, quæ ſibi leuior eſſe videbitur. legato verò eo modo relicto, legatarium nouiſſimæ condicioni parere oportet. 1 ¶ Heredi decem dare iuſſus, & liber eſſe, & heredis heredi dando perueniet ad libertatem. quod non ſimiliter in legatarij perſona cuſtodiri, Publicius ſcribit.

52. *Idem* libro 7. Differentiarum.

NOnnumquàm contingit, vt quędam nominatim expreſſa officiant, quamuis omiſſa tacitè intellegi potuiſſent, nec eſſent officitura. quod euenit, ſi alicui ita legatur: *Titio decem do lego, ſi Mæuius Capitolium aſcenderit.* nam quamuis in arbitrio Mæuii ſit, an Capitolium aſcendat, & velit efficere, vt Titio legatum debeatur: non tamen poterit aliis verbis vtiliter legari, *Si Mæuius voluerit, Titio decem do.* nam in alienam voluntatem conferri legatum non poteſt, Inde dictum eſt: Expreſſa nocent, non expreſſa non nocent.

53. *Idem* libro ſingulari de Eurematicis.

SI quis ſeruum liberum eſſe iuſſerit, ſi heredi rationes reddidiſſet, poſteáque eum rationes reddere vetuerit, quaſi puram facturus libertatem: competit ex teſtamento libertas.

54. *Iauolenus* libro 2. ex Caſſio.

SI quis legata, quibus dies adpoſita non eſſet, annua, bima, trima die dari iuſſit, & alicui, cùm pubes eſſet, pecuniam legauit: id quoque legatum annua, bima, trima die poſt pubertatem præſtandum

eſſe, in commentariis Gaij ſcriptum eſt: quia magis condicio, quàm dies legato adiecta eſſet. contrà ego ſentio. quia ferè dies ponitur ad proroganda ea, quæ ad præſens tempus, non etiam quæ in futurum legata ſunt; diéſque pubertatis habet aliquam temporis demonſtrationem.

1 ¶ Duobus eadem res, ſi heredi centum dediſſent, legata eſt. ſi alter ex his quinquaginta dederit, partem legati conſequetur. & pars eius, qui non dederit, alteri cum ſua condicione adcreſcit.

55. *Idem* libro 13. Epiſtularum.

MÆuius, cui fundus legatus eſt, ſi Callimacho, cũ quo teſtamenti factionẽ non habebat, ducenta dediſſet: condicioni parere debet, & ducẽta dare, vt ad eũ legatus fundus pertineat: licet nummos non faciat accipientis. quid enim intereſt, vtrùm tali perſonæ dare iubeatur, an aliquo loco ponere, vel in mare deiicere? neque enim illud, quod ad talem perſonam peruenturum eſt, teſtamenti nomine, ſed mortis cauſa capitur.

56. *Idem* libro 14. Epiſtularum.

CVi fundus legatus eſt, ſi decem dederit, partem fundi conſequi non poteſt, niſi totam pecuniam numeraſſet. diſſimilis eſt cauſa, cùm duobus eadem res ſub condicione legata eſt. in hac enim quæſtione ſtatim à teſtamento, quo pluribus condicio adpoſita eſt, diuiſa quoque in ſingulas perſonas videri poteſt: & ideo ſinguli cum ſua parte & condicioni parere, & legatum capere poſſunt. nam quamuis ſumma vniuerſæ condicionis ſit adſcripta, enumeratione perſonarum poteſt videri eſſe diuiſa. in eo vero, quod vni ſub condicione legatum eſt, ſcindi ex accidenti condicio non debet; & omnis numerus eorum, qui in locum eius ſubſtituuntur, pro ſingulari perſona eſt habendus.

57. *Pomponius* libro 9. ad Quintum Mucium.

QVæſitum eſt, an, ſi iuſſus fuerit ſeruus quinque operas extraneo dare, vt liber ſit, condicio talis ſit recipienda: vt quemadmodum circa pecuniæ dationem dicitur, ita & circa præſtationem operarum dicamus. ſed hoc iure vtimur. vt quemadmodum dictum eſt, ſi pecuniam ex peculio ſuo det extraneo, admitti eum ad libertatem, ita, & ſi operam præſtiterit, neceſſe ſit eum admitti ad libertatem. itaque & in propoſito ſapienter faciet heres, ſi impedierit eũ, quo minùs præſtet & operas. hac enim ratione ſeruus perueniet quidem ad libertatem, ſed operis eius extraneus non vtetur.

58. *Idem* libro 10. ex Variis Lectionibus.

SI ancillæ alienæ, cùm ea nubſiſſet, legatum ſit: Proculus ait, vtile legatum eſſe: quia poſſit manumiſſa nubere.

59. *Vlpianus* libro 13. ad Legem Iuliam & Papiam.

INtercidit legatum, ſi ea perſona deceſſerit, cui legatum eſt ſub condicione. 1 ¶ Quid ergo, ſi non deceſſerit, ſed in ciuitate eſſe deſierit? puta alicui legatũ, ſi conſul fuerit: & is in inſulam deportatus eſt. nũquid non interim exſtinguitur legatũ, quia reſtitui in ciuitate poteſt? quod probabilius eſſe arbitror.

2 ¶ Non idem erit dicendum, ſi ea pœna in eum ſtatuta fuerit, quæ irrogat ſeruitutem: quia ſeruitus morti adſimulatur.

60. *Paulus* libro 7. ad Legem Iuliam & Papiam.

IN facto conſiſtentes condiciones varietatem habẽt, & quaſi tripertitam recipiunt diuiſionem: vt quid detur, vt quid fiat, vt quid obtingat: vel retrò, ne detur, ne fiat, ne optingat. ex his, dandi faciendique condiciones in perſonas collocantur aut ipſorum, quibus quid relinquitur, aut aliorum. tertia ſpecies in euentu ponetur. 1 ¶ Fiſcus iiſdem condicionibus parere debet, quibus perſona à qua ad ipſum, quod relictum eſt, peruenit. ſicut etiam cum ſuo onere hoc ipſum vindicat.

61. *Vlpianus* libro 8. ad Legem Iuliam & Papiam.

SI vir vxori ad tempus liberorum legauerit: dubitari poteſt, an de his dumtaxat filiis ſenſiſſet teſtator, qui poſt mortem eius nati fuiſſent, an & de his, qui viuo eo ab eo ſuſcepti fuiſſent poſt teſtamentũ factum, ſi tum manente matrimonio deceſſiſſet. verùm æquum eſt proficere, ſiue viuo marito, ſiue poſt mortem naſcatur.

62. *Terentius Clemens* libro 4. ad Legem Iuliam & Papiam.

SEd ſi hoc ſpecialiter expreſſit teſtator, etiam ſi ex alio poſt mortem ſuam libero procreauerit, nihilominùs eam ad legatum admitti. 1 ¶ Cuidam non ſolidum capienti, amplius legi conceſſæ portionis relicta eſt, ſi heredi aliquid dediſſet. quæritur: an id, quod condicionis implendæ cauſa dederat, conſequi ex cauſa legati poſſit, quaſi non capiat id, quod deroget: an vero id extra ſit, nec ideò magis ex bonis teſtatoris amplius capiat, quàm capturus eſſet, ſi ſine condicione legatum eſſet. & Iulianus rectiſſimè ſcribit, tanto amplius eum capturum, quantum condicionis implendæ cauſa dare eum oportet. nec intereſſe, heredi, an extraneo dare iuſſus ſit: quia computatione facta, quæ ſemper in perſona eius introduceretur, nõ amplius legi conceſſæ portionis ad eum ſubſideret.

2 ¶ Cum vir vxori, *Si à liberis ne nubſerit*, in annos ſingulos aliquid legauit: quid iuris ſit? Iulianus reſpondit, poſſe mulierem nubere, & legatum capere. quòd ſi ita ſcriptum eſſet, *Si à liberis impuberibus ne nubſerit*, legem locum non habere: quia magis cura liberorum, quàm viduitas iniungeretur.

63. *Gaius* libro 3. ad Legem Iuliam & Papiam.

CVm ita legatũ ſit, *Si Titio non nubſerit*, vel ita, *Si neque Titio neque Seio neque Mæuio nubſerit*, & deniq; ſi plures perſonæ cõprehenſæ fuerint: magis placuit, cuilibet eorũ ſi nubſerit, amiſſuram legatũ: nec videri tali condicione viduitatẽ iniunctam, cùm alij cuilibet ſatis commodè poſſit nubere. 1 ¶ Videamus, & ſi ita legatum ſit, *Si Titio nubſerit*. & quidem ſi honeſtè Titio poſſit nubere: dubium non erit, quin, niſi paruerit condicioni, excludatur à legato. ſi verò indignus ſit nuptiis eius iſte Titius: dicendum eſt, poſſe eam beneficio legis cuilibet nubere. quæ enim Titio nubere iubetur, ceteris omnibus nubere prohibetur. itaque ſi Titius indignus ſit: tale eſt, quale ſi generaliter ſcriptũ eſſet, *Si non nubſerit*. immo, ſi verum amamus, durior hæc condicio eſt, quàm illa, *Si non nubſerit*. nam & ceteris omnibus nubere prohibetur: & Titio, cui inhoneſtè nuptura ſit, (cum) nubere iubetur.

64. *Terentius Clemens* libro 5. ad legem Iuliam & Papiam.

HOc modo legato dato, *Si Luciæ Titio nõ nubſerit*: non eſſe legi locũ, Iulianus aiebat.

1 ¶ Quòd ſi ita ſcriptũ eſſet, *Si Ariciæ non nubſerit*: intereſſe, an fraus legi facta eſſet. nam ſi ea eſſet, quæ aliubi nuptias non facilè poſſit inuenire: interpretandum, ipſo iure reſcindi, quod fraudandæ legis gratia eſſet adſcriptum. legem enim vtilem reipublicæ, ſVboli ſcilicet procreandæ cauſa latam, adiuuandã interpretatione.

65. *Gaius* libro 62. ad Edictum.

LEgato ſub condicione relicto: ſi heres, à quo ſub cõdicione legatum eſt, pendente condicione moriatur: heredem ſuum obligatum relinquit.

66. *Modeſtinus* libro 10. Reſponſorum.

HEres ſtatuliberum, cui in euentum condicionis fide commiſſum reſtituere rogatus erat, manumiſit. quæro, an fideicommiſſum ei præſtare debeat. Herennius Modeſtinus reſpondit; Quamquam ſtatuliberum heres manumiſerit, tamen fideicommiſſum, quod ſub iiſdem condicionibus relictum ei debet, ita præſtare cogitur, ſi condiciones impletas eſſe præſtabit, aut per eum ſtetit, quo minùs impleantur.



67. *Iauolenus* libro 11. Epiſtularum.

CVm ſub hac condicione fundus alicui legatus eſſet, *Si ſeruum non manumiſerit*: &, ſi manumiſerit, legatum fundi ad Mæuium tranſlatum eſſet: legatarius de non liberando ſatiſdedit, & legatum accepit, & poſtea liberauit. quæro, an aliquid Mæuio detur. reſpondit: Si cui ita legatum erit, *Si ſeruum non manumiſerit*: ſatiſdatione interpoſita, accipere ab herede legatum poterit: &, ſi poſtea ſeruũ manumiſerit, commiſſa ſtipulatione heredi vel fundum, vel quanti ea res eſt, reſtituet: eóque caſu heres ei, cui ex ſequenti condicione legatum debuerit, reſtituet.

68. *Idem* libro 2. ex Caſſio.

SI ita legatum eſſet, *Cùm nubſerit*: ſi nupta fuerit, & hoc teſtator ſciſſet: alterum matrimonium erit exſpectandum. nihilque intererit, vtrùm viuo teſtatore, an poſt mortem ea iterum nubſerit.

69. *Gaius* libro 13. ad legem Iuliam & Papiam.

SI ita expreſſum erit, *Titio, ſi voluerit, do lego*: apud Labeonem Proculus notat, non aliter ad heredẽ legatarij pertinere, quàm ſi ipſe legatarius voluerit ad ſe pertinere. quia condicio perſonæ iniuncta videtur.

70. *Papinianus* libro 16. Quæſtionum.

DVos mater filios ſub condicione emancipationis ex partibus heredes inſtituit: eiſque pluriũ rerum præceptiones purè dedit. hereditatem adierunt. patrem à legatorum commodo illa quoque ratio debet ſummouere: quod emancipando filios, obſecutus voluntati, ſupremum iudicium vxoris ſuæ cuſtodiri voluit.

71. *Idem* libro 17. Quæſtionum.

TItio centum, ita vt fundum emat, legata ſunt. non eſſe cogendum Titium cauere Sextus Cæcilius exiſtimat. quoniam ad ipſum dumtaxat emolumentum legati rediret. Sed ſi filio, fratri, alumno minus induſtrio proſpectum eſſe voluit: intereſſe heredis, credendum eſt: atque ideo cautionem interponendam, vt & fundus comparetur, ac poſtea non alienaretur.

1 ¶ Titio centum relicta ſunt ita, vt Mæuiam vxorem, quæ vidua eſt, ducat. condicio non remittetur. & ideo nec cautio remittenda eſt. Huic ſententiæ non refragatur, quod, ſi quis pecuniam promittat, ſi Mæuiam vxorem non ducat, prætor actionem denegat. aliud eſt enim elegendi matrimonij pœnæ metu libertatem auferri, aliud ad teſtamentum certa lege inuitari.

2 ¶ Titio centum relicta ſunt ita, vt à monumento meo non recedat. vel vti in illa ciuitate domicilium habeat. poteſt dici, non eſſe locum cautioni, per quam ius libertatis infringitur. Sed in defuncti libertis alio iure vtimur.

3 ¶ *Titio genero meo heres meus dotis Seiæ filiæ meæ nomine centum dato.* legati quidem emolumentum ad Seiam, quæ dotem habere incipit, pertinebit. ſed quia non tantum mulieri, ſed Titio quoque, cui pecuniam legauit, conſultum videtur: prope eſt, vt ipſe legatarius intellegatur, & legatum petere debeat. Si poſt diuortium genero pecuniam heres ſoluerit, æquè liberabitur: quoniam in dotem ſolutio conuertitur. Conſtante autem matrimonio, etiam prohibente muliere, Titio rectè ſoluetur. hoc enim & mulieris intereſt, vt incipiat eſſe dotata. nam & ſi quis ipſam quoque petitionem habere reſponderit, eáque pecuniam petat, neque dotis fieri velit: non dubiè doli ſummouebitur exceptione. Ante nuptias verò Titio vel muliere defunctis, legatum apud heredem manet. Quòd ſi nolit eam vxorem ducere: cauſa legati, quod ad mulieris perſonam attinet, ſatisfactum intellegetur: ſed Titio legatum petenti nocebit exceptio doli. Sabinus autem exiſtimabat, nupta muliere Titio, ſine cautione legatum deberi: quoniam pecunia doti efficeretur, ſed cùm ante nuptias, quia purum legatum eſt, peti poteſt: cautio, *Mulieri pecuniam reddi*, neceſſaria erit. Quòd ſi maritus vitio ſuo cauſa ceciderit, neque ſoluendo ſit: numquid aduerſus heredem mulieri, quæ nihil deliquit, ſuccurri debeat ob eam pecuniam, quæ doti fuerat deſtinata. ſed quoniam ambo legati petitionem habuerunt: ſaluam habebit, non ſoluta pecunia viro, mulier actionem.

72. *Idem* libro 18. Quæſtionum.

CVm tale legatum eſſet relictum, *Titiæ, ſi à liberis non diſceſſerit*: negauerunt, eam rectè cauere: quia vel mortuis liberis legati condicio poſſit exſiſtere. ſed diſplicuit ſententia. non enim voto matris opponi tam ominoſa non interponendæ cautionis interpretatio debuit.

1 ¶ Et cùm patronus liberto certam pecuniam legaſſet, ſi à liberis eius non diſceſſiſſet: permiſit Imperator, velut Mucianam cautionẽ offerri. fuit enim periculoſum ac triſte, libertum coniunctum patroni liberis, eorundem mortem exſpectare.

2 ¶ Titius heredem inſtitutũ rogauit poſt mortem ſuam hereditatem reſtituere, ſi fideicommiſſi cautio non fuiſſet petita. Mucianæ cautionis exemplum, ante conſtitutionem remiſſæ cautionis, locum habere non potuit, quoniam viuo eo, cui relictum eſt, impleri condicio potuit.

3 ¶ Quid ergo, ſi ita ſcriptum ſit? *Peto poſt mortem tuam reſtituas hereditatem, ita ne ſatis fideicommiſſi petatur, néve ratio exigatur.* ſine dubio per huiuſmodi verba non interponendæ quidem cautionis condicio videbitur adſcripta: rationi verò non exigendæ modus adhibitus, ſcilicet vt culpa, non etiam dolus remiſſus intellegatur. idque in eius perſona, qui negotia geſſit, cuique rationis reddendæ neceſſitas fuerat teſtamento remiſſa, reſcriptũ eſt.

4 ¶ *Si arbitratu Titij Seiæ nubſerit, heres meus ei fundum dato.* viuo Titio etiam ſine arbitrio Titij eam nubentem legatum accipere, reſpondendum eſt. eámque legis ſententiam videri, non quod omnino nuptiis impedimentum inferatur. Sed ſi Titius viuo teſtatore decedat, licèt condicio deficit, quia tamen ſuſpenſa quoque pro nihilo foret, mulieri ſuccurretur.

5 ¶ *Mæuiæ ſi non nubſerit, fundum cùm morietur, lego.* poteſt dici, & ſi nubſerit, eam confeſtim ad legatũ admitti. Non idem probatur: ſi certus dies, incertúſve alius legato fuerit, adſcriptus.

6 ¶ Falſam cauſam legato nõ obeſſe, verius eſt: quia ratio legandi legato non cohæret. ſed plerumque doli exceptio locum habebit, ſi probetur aliàs legaturus non fuiſſe.

7 ¶ Falſam condicionem Caſſius & Cælius Sabinus impoſſibilem eſſe dixerunt: veluti: *Pamphilus, ſi, quod Titio debeo, ſoluerit, liber eſto*: ſi modò nihil Titio fuit debitum, quòd ſi poſt teſtamentum factum teſtator pecuniam exſoluit, defeciſſe condicionem intellegi.

8 ¶ Falſam legati demonſtrationem non facere legatum, Sabinus reſpondit: veluti ſi quis, cùm Titio nihil legaſſet, ita ſcriptum relinquerit: *Ex centum, quæ Titio legaui, quinquaginta heres Seio dato.* idque ſumpſit ex defuncti voluntate. quia non animo legandi, ſed deminuendi legatum, quod falſò datum exiſtimaret, ita ſcriberet. Propter falſam tamen demonſtrationem legati non plus Seius adſequetur, quàm ſi verè demonſtratum fuiſſet.

73. *Idem* libro 19. Quæſtionum.

TItio fundus, ſi in Aſiam non venerit: idem, ſi peruenerit, Sempronio legatus eſt. cùm in omnibus condicionibus, quæ morte legatariorum finiuntur, receptum eſt, vt Muciana cautio interponatur: heres cautionem à Titio accepit, & fundum ei dedit. ſi poſtea in Aſiam peruenerit; Sempronio heres, quod ex ſtipulatu cautionis interpoſitæ conſequi poteſt, vtili actione præſtare cogitur. ſed ſi cautio medio tempore

defecerit, quæ ſollicite fuerat exacta: non de ſuo præſtabit heres: ſed, quia nihil ei poteſt obijci, ſatis erit actiones præſtari. ſi tamen Titius cùm Aſiam veniſſet: Sempronius, priùs quàm legatum acciperet, deceſſerit: heredi eius deberetur, quod defunctus petere potuit.

74. *Idem* libro 32. Quæſtionum.

MVlieri & Titio vſuſfructus, ſi non nubſerit mulier, relictus eſt. ſi mulier nubſerit: quàdiu Titius & viuit, & in eodem ſtatu erit: partem vſuſfructus habebit. tantum enim beneficio legis ex legato conceſſum eſſe mulieri intelligendum eſt, quantum haberet, ſi condicioni paruiſſet. nec ſi Titius, qui condicione defectus eſt, legatum repudiet, ea res mulieri proderit.

75. *Idem* libro 34. Quæſtionum.

DIes incertus condicionem in teſtamento facit.

76. *Idem* libro 6. Reſponſorum.

FIdeicommiſſum à filiis relictum, *Si quis ex his ſine liberis diem ſuum obierit*, adoptionis commento non excluditur.

77. *Idem* libro 7. Reſponſorum.

AVia, quæ nepotem ſub condicione emancipationis pro parte heredem inſtituerat, ita poſtea codicillis ſcribſit: *Hoc amplius nepoti meo, quàm quod eum heredem inſtitui, lego prædia illa.* condicionem emancipationis repetitam videri placet: quamuis auia nullam in legatis, vt in hereditate, ſubſtitutionem feciſſet. Nam & cùm ſeruus pure quidem liber, heres autem ſub condicione ſcriptus, &, ſi heres non exſtiterit, legatum accipere iuſſus eſt: in legato repetitam videri libertatem, Diuus Pius reſcribſit.

1 ¶ Muciana cautio locum non habet, ſi per aliã condicionem actio legati differri poſſit.

2 ¶ *Titio, ſi mulier non nubſerit, heres centum dato.* quam pecuniam eidem mulieri Titius reſtituere rogatus eſt. ſi nubſerit mulier: die legati cedente, fideicommiſſum petet. remoto autem fideicommiſſo, legatarius exemplum Mucianæ cautionis non habebit.

3 ¶ Pater exheredatæ filiæ tutores dedit: eóſque, ſi mater eius, impubere filia conſtituta, vita deceſſiſſet, ad rem gerendam accidere iuſſit. cùm vxori mandatum eſſet, vt moriens filiæ communi decies reſtitueret, non ſub condicione tutores videbuntur dati: nec ſi quid aliud interea puella quæſiſſet, eius adminiſtratione prohiberi. cautio verò fideicommiſſi matri remiſſa. Quocumque indicio voluntatis cautio legatorum, vel fideicommiſſorum remitti poteſt. Itaque ſi cautionis non petendæ condicio legato vel fideicommiſſo præſcribatur: condicionẽ ea res non faciet. non enim deficiet, ſi quis caueri deſiderauit, onere cautionis non ſecuto. quod aduerſus inuitum hodie iure publico ſequi non poteſt, poſtquàm remitti poſſe cautionem placuit.

78 *Idem* libro 9. Reſponſorum.

CVm pupillus aut tutor eius condicionem in perſonam pupilli collatam impedit: tam legati, quàm libertatis, iure communi condicio impleta eſſe videtur.

1 ¶ Diſiunctiuo modo condicionibus adſcriptis, alteram defeciſſe non oberit, altera vel poſtea impleta. Nec intereſt, in poteſtate fuerint accipientis condiciones, an in euentum collatæ.

79. *Idem* libro 1. Definitionum.

H*Eres meus, cùm morietur Titius, centum ei dato.* purum legatum eſt: quia non cõdicione, ſed mora ſuſpenditur. non poteſt enim condicionem exſiſtere.

1 ¶ *Heres meus, cùm ipſe morietur, centum Titio dato.* legatum ſub condicione relictum eſt. quamuis enim heredem moriturum certum ſit: tamen incertum eſt, an legatario viuo dies legati non cedit: & non eſt certum, ad eum legatum peruenturum.

2 ¶ Qui poſt Mucianam cautionem interpoſitam legatum accepit, ſi contra cautionem aliquid fecerit, ſtipulatione commiſſa etiam fructus heredi reſtituet. hoc enim legatarius & in exordio cauere cogitur.

3 ¶ Quamuis vſuſfructus, cùm morietur legatarius, inutiliter legetur: tamen cautionis Mucianæ remedium, vſufructu quoque ſub condicionem alicuius non faciendi legato, locum habet.

4 ¶ Quod in fraudem legis ad impediendas nuptias ſcriptum eſt, nullam vim habet veluti. *Titio patri centum, ſi filia, quam habet in poteſtate, non nubſerit, heres dato.* vel: *filiiſfamilias, ſi pater eius vxorem non duxerit, heres dato.*

80. *Scæuola* libro 8. Quæſtionum.

EAs cauſas, quæ protinus agentem repellunt, in fideicommiſſis non pro condicionalibus obſeruari oportet. eas verò, quæ habent moram cum ſumptu, admittemus cautione oblata. nec enim parem dicemus eum, cui ita datum ſit, ſi monumentum fecerit: & eum, cui datum eſt, vt monumentum faciat.

81. *Paulus* libro 21. Quæſtionum.

IVlius Paulus Numphidio: Quæſiti: ſi ita in teſtamento cautum eſſet. *Stichus, ſi rationes reddiderit, cum contubernali ſua liber eſto: eiſque decem heres dato*, an Sticho mortuo, antequàm rationes redderet: vel pariatore vel reliqua habente, libera eſſet mulier: & an de legato idem accipiamus. Libertate data ſi rationes reddiderit, hanc condicionem rationum reddendarum, vt iuſſus videatur reliqua reddere, ſi qua habet, cum fide actus ſui, quæ ſi nulla ſunt, pure accepiſſe libertatem videbuntur. & ſi poſt aditam hereditatem deceſſit, competente libertate etiam legatum eos ſecutum eſt, quòd ſi, cum adhuc reliqua haberet, deceſſit: ſub eadem condicione & contubernalis eius libertatem accepiſſe videtur, & defecta videbitur condicione. Sed non ineleganter illud dicetur, Stichum quidem ſub condicione manumiſſum, contubernalem autem eius purè: & illam coniunctionem non ad coniungendam condicionem, ſed, ad neceſſitudinem demonſtrandam pertinere.

1 ¶ Tunc demum pro impleta habetur condicio, cùm per eum ſtat, qui, ſi impleta eſſet, debiturus erat.

82. *Calliſtratus* libro 2. Quæſtionum.

CVm ſeruus ita liber eſſe iuſſus ſit, ſi rationes reddiderit, eique fundum heres dare damnas ſit: videamus, vtrùm condicio libertati præpoſita ſit, an verò & legato. & quidem ſi libertati ſoli accipiamus præpoſitam, nullus tractatus amplius ſupereſt: nam legatum purum inuenitur, & ideo inutile fit. quod ſi condicio etiam legato inſita ſit, quod quidam recte putant, ſimul cum libertate dies quoque legati vtiliter cedit. Quid ergo continetur his verbis, *Si rationes reddiderit*? quidam hoc aiunt, ſi reliqua reddiderit: quaſi nihil interſit, vtrùm ſub hac condicione, *Si reliqua*, vel ſi hac, *Si rationes reddiderit*. ſed nos neque condicionem meram putamus eſſe, quæ in datione exſiſtit: neque meram condicionem, quæ in facto ſit: ſed eam condicionem, quæ ex mixtura quadam conſiſtit. nam non vtique, ſi ille in folle reliqua optulerit, liber erit. non enim teſtator hoc ſentit: ſed illud, vt rationes reddat, quomodo ſeruus reddere ſolet. id eſt, legendas offerre rationes primùm, deinde computandas: vt explorari poſſit: imputationes probe, an improbe referantur: accepta recte relata, an non recte. ita enim incipit quidem res à facto, peruenit autem ad pecuniam. ineſt his verbis etiam, heredes notitia inſtrui rationum, vt ſciant, quid in quaque ratione ſcriptum ſit. nam quod ipſe viuus facturus erat, ab heredibus ſuis fieri iuſſiſſe intellegitur, ille autem vtique non ſic ſolebat ſeruo ſuo oſtendenti reliqua rationes ſubſcribere: ſed ita, vt legeret, examinaret, exciperet. itaque cùm ſeruo ſub hac condicione teſtamento libertas datur, *Si rationes reddiderit*: non hanc ſolam



habet ſignificationem, ſi cautiones inſtrumentaque omnia actus ſui exhibuerit heredi: ſed & ſi reliqua ſoluerit.

83. *Paulus* libro 12. Reſponſorum.

LVcius Titius ita teſtamentũ fecit: *Aurelius Claudius natus ex illa muliere, ſi filium meum ſe eſſe iudici probauerit, heres mihi eſto.* Paulus reſpondit: filium, de quo quæreretur, non ſub ea condicione inſtitutum videri, quæ in poteſtate eius eſt. & ideo teſtamentum nullius eſſe momenti.

84. *Idem* libro 14. Reſponſorum.

I*Llis libertis alimentorum nomine, ſi cum filio meo morati inerint, menſtruos denarios centenos, & veſtiaria dari volo.* liberti in obſequio fuerunt, quamdiu adoleſcens ad militiam promoueretur. qua cauſa effectũ eſt, vt quibuſdam Romæ relictis proficiſceretur: & apud caſtra defunctus eſt. quæſitum eſt, an ab heredibus eius alimenta debeantur. Paulus reſpondit: condicionem quidem in perſona libertorum, qui cum filio defuncti morati ſunt, aut per eos nõ ſtetit, quo minùs morarentur, mortuo filio teſtatoris defeciſſe non videri: ſed, ſi teſtator propter filij vtilitatem his qui cum eo morati fuiſſent, alimenta præſtari voluit: contra voluntatem defuncti petentes audiri non oportere.

85. *Scæuola* libro 3 Reſponſorum.

TItia heredis inſtituti liberos habentis filij fidei commiſit, vti rem eius vniuerſam reſtitueret filiis eius, liberiſve eorum, cùm ipſi petiſſent, ſine vlla iuris cauillatione. quæro, an his verbis: *Cùm illi à te petierint*, condicio fideicommiſſo adſcripta videatur. reſpondit, non videri.

86. *Marcianus* libro 3. Fideicommiſſorum.

IVlianus noſter, eum, qui decem dare, & ita liber eſſe iuſſus eſſet, ſi à viuente manumiſſus eſſet, nõ aliter legatum, quod ei cum libertate datum eſſet, habiturum, quàm ſi condicioni libertatis paruiſſet. Item in emptorem, ſi alienatus eſſet. Sed id tunc locum habet, cùm omnimodo ſimul cum libertate legatum adquiri potuit, licèt legato impoſita non ſit, veluti cùm in tempus libertatis legatum collatum eſſet. Cum verò libertas ſub condicione, legatum autem præſenti die datum eſt: in hoc quæſtio eſt, an conſtiterit legatum. etenim nec Catonianæ ſententiæ locum in propoſito eſſe. quia etſi ſtatim teſtator deceſſiſſet, non tamen omnimodo inutile eſſet legatum: cùm poſſet condicio libertatis ante aditam hereditatem impleri, & legatum manumiſſo deberi. niſi fortè neceſſarius heres exſtitiſſet. tunc enim omnimodo inutile erit legatum iure ipſo: quia ſub condicione acceperit libertatem.

87. *Valens* libro 1. Fideicommiſſorum.

QVod traditum eſt, in legatis nouiſſimam, in libertatibus leuiſſimam condicionem ſpectandam eſſe: (

88. *Gaius* libro 1. Fideicommiſſorum.

ID eſt, quæ ipſi ſeruo commodior ſit.)

89. *Valens* libro 1. Fideicommiſſorum.

NOn ad ea dumtaxat pertinet, quæ ſæpiùs ſub diuerſis condicionibus: ſed etiam, quæ primo puré, deinde ſub condicione dantur. Itaque quod heres pure dare iuſſus eſt, quódve pure legatum eſt, cum id ex interuallo ſub condicione legatum eſt, poſterius valet. Si priùs ſub condicione, deinde pure legatum eſt: præſens debetur. Quòd ſi pure legatum, ex continenti heres ſub condicione damnatus aut rogatus eſt dare: perinde eſt, ac ſi iuncta ſubiecta ſcriptura idem legatum eſſet: vel vt præſens vindicari, ſi hoc voluerit legatarius: vel, cùm condicio exſtiterit, ab herede peti poſſit. niſi commemoratione ſuperioris legati poſterius ſcriptum fuerit: velut, *Stichum, quem illi legaui, heres meus ei, ſi illud factum erit, dato.* tunc enim reuocandi animo præſens legatum, & ſub condicione dandi ita ſcripſiſſe videbitur, & ante condicionem rem vindicet, doli exceptio locum habere poterit.

90. *Gaius* libro 1. Fideicommiſſorum.

PEr fideicommiſſum varie data libertate, non leuiſſima ſpectanda eſt, ſed nouiſſima: quia poſterior voluntas potior haberi debet. cui conſonat etiam reſcriptum Diui Antonini.

91. *Marcianus* libro 2. Fideicommiſſorum.

COndicionum, quæ in futurum conferuntur, triplex natura eſt: vt quædam ad id tempus, quo teſtator viuat: quædam ad id, quod poſt mortem eius futurum ſit: quædam alterutrum pertineat: tempus autem vel certum, vel infinitum comprehendatur. quæ omnia non minùs in fideicommiſſis, quàm in inſtitutionibus ac legatis incidere ſolent. Vt hæc condicio, *Titiæ ſi mihi nubſerit*, non dubie, niſi viuente teſtatore. illa autem, *Si ad exequias funeris mei venerit*, niſi poſt mortem, impleri non poſſit: illa verò, *Si filio meo nubſerit*, vel viuente vel mortuo teſtatore impleri poſſit. Et prima quidem ac tertia ex relatis conditionibus, infinitum tempus habet: quandoque enim nubſerit, impletur condicio. ſecunda ad certum tempus adſcripta eſt.

92. *Vlpianus* libro 5. Fideicommiſſorum.

SI cui legatum fuerit relictum, iſque rogatus ſit liberos ſuos emancipare: an cogi debeat manumittere? & retineo, me dixiſſe, defici eos à petitione fideicommiſſi. neque enim prætor fideicommiſſarius eos ad libertatem tuetur vt ſeruos. Papinianum quoque libro nono reſponſorum ſcribere referebam: non eſſe cogendum emãcipare filios ſuos. Arbitror tamen, extra ordinem debere conſtitui, eum, qui adgnouit id, quod ſibi relictum eſt hac contemplatione, vt liberos ſuos emanciparet; cogendum emancipare. neque enim debet circumueniri teſtantium voluntas. ſic deinde hoc accipiendum: quemadmodum ſi ſub condicione liberorum emancipadorum ei fuiſſet legatum, vel ita relictũ, vt eos emanciparet. Cui rei conſequens eſt, quod Diuus Seuerus reſcripſit. nam cùm quædam mulier nepotes ſuos heredes inſtituiſſet: & ipſum filium coheredem filiis ſuis dediſſet: eóſque inuicem ſubſtituiſſet: rogaſſétque filium, vt filios emanciparet: non autem rogaſſet, vt hereditatem eis reſtitueret: ex auctoritate Diui Seueri emancipare eos compulſus eſt, hiſque reſtituere hereditatem. & adiectum eſt, vt ſi tardiùs id faceret, quaſi ex mora vſuras præſtaturum. videri enim eum, qui moram faceret emancipationi, moram reſtitutioni fideicommiſſi eum facere.

93. *Papinianus* libro octauo Reſponſorum.

MAter filio ſuo coheredes ſine vlla condicione filias ipſius dedit: ac petit, vt filias ſuas emanciparet: ita vt curatores à prætore acciperent. filij videri fidei commiſiſſe placuit, vt eas ſui iuris cõſtitutas, ad hereditatem auiæ peruenire pateretur. nec ad rem pertinere ſi portionem filiarum iure ſubſtitutionis quæſiſſet.

94. *Hermogenianus* libro 1. Iuris Epitomarum.

CVm ita datur libertas, *Si Titio*, qui non eſt heres, *decem dederit*: certa perſona demonſtratur: ac propterea in perſonam eius tantùm condicio impleri poteſt. ſane ſi cùm ceſſerit dies, pecuniam cõdicioni comprehenſam ſtatuliber habuerit: iure conſtituto nulli dando, conſequitur libertatem. Diuerſa cauſa eſt legatarij, in cuius perſona placuit condicionem deficere, ſi, antequàm dederit legatarius pecuniã, Titius moriatur. 1 ¶ Ex his verbis: *Si heredi*: vel, *ſi heredi Titio decem dederit, liber eſto*, non tantùm heredi, ſed etiam heredis heredi dando, peruenit ad libertatem, at ſi nullus heredi ſucceſſerit, iure conſtituto, nulli dando, ad libertatem peruenit.

95. *Idem* libro 4. Iuris Epitomarum.

LEgatum ſub condicione relictum, & ad alium tranſlatum, ſi non condicio perſonæ cohæreat, ſub eadem condicione tranſlatum videtur.

96.*Paulus* libro 1. ad Neratium.

TItio vſusfructus ſerui legatus eſt: &, ſi ad eum pertinere deſiiſſet, libertas ſeruo data eſt. Titius viuo teſtatore deceſſit. libertas non valet: quia cõdicio nec initium accepit. *Paulus*: Ergo & ſi viueret Titius, & capere non poteſt: idem dicendum eſt. deſiſſe enim non videtur, quod nec incipit.

1 ¶ Serui vſusfructus mulieri, quoad vidua eſſet, legatus: idem ſeruus, ſi ea nuBſiſſet, liber eſſe iuſſus eſt. ſi mulier nuBſerit, liber erit: quia potior eſt legato libertas.

97. *Idem* libro 2. ad Neratium.

MVnicipibus, ſi iuraſſent, legatum eſt. hæc condicio non eſt impoſſibilis. *Paulus*: Quemadmodum ergo pareri poteſt? per eos itaque iurabunt, per quos municipij res geruntur.

98. *Idem* libro 3. ad Neratium.

MEa res ſub condicione legari mihi poteſt: quia in huiuſmodi legatis non teſtamenti facti tempus, ſed condicionis expletæ ſpectari oportet.

99. *Papinianus* libro 18. Quæſtionum.

COndiciones extrinſecus non ex teſtamento venientes, id eſt, quæ tacitè ineſſe videantur, non faciunt legata condicionalia.

100. *Idem* libro 7. Reſponſorum.

TItiæ, ſi non nuBſerit, ducenta: ſi nuBſerit, centum legauit: nuBſit mulier. ducenta, non etiam centum reſidua petat. ridiculum eſt enim, eandem & vt viduam & vt nuptam admitti.

101. *Idem* libro 8. Reſponſorum.

PAter Seuerianam Proculam Aelio Philippo cognato nuptiis teſtamento deſignauit. eidem filiæ prædium, ſi Aelio Philippo nuBſiſſet, verbis fideicommiſſi reliquit. quod ſi non nuBſiſſet, idem prædium Philippo dari voluit. nondum viripotens puella diem ſuum obiit. reſpondit, cum in condicionibus teſtamentorum voluntatem potius, quàm verba, conſiderari oporteat: Aelio Philippo fideicõmiſſum ita datum videri, ſi ei Procula defuncti filia nubere noluiſſet, quare cum ea priùs, quàm viripotens fieret, vita deceſſerit: condicionem exſtitiſſe non videri.

1 ¶ Ita fideicommiſſo dato: *Volo reſtituas, ſi ſine liberis decedas*: condicio deficit ex voluntate, vel vno filio ſuperſtite relicto.

2 ¶ Condicionum verba, quæ teſtamento præſcribuntur, pro voluntate conſiderantur. & ideo: cùm tutores teſtamento dati, quoniam interea puer adoleuerat, id egerint, vt curatores ipſi conſtituerentur: condicio fideicommiſſi talis præſcripta, *Si Tutelam in annum octauum decimum geſſerint*, defeciſſe non videbitur.

3 ¶ Socrus nurui fideicommiſſum ita reliquerat, *Si cum filio meo in matrimonio perſeuerauerit*. diuortio ſine culpa viri poſt mortem ſocrus facto, defeciſſe condicionem reſpondi: nec ante diem fideicommiſſi cedere, quàm mori cœperit nupta, vel maritus: & ideo nec Mucianam cautionem locum habere: quia morte viri condicio poſſit exſiſtere.

4 ¶ Fideicommiſſa menſtrua & annua ſub ea cõdicione liberto relicta, *Quandiu res patroni filiæ geſſerit*, etſi præſtari neceſſe eſt, filia prohibente res ſuas adminiſtrari: tamen voluntatem filia mutante condicionem reſumunt: quoniam plura ſunt.

102. *Idem* libro 9. Reſponſorum.

CVm auus filium ac nepotem ex altero filio heredes inſtituiſſet: à nepote petit, vt, ſi intra annum trigeſimum moreretur, hereditatem patruo ſuo reſtitueret. nepos, liberis relictis, intra ætatem ſupraſcriptam vita deceſſit. fideicommiſſi condicionem, coniecturam pietatis, reſpondi defeciſſe: quòd minus ſcriptum, quàm dictum fuerat, inueniretur.

103. *Paulus* libro 14. Quæſtionum.

SI ita legatum ſit, *Titio poſt decem annos dato, ſi ſatis ab herede non exegerit*: & Titius intra decimum annum deceſſerit: ad heredem ſuum tranſmittat legatum: quia moriente eo condicio exſtitit.

104. *Idem* libro 14. Reſponſorum.

EVm, qui poſt apertum teſtamentum deportatus & reſtitutus eſt, fideicommiſſum petere poſſe, cuius condicio poſtea exſtitit, quàm ciuitatem Romanam recipiat.

105. *Pomponius* libro 5. Epiſtularum.

SI fundum à teſtatore ſub condicione legatum heres alij, pendente condicione, legauit: poſt exiſtentem condicionem, quæ priori teſtamento præpoſita fuerat, neque proprietas à priore legatario recedit, nec locum religioſum in eo fundo heres facere, nec ſeruitutem imponere poterit. ſed & impoſita ſeruitus finietur exſiſtente condicione.

106. *Iulianus* libro 25. Digeſtorum.

HOc genus legati, *Si Titio non nuBſerit*, perinde habendum eſt, ac ſi poſt mortem Titij legatum fuiſſet. & ideo nec Muciana ſatiſdatione interpoſita capere legatum poteſt. ſed & alij nubendo, nihilominùs legatum conſequitur.

107. *Gaius* libro ſingulari de Caſibus.

ALiquando accidit, vt ſub condicione datum legatum, purum intellegatur. veluti quod ſub eadem condicione relictum eſt, ſub qua etiam heres alius inſtitutus eſt. item quod ſub hac condicione relictũ eſt, *Si hereditatem adierit*. Ex diuerſo quoque purum datum legatum, condictionale videtur. veluti quod ſub condicione ademptum eſt: quia ſub contraria condicione datum intellegitur.

108. *Scæuola* libro 19. Digeſtorum.

LIbertis omnibus legauit domum, & hæc verbà adiecit: *Vt in ea habitent liberti, ne de nomine exeat & vt ad vnum, qui nouiſsimus extiterit perueniat, & eo ampliùs eiſdem libertis meis dari volo fundum Suſianum.* quæſitum eſt, an condicio adpoſita, ne de nomine exiret, ad ſequens quoque legatum pertineret. reſpondit, pertinere.

109. *Idem* libro 20. Digeſtorum.

A Teſtatore rogatus, vt acceptis centum nummis reſtitueret hereditatem Titiæ coheredi ſuæ, aditâ hereditate deceſſit. ſimiliter & Titia, antequàm daret centum. quæſitum eſt: an heres Titiæ, offerendo centum fideicommiſſo, partem hereditatis conſequi poſſit. reſpondit, heredem condicioni parere non poſſe. *Claudius*: Magno ingenio de iure aperto reſpondit. cùm poteſt dubitari, an in propoſito condicio eſſet.

110. *Pomponius* libro 9. Epiſtularum.

ETiam ſi inuitis heredibus ex peculio ſtatuliber pecuniam Titio det: liber quidem fit: ſed Titius, qui inuitis heredibus ſciens accepit: pro poſſeſſore videtur eam pecuniam poſſidere: vt auocare eã hi, qui inuiti fuerunt, poſſint.

111. *Idem* libro 11. Epiſtularum.

QVi ſub condicione rationum reddendarum liber eſſe iuſſus eſt: docere debet, conſtare fidem omnibus, quæ ab eo geſta ſunt: vt neque ſubtraxerit quid ex his quæ acceperit, neque expenſum rationibus præſcripſerit, quod non dederat. ſed & quod reliquum per contextum ſcriptum eſt remanere apud eum, ſoluere debet. neque enim aliter liber eſſe poteſt, quàm ſi hoc modo condicioni, ſub quam data eſt libertas, ſatisfecerit. Cæterùm debitores, cum quibus ipſe contraxit, non vtique in diem mortis domini ſui fuiſſe idoneos præſtare cogendus eſt: ſed eo tempore, quo his creditum eſt, eius condicionis fuiſſe, vt diligens paterfamilias his crediturus fuerit.

112. *Idem* libro 12. Epiſtularum.

TAles condiciones, *Si monumentum* (puta) *fecerint*, pluribus propoſitæ, non poſſunt niſi in omnibus ſimul perſonis exſiſtere.



1 ¶ Item: *Si Symphoro & Ianuario centum Titius præſtiterit, fundum ei lego.* Symphoro mortuo an legatum periſſet? ſed hoc quoque ſic puto interpretandum, vt ſi dum quiſque eorum viuet, præſtitiſſet. ſed benigna interpretatione dicendum: ſi non poſt moram Titij Symphorus deceſſit, debere partem dimidiam Ianuario dantem, partem fundi dimidiam legatarium eſſe conſecuturum.

2 ¶ De illo quoque quæritur: fundus quibuſdam legatus eſt, ſi pecuniam certam in funus, impenſámque perferendi corporis in aliam regionem dediſſet. nam, niſi vterque dederit, neutri ſit legatum: quoniã condicio, niſi per vtrumque, expleri non poteſt. ſed hæc humaniùs interpretari ſolemus. vt cùm duobus fundus legatus ſit, ſi decem dediſſent: & alteri, dando partem legatum quoque debeatur.

3 ¶ Priſcus reſpondit: ſtatuliberum non vtiq; ibi, vbi paterfamilias deceſſit, aut vbi ipſe relictus ſit, aut vbi velit, rationes reddere debere: ſed interim proficiſci ad eum, cui reddere debeat, vtique ſi is reipublicæ cauſa aberit. veriſſimum eſt autem, vt alias aliud ex perſona locóque ſit æſtimandum.

113. *Paulus* Imperialium ſententiarum in cognitionibus prolatarum ex libris ſex libro ſecundo.

CVm filius rogatus fuiſſet à patre, ſi, antequàm res ſuas adminiſtrare poſſet, deceſſiſſet, hereditatem Titio reſtituere; & egreſſus viginti annos deceſſiſſet: reſcriptum eſt, fideicommiſſum deberi.

---

## AD LEGEM FALCIDIAM, TIT. II.

*Paulus* libro ſingulari ad legem Falcidiam.

LEx Falcidia lata eſt, quæ primo capite liberam legandi facultatem dedit vſque ad dodrantem his verbis: *Qui ciues Romani ſunt, qui eorum poſt hanc legem rogatam teſtamentum facere volet, vt eam pecuniã eáſque res quibúſque dare legare volet, ius poteſtáſque eſto, vt hac lege ſequenti licebit.* Secundo capite modũ legatorum conſtituit his verbis: *Quicumque ciuis Romanus poſt hanc legem rogatam teſtamentum faciet, is quantam cuique ciui Romano pecuniam iure publico dare legare volet, ius poteſtáſque eſto: dum ita detur legatum, ne minùs, quàm partem quartam hereditatis, eo teſtamento heredes capiant. eis, quibus quid ita datum legatúmve erit, eam pecuniam ſine fraude ſua capere liceto. iſque heres, qui eam pecuniam dare iuſſus damnatus erit, eam pecuniam debeto dare, quam damnatus eſt.*

1 ¶ Lex Falcidia etiam ad eos, qui apud hoſtes qui moriuntur, propter legem Corneliam pertinere videtur. quòd ea lex perinde eorum teſtamenta confirmat, atque ſi in ciuitate deceſſiſſent. propter quam fictionem lex Falcidia, & omnes teſtamentariæ pertinent: quæ tamen poſſint locum habere.

2 ¶ Ad eos; qui, omiſſa cauſa teſtamenti, poſſident hereditatem; non pertinet lex Falcidia. ſed per edictũ prætoris inducitur poteſtas legis.

3 ¶ Idémq; eſt, ſi iuriſiurandi condicio remiſſa ſit.

4 ¶ Sed & ſi ſeruo ſuo teſtator data libertate legauerit; quia differtur in id tempus, quo liber futurus eſt: item ei, qui apud hoſtes eſt: aut ei, qui nondum natus eſt, datum ſit aliquid: hæc lex locum habebit.

5 ¶ Ad municipum quoque legata, vel etiam ea, quæ Deo relinquuntur, lex Falcidia pertinet.

6 ¶ Non ſolum autem ad res proprias teſtatoris legata, ſed & alienas lex pertinet.

7 ¶ Et omne, quod ex bonis defuncti erogatur, refertur ad hanc legem: ſiue in corpore conſtet certo, incertóve: ſiue pondere, numero, menſura valeat: aut etiam ſi ius legatum ſit vt vſusfructus, aut quod in nominibus eſt.

8 ¶ Item ſi ita legatum ſit: *Heres meus Seio penum dato: ſi non dederit, decem dato*: quidam putant, omnimodo in legato decem eſſe, penum autem mortis cauſa capi, nec in Falcidiam imputare id heredem poſſe. ego autem didici, ſi in continenti, heres penum ſoluerit, videri hoc legatum eſſe, & in legem Falcidiam imputari poſſe. & quod dixi in continenti, ita accipiendum: cum aliquo ſpatio. quòd ſi iam mora facta ſoluerit heres penum: tunc nec legatum eum accepiſſe, nec in Falcidiam imputari poſſe. iam enim transfuſum legatum eſſe, & decem deberi. Idémque erit, & ſi ab initio ita legatum datum ſit: *Si penum non dederit, decem dato*. quia hic penus non eſt legata. & penus ſi datur, mortis cauſa capitur: quia deficit legati condicio.

9 ¶ Si vſusfructus legatus ſit, qui & diuidi poteſt, non ſicut ceteræ ſeruitutes indiuiduæ ſunt; veteres quidem æſtimandum totum vſumfructum putabant, & ita conſtituendum, quantum ſit in legato. ſed Ariſto à veterum opinione receſſit. ait enim, poſſe quartam partem ex eo, ſicut ex corporibus, retineri. idque Iulianus rectè probat. ſed operis ſerui legatis, cùm neque vſus, neque vſusfructus in eo legato eſſe videtur, neceſſaria eſt veterum ſententia, vt ſciamus, quantum eſt in legato: quia neceſſariò ex omnibus, quæ ſint facti, pars decedere debet: nec pars operæ intellegi poteſt. Immo & in vſufructu, ſi quæratur, quantum hic capiat, cui vſusfructus datus eſt, quantum ad ceterorum legatorum æſtimationem, aut etiam huius ipſius, ne dodrantem excedat legatum, neceſſariò ad veterum ſententiam reuertendum eſt.

10 ¶ Si quis creditori ſuo, quod debet, legauerit: aut inutile legatum erit, ſi nullum commodum in eo verſabitur: aut, ſi propter repræſentationis (puta) commodum vtile erit; lex quoque Falcidia in eo cõmodo locum habebit.

11 ¶ Si legatarius poſſeſſionem nactus eſt, & non poteſt auocari ei res, quia voluntate heredis errantis nactus eſt poſſeſſionem: dabitur actio heredi, vt id, quod ſupra dodrantem eſt, offeratur.

12 ¶ Interdum omnimodo neceſſarium eſt, ſolidum ſolui legatario interpoſita ſtipulatione, *Quanto amplius, quàm per legem Falcidiam ceperit, reddi.* Veluti ſi, quæ à pupillo legata ſint, non excedant modum legis Falcidiæ: veremur autem: ne impubere eo mortuo alia legata inueniantur, quæ contributione facta excedant dodrantem. Idem dicitur, & ſi principali teſtamento quædam ſub condicione legata ſunt, quæ an debeantur, incertum eſt. & ideo ſi heres ſine iudice ſoluere paratus ſit, proſpiciet per hanc ſtipulationem.

13 ¶ Id, quod ex ſubſtitutione coheredis ad coheredem peruenit, proficit legatariis. is enim ſimilis eſt heres, ex parte purè, ex parte ſub condicione heredi inſtituto. ſed ea, quæ ab eo legata ſunt, ſi omiſerit hereditatem, non augebuntur: ſcilicet ſi ab eo nominatim data ſunt, non *Quiſquis mihi heres erit*.

14 ¶ Si coheredis mei portio exhauſta ſit, mea integra, & illam vindicauero; Caſſius confundendas eſſe partes exiſtimat: Proculus contrà, in qua ſpecie & Iulianus Proculo adſenſit. quam ſententiam probabiliorem eſſe puto. Sed & Diuus Antoninus iudicaſſe dicitur, commiſcendas eſſe vtraſque partes in computatione legis Falcidiæ.

15 ¶ Si coheredem meum poſt aditam hereditatem adrogauero: non dubitabitur, quin ſeparandæ ſint portiones, perinde atque ſi coheredi meo heres exſtitiſſem.

16 ¶ Si in annos ſingulos legatum ſit Titio: quia multa legata & condicionalia ſunt; cautioni locus eſt, quæ in edicto proponitur, *Quanto amplius accipit, reddi*.

17 ¶ Id quod natura hereditati debetur, & peti quidẽ non poteſt, ſolutum verò non repetitur, non eſſe computandum in hereditate quidam putant,

ſed Iulianus & hæc ex euentu augere patrimonium, aut non augere exiſtimat:& hereditario iure id quoque capi:ideóque & in reſtitutionem hereditatis vēturum. 18 ¶ Si debitor creditori heres exiſtat, quāuis confuſione liberetur, tamen locupletiorem hereditatem percipere videtur, vt computetur ei, quod debet, quamuis aditione confuſum ſit.

19 ¶ De impenſa monumenti nomine facta quæritur, an deduci debeat. & Sabinus ita deducendum putat, ſi neceſſarium fuerit monumentum exſtruere. Marcellus conſultus, an funeris monumentíque impenſa, quantam teſtator fieri iuſſit, in ære alieno deduci debeat, reſpondit, non amplius eo nomine, quàm quod funeris cauſa conſumptum eſt, deducendum. nam eius, quod in exſtructionem monumenti erogatum eſt, diuerſam eſſe cauſam. nec enim ita monumenti ædificationem neceſſariam eſſe, vt ſit funus ac ſepultura. idcirco eum, cui pecunia ad faciendum monumentum legata ſit, Falcidiam paſſurum.

2. *Marcellus* libro viceſimo ſecundo Digeſtorum.

NEc amplius concedendum erit, quàm quod ſufficiat ad ſpeciem modicam monumenti.

3. *Paulus* libro ſingulari ad Legem Falcidiam.

SI heres inſtitutus eam hereditatem, quæ ſoluendo non eſt, vendiderit: vix quidem poterit perſuaderi non fuiſſe eam hereditatem ſoluendo, quæ emptorē inuenerit: vera autem ratione nihil legatariis debebitur: quia magis ex ſtultitia emptoris habere videtur heres inſtitutus, quàm ex bonis defuncti. nam & è contrario, ſi malè vendiderit res hereditarias, non erit hoc legatariorum detrimentum. ita ergo commodum debet eſſe heredis, ſi bene res adminiſtrauerit. 1 ¶ Sed & ſi is, qui ſoluendo non eſt, legauerit, & heres cum creditoribus deciderit, ne ſolidum ſolueret, & ob eam deciſionem factum ſit, vt aliquid retineret: nihil tamen legatariis debiturum: quia eam pecuniam non ex hereditate, ſed ex deciſione habet.

2 ¶ Item ſi reipublicæ in annos ſingulos legatū ſit: cùm de lege Falcidia quæratur, Marcellus putat tantum videri legatū, quantum ſufficiat ſorti ad vſuras trientes eius ſummæ, quæ legata eſt, colligendas.

4. *Papinianus* libro 16. Quæſtionum.

FVndo legato mihi ſub condicione, pendente legati condicione, heres me heredem inſtituit, ac poſtea legati condicio exſtitit. in Falcidiæ ratione fundus non iure hereditario, ſed legati, meus eſſe intellegitur.

5. *Idem* libro 8. Reſponſorum.

VErbis legati vel fideicōmiſſi non neceſſariè ciuitati relinquitur, quod ex cauſa pollicitationis præſtari neceſſe eſt. Itaque ſi debiti modū teſtamento dominus exceſſit, ſuperfluū dumtaxat Falcidia minuetur. Quare nec fidei committi legatarij poterit. Quòd ſi dies aut condicio legatum fecerit: non vtilitatis æſtimatio, ſed totū petetur, quod datum eſt. nec, ſi viuo teſtatore dies venerit, aut condicio fuerit impleta, fiet irritum, quod ſemel competit.

6. *Venuleius* libro 13. Stipulationum.

SI vir vxori heres exſtiterit, & in funus eius iNpenderit: non videbitur totum quaſi heres iNpendere: ſed deducto eo, quod quaſi dotis nomine, quam lucrifacit, conferre debuerit.

7. *Papinianus* libro 7. Quæſtionum.

LEge Falcidia interueniente, legata ſeruitus, quoniam diuidi non poteſt, non aliter in ſolidum reſtituetur, niſi partis offeratur æſtimatio.

8. *Idem* libro 14. Quæſtionum.

IN legem Falcidiam æris alieni rationem in hereditate relicti, quod vnus ex heredibus ſoluere damnatus ſit, ipſe ſolus habebit.

9. *Idem* libro 19. Quæſtionum.

IN Falcidia placuit, vt fructus poſtea percepti, qui maturi mortis tempore fuerunt, augeant hereditatis æſtimationem fundi nomine, qui videtur illo in tempore fuiſſe pretioſior.

1 ¶ Circa ventrē ancillæ nulla temporis admiſſa diſtinctio eſt. nec immeritò: quia partus nondum editus, homo non rectè fuiſſe dicitur.

10. *Idem* libro 20. Quæſtionum.

QVod ſupra quadrantem apud heredem poteſt peruenire, ſupra dodrantem in pecuniam legatum non onerat heredem. veluti hereditas pupilli, ſi fortè ſubſtitutus ſit exheredato, qui patri pupilli heres exſtitit.

11. *Idem* libro 29. Quæſtionum.

IN ratione legis Falcidiæ retentiones omnis temporis, heredi in quadrantem imputantur.

1 ¶ Si ſeruus, ſub condicione libertate data, vita deceſſit: ſi quidem impleta condicio quandoque fuerit, heredi non videtur periſſe. quòd ſi defecerit, in contrarium ratio trahit. ſed, quanti ſtatuliber, moriēs fuiſſe videbitur. 2 ¶ Imperator Marcus Antoninus decreuit, heredes, quibus pars bonorum ablata eſt, non in ampliorem partem, quàm pro ea parte, quæ relicta eſt, legatorū nomine teneri. 3 ¶ Cùm quidam, parte dimidia bonorum adempta, fuiſſet relegatus, idémque, prouocatione interpoſita, teſtamento poſtea facto, obiiſſet, atque poſt mortem eius, non iuſtè appellatum, eſſet pronuntiatum: quæſitum eſt, vtrùm æris alieni loco pars dimidia abſcederet, vt reſidua ſola videretur fuiſſe in bonis, an verò ſuccurri heredi neceſſarium eſſe vedebitur, ſed videtur ſuccurri debere: cùm animus litigantis & optinendi votum, hanc opinionem admittit.

4 ¶ Si ſeruus teſtamento manumiſſus, ante aditā hereditatem decedat: heredi quidem periſſe intellegitur. ſed cuius pretij erit, qui, ſi viueret, non æſtimaretur? Nam & eos, qui, moriente domino ea valetudine affecti fuerant, vt eos non poſſe viuere certum eſſet, tamen, ſi poſtea moriantur, hereditati periſſe reſponſum eſt. Nec aliud in his, qui ſub eodem tecto fuerunt, cùm dominus à familia necaretur.

5 ¶ Quod vulgò dicitur, in tabulis patris & filij vnam Falcidiam ſeruari, quam poteſtatem habeat, videndum eſt. Quamuis enim ſubſtitutus, quæ à pupillo relicta ſunt cùm filius heres exſtitit, vt æs alienum quodlibet debeat: tamen propter ea, quæ data ſunt tabulis ſecundis, contributioni locus eſt. Secundùm quæ poterit euenire, ne ſubſtitutus quicquam retineat, vel vt longè plus habeat quartæ paternæ hereditatis. Quid ergo, ſi non ſufficiat pupilli hereditas legatis, cùm patris ſuffeciſſet? de ſuo quadrante nimirum dabit ſubſtitutus: quoniam pater legauit de ſuo. nec ad rem pertinet, quòd ex nullo teſtamento præſtatur vltra vires patrimonij: cùm in hac parte iuris legata, quæ tabulis ſecundis relinquuntur, quaſi primis ſub condicione relicta intellegunur.

6 ¶ Si filio ſuo duos ſubſtituerit, & alterius portionem onerauerit: tractari ſolet, an ex perſona ſua Falcidiam poſſit inducere ſubſtitutus, quam pupillus non haberet, vel vnus pupilli ſubſtitutus. & facilè quis dixerit conſequenter prioribus, quæ de patrimonij ratione dicta ſunt, non eſſe Falcidiæ locum, & vltra vires portionis conueniendum alterum ſubſtitutum. ſed verior eſt diuerſa ſententia, perinde huic quartam relinquendā exiſtimantium, atque ita ſi patri heres exſtitiſſet. vt enim opes patris & contributio legatorum inde capiunt & formam & originē: ita plures ſubſtituti, ſubducta perſona pupilli reuocandi ſunt ad intellectum inſtitutionis. Quid tamen dicemus de altero ſubſtituto, qui non eſt oneratus? ſi fortè nondum legata pupillus à ſe relicta ſoluit, & aliquid vltra dodrantem ſit in omnibus? & ipſum Falcidiam habiturum? atquin quartam habet. neque idem patiatur inſtituti comparatio. rurſus ſi negemus, aliud



apertè, quàm quod vOlgò probatum eſt, reſpondetur. Itaque varietas exſiſtet: vt is quidem, qui proprio nomine oneratus eſt, velut inſtitutus deſideret quartam: alter autem, qui non eſt oneratus, vt ſubſtitutus, licèt portio largiatur eius, non in ſolidum conueniatur propter calculi confuſionem. Huic conſequens eſt, vt, ſi pupillo de Falcidia cautum fuit, duobus committatur ſtipulatio: videlicet in eam quantitatem, quam vnuſquiſque ſibi retinere potuiſſet.

7 ¶ Quæſitum eſt, ſi quis pupillo cohæredē ſubſtituiſſet, quemadmodum legis Falcidiæ ratio inquiri debeat, & quale eſt, quod vOlgo diceretur. legatorum rationem ſeparandam dixi, quantum ad legata, quæ pater à filio, item à ſubſtituto reliquit, nullam fieri poſſe ſeparationem: cùm communi calculo ſubiciuntur, & inuicem inducant contributionem. ſed legata, quę ab inſtituto extero data ſunt, permiſceri cæteris non oportere. Ideoque quartam pupillo datæ portionis habere ſubſtitutum: quamuis ſuam portionem habeat, vt inſtitutus. & aliam cauſam eſſe eius, qui ex variis portionibus hæres ſcriberetur. ibi enim legatorum confundi rationem non minùs, quā ſi ſemel fuiſſet nuncupatus ex ea portione, quæ conficeretur ex pluribus. neque referre, purè ſæpè, an ſub diuerſis condicionibus ſit hæres inſtitutus.

8 ¶ Si quis exhęredato filio ſubſtituit hæredem inſtitutum, & ab eo tabulis quoque ſecundis legauerit: neceſſariò ratio confundetur. cùm ideo legata valere dixerit Iulianus à ſubſtituto relicta; quod idem patri hæres exſtiterit.

12. *Idem* libro 30. Quæſtionum.

SI debitor, creditore hęrede inſtituto, petiſſet, ne in ratione legis Falcidiæ ponenda creditum ſuum legatariis reputaret: ſine dubio ratione doli mali exceptionis apud arbitrum Falcidiæ defuncti voluntas ſeruatur.

13. *Idem* libro 37 Quæſtionum.

SI tacitum fideicommiſſum ſeruus iniungente domino ſuſceperit: habiturum eum legis Falcidiæ beneficium, quia parere domino debuit, conſtitutum eſt. Idéq; placuit in filio, qui fuit in patris poteſtate.

14. *Idem* libro 9. Reſponſorum.

PAter filiam, quæ à viro diuerterat, hæredem pro parte inſtituit, & ab ea petit, vt fratri & cohęredi ſuo portionem hæreditatis acceptam, deducta ſexta reſtitueret, admiſſa compenſatione dotis in Falcidiæ ratione. ſi pater dotem conſentiente filia non petiſſet: Falcidiam quidem iure hęreditario, dotem autē iure proprio filiam habituram, reſpondi. quia dos in hęreditate patris non inueniretur. 1 ¶ Ania, nepotibus hęredibus inſtitutis, fideicommiſit, vt, omiſſa retentione, quæ per legem Falcidiam ex alio teſtamento competebat, ſolida legata fratribus & cohęredibus ſoluerent. rectè datum fideicommiſſum reſpondi: ſed huius quoque onus in contributionem venire. 2 ¶ Duobus impuberibus ſubſtitutum, vtrique hæredem exiſtentem, in alterius hęreditate Falcidia non vti conuenit, ſi de bonis alterius impuberis quartam partem hæreditatis patris, quæ ad filios peruenerit, retineat. 3 ¶ Quòd ſi frater, fratri legitimus hæres exſtitit, & impuberi ſupremo ſubſtitutus: portio quidē paternorum bonorum, quam inteſtatus puer accepit, rationi Falcidiæ non confundetur. ſed quartam eius tantùm portionem ſubſtitutus retinebit. quam iNpubes accepit, qui ſubſtitutum habuit.

15. *Idem* libro 13. Reſponſorum.

QVod bonis iure Falcidiæ contribuendum eſt à debitore, cui mortis cāuſa pacto debitum remiſſum eſt, in factum conçepta replicatione retinebitur. 1 ¶ Frater, cùm hæredem ſororem ſcriberet, alium ab ea, cui donatum volebat, ſtipulari curauit, ne Falcidia vteretur, & vt certam pecuniam, contrà feciſſet, præſtaret. priuatorum cautione legibus non eſſe refragandum conſtitit: & ideo ſororem iure publico retentionem habituram, & actionem ex ſtipulatu denegandam.

2 ¶ Non idcircò minùs Falcidiæ rationem in cęteris annuis legatis admitti viſum eſt, quòd primo ac ſecundo anno ſine vlla detractione fuiſſent legatario ſoluta.

3 ¶ Quòd auus ex cauſa tutelæ nepoti debuit, cùm auo nepos ſolus hæres exſtitiſſet, ratio Falcidiæ ſi poneretur, in ære alieno bonis deducendum reſpondi. nec ad rem pertinere, quòd hęredem auus, idémque tutor rogauerat, vt, ſi ſine liberis ante certam ætatem decederet, tam hæreditaria quàm propria bona reſtitueret. non enim ex hoc hęreditatem debito compenſatam videri: cùm vel ideo maximè declaretur, non eſſe compenſationem factam, quoniam hæredem ſuum habere propria bona defunctus oſtendit. Planè ſi condicio fideicommiſſi fuerit impleta: fructus hæreditatis poſt mortem aui percepti, pari pecunia debito tutelæ compenſabuntur: ſed quartam hęres nepotis de bonis dumtaxat, quæ moriens auus reliquit, retinebit.

4 ¶ Cùm fideicommiſſum ex voluntate matris à patre moriente debitum filio, pater hæreditate ſua, quam in filium conferebat, compēſari voluit: quod filio debetur, ſi ratio Falcidiæ poni cœperit, fini quadrantis, quem ex bonis patris cum effectu percepit, compenſabitur: atque ita ſuperfluum æris alieni dodrantis tantùm detrahetur.

5 ¶ Ex donationibus in vxorem collatis, quòd hæres eius reddere viro cogitur, in bonis mulieris non erit. nam ita fit locupletior, vt tanto pauperior eſſe videatur. quod autem hęres inde minuit, viro non perit.

6 ¶ Fructus prædiorum ſub condicione verbis fideicommiſſi relictos, in cauſam fideicommiſſi non deductos, hęres in ratione Falcidiæ ſic acceptò facere ſibi cogitur, vt quartam & quartæ fructus ex die mortis, bonorum, quæ mortis tempore fuerunt, habeat. Nec ad rem pertinet, quando Falcidia lex admiſſa ſit. nam etſi maximè poſt impletam condicionem fideicommiſſum locum habere cœpit: tamen ex die mortis fructus quadrantis apud hęredem relinqui neceſſe eſt. 7 ¶ Fideicommiſſum portionis ſupplendæ gratia, pro qua matrem filius hęredē inſtituit, eidem matri datum, ratione Falcidiæ minuitur. & eam pecuniam mater ſupra quartam portionis ſuæ percipiet. 8 ¶ Quarta, quæ per legem Falcidiam retinetur, æſtimatione, quam teſtator fecit, non magis minui poteſt, quàm auferri.

16. *Scæuola* libro 3. Quæſtionum.

SI ex pluribus rebus legatis hęres quaſdam ſoluerit, ex reliquis Falcidiam plenam per doli exceptionem retinere poteſt etiam pro his, quæ iam data ſunt. 1 ¶ Sed etſi vna res ſit legata, cuius pars ſoluta ſit: ex reliquo poteſt plena Falcidia retineri.

17. *Idem* libro 6. Quęſtionum.

SI poſt miſſionem faciat codicillos miles, & intra annum decedat: ex teſtamento, quod in militia iure militari fecit, plena legata, ex codicillis, habita Falcidiæ ratione, præſtari debere, dicitur. ſed res ita expedietur: Si, cùm quadringinta haberet, teſtamento quadringenta, codicillis centum legauerit: ex quinta parte (id eſt octoginta, quæ ad legatarium ex codicillis peruenirent, ſi Falcidiam non pateretur) quartam (id eſt viginti) hæres retinebit.

18. *Paulus* libro 11. Quæſtionum.

FIliusfamilias, qui militauerat, decedens patris ſui fideicommiſit codicillis, vt peculium ſuum caſtrenſe Titio poſt mortem reſtitueret. quærebatur, an hæres quartam deducere poſſit. dixi, legem Falcidiam inductam eſſe à Diu.

Pio etiam in inteſtatorum ſucceſsionibus propter fideicommiſſa. ſed in propoſito nec hæreditatem eſſe: quamuis placeret mihi extraneo hærede inſtituto, fieri hæreditatem aditione eius. nam cùm apud patrem remanet, ius priſtinum durat, & peculium eſt. Nec huic contrarium eſt, quòd in teſtamento eius, qui apud hoſtes deceſsit, exercetur Falcidia. nam fictio legis Corneliæ & hæreditatem, & hæredem facit. Sed me non dubitare, quin debeat id quoque indulgeri legis beneficium, ſi quidem quaſi patrisfamiliæ bona reſtituere cogitur: & hæres ſcriptus, omiſſa ex teſtamento aditione, exemplo edicti legatorum nomine conuenietur. 1 ¶ His conſequens erit, vt, ſi ex fructibus medio tempore quartam & quartæ fructus habuerit pater; etiam Trebellianum ſenatusconſultum inducamus, & vtiles actiones exerceri poſsint, ſi atque hæreditas poſt reſtitutionem.

19. *Scæuola* libro 8. Quæſtionum.

SI dignum decem fundum damnetur hæres quinque vendere: ſine dubio quinque erunt imputanda Falcidiæ.

20. *Idem* libro 9. Quæſtionum.

SI à ſeruo meo hærede inſtituto mihi legetur, & mihi adquiratur hæreditas: negat Mæcianus, id legatum in Falcidia computari: quia non debeatur.

21. *Paulus* libro 22. Quæſtionum.

SI pupillus, cui ſine tutore auctore decem mutua data ſunt, legatum à creditore meruerit ſub hac condicione, ſi decem, quę acceperit, hæredi reddiderit: vna numeratione & implet condicionem, & liberatur naturali obligatione: vt etiam in Falcidia hęredi imputentur: quamuis non imputarentur, ſi tantùm condicionis implendæ cauſa data fuiſſent. Adeò autem & ſoluere videtur, vt repudiato legato, vel Sticho qui legatus eſt, mortuo, nihil repetere poſsit. 1 ¶ Si ego & ſeruus meus hęredes inſtituti ſimus ex diuerſis partibus, nec à ſeruo erogatus dodrans: his, quibus à me legatum eſt, contra Falcidiã proderit, quod ex portione ſerui ad me peruenit ſupra Falcidiam eius portionis. Ex contrario ſi ſeruo meo ſeruus, & mihi decem legata fuerint: ſerui Falcidia ex decem mihi legatis non tenetur, exemplo eodem Falcidiæ. nam quartam retineo ex perſona ſerui, quamuis de mea portione nihil exhauſtum ſit.

22. *Idem* libro 17. Quęſtionum.

NEſennius Apollinaris Iulio Paulo. Ex facto, domine, ſpecies eiuſmodi incidit. Titia filias ſuas tres numero ęquis ex partibus ſcripſit hęredes; & à ſingulis legata inuicem dedit; ab vna tamen ita legauit tam cohęredibus eius quàm extraneis, vt Falcidiæ ſit locus. quęro, an aduerſus cohęredes ſuas, à quibus legata & ipſa accepit, vti poſsit Falcidia: &, ſi non poſsit, vel doli exceptione ſummouenda eſt, quemadmodum aduerſus extraneos computatio Falcidiæ iniri poſsit. reſpondi: Id quidem, quòd à cohærede legatorum nomine percipitur, non ſolet legatariis proficere, quo minùs Falcidiam patiantur. ſed cùm is, qui legatum præſtaturus eſt, ab eodem aliquid ex teſtamento petit: non eſt audiendus, deſiderans vti aduerſus eum Falcidiæ beneficio, ſi id, quod percepturus eſt ex voluntate teſtatoris, ſuppleat, quod deducere deſiderat. Planè cæteris legatariis non vniuerſum, quod cohæredi præſtat, imputabit: ſed quantum daturus eſſet, ſi nihil ab eo perciperet. 1 ¶ Seruo hærede inſtituto, ſi à domino fideicommiſſa, à ſeruo legata data ſunt: priùs ratio legatorum habenda eſt: deinde ex eo, quod ſupereſt, fideicommiſſorum. dominus enim ideo tenetur quòd ad eum peruenit. peruenit autem, quod deductis legatis ſupereſt. planè Falcidiam exercet. 2 ¶ Sed & ſi dominus, omiſſa hæreditatis aditione, ſeruum ſibi ſubſtitutum adire iuſsit: priùs erogantur, quæ ab ipſo domino data ſunt: tunc eorum, quæ à ſeruo relicta ſunt, ratio initur, ſi patitur Falcidia.

3 ¶ Si debitori liberatio legata ſit, quamuis ſoluendo non ſit: totum legatum computetur: licèt nomen hoc non augeat hæreditatem, niſi ex euentu: Igitur ſi Falcidia locum habeat, hoc plus videbitur legatum, quod huic legatum eſſet. cætera quoq; minuentur legata per hoc; & ipſum hoc per alia. capere enim videtur, eo quòd liberatur. 4 ¶ Sed ſi alij hoc nomen legetur, nullum legatum erit: nec cęteris contribuetur.

23. *Scæuola* libro 15. Quæſtionum.

SI fundus mihi legetur & via: in Falcidię ratione, ſi tantum ſit in via quantum ampliùs eſt in Falcidia, integer fundus capietur, & via perit. Sed ſi via legetur, nec ſoluendo ſit hęreditas: non debebitur. Videndum etiam, ſi fundo & via legato, minùs ex vtroque deſideret, quàm ſit viæ pretium. poteſt coacta ratione dici, non tantùm fundum ſolidum capi, ſed etiam vt doli exceptio tantum ſarciat quantum deeſt: ne plus habeat, quàm Falcidia deſiderat. Vt tunc ſolùm via intercidat, quotiens plus Falcidia deſiderat, quam eſt viæ pretium.

24. *Paulus* libro 14. Reſponſorum reſpondit.

FAlcidiæ legis rationem, ſi haberi oportet, ita habendam, ac ſi hæ res, quæ ab hærede ſubtractæ ſunt, in hęreditate relictæ non fuiſſent. 1 ¶ Idem reſpondit, partus ancillarum ante diem fideicommiſſi editos, ad hæredes eius, qui rogatus eſt, pertinere: eóſque in quartam & quartæ fructus computandos, ſi de lege Falcidia quæſtio intercedat. 2 ¶ Idẽ reſpondit, fructus ex propria re hęredis, quæ legata eſt, poſt diem fideicommiſsi cedentem perceptos, etſi non ſint reſtituẽdi fideicommiſſario, hęredi in quartam imputari non ſolere.

25. *Scæuola* libro 4. Reſponſorum.

MAritum ſuum & filium communẽ æquis partibus hæredes inſtituit. quæſitum eſt, an in ratione legis Falcidię imputandum ſit marito, quod ad eum ex eadẽ hæreditate per filium peruenit. reſpondit, ſi ex inſtitutione filij tantum retineat, quantum ad Falcidiam ſatis ſit, nihil quartæ nomine deducẽdum. 1 ¶ A liberto, cui fundum legauerat, per fideicommiſſum Seię annua decẽ dedit. quæſitum eſt, ſi lex Falcidia liberti legatum minuerit, an Seiæ quinq; annuum fideicommiſſum minutum videatur, cùm reditus largiatur annuam pręſtationẽ. reſpondit, ſecundùm ea quę proponerẽtur, non videri minutum: niſi alia mẽs teſtatoris probetur.

26. *Idem* libro 5. Reſponſorum.

LIneam margaritorum trigintaquinq; legauit. quę linea apud legatarium fuerat mortis tẽpore. quæro, an ea linea hæredi reſtitui deberet propter legẽ Falcidiam, reſpondit, poſſe hęredẽ conſequi, vt ei reſtituatur, ac, ſi malit, poſſe vindicare partẽ in ea linea, quę propter legis Falcidię rationẽ deberet remanere. 1 ¶ Quæſitum eſt, an pretium ſtatuarum Falcidiam pati debeat. reſpondit, debere.

27. *Idem* libro 6. Reſponſorum.

S*Eius & Agerius, ſi intra diem trigeſimum mortis meæ reipublicæ noſtræ cauerint, contentos ſe futuros tot aureis, legis Falcidiæ beneficio omiſſo, heredes mihi ſunto, quos inuicem ſubſtituo. quod ſi voluntati meæ non conſenſerint, exheredes ſunto.* quæſitum eſt, an hęredes inſtituti hæreditatẽ adire poſsint, ſi condicioni parere nolunt, cùm habeant ſubſtitutos eadẽ condicione præſcripta. reſpondit, Seium & Agerium primo loco inſtitutos perinde adire poſſe, ac ſi ea condicio, quæ fraudis cauſa adſcripta eſt, adſcripta non eſſet.

28. *Mæcianus* libro 1. Fideicommiſſorum.



PAter quoque in legatis, quæ filius ei dedit, alio herede inſtituto, legis Falcidiæ rationem patitur.

29. *Paulus* libro 2. Fideicommiſſorum.

SI à me tibi fideicommiſſum vel legatum eſt, túque id poſt tempus rogatus ſis mihi reſtituere: non puto, hoc imputandum eſſe in Falcidiam: quia incipio poſtea quaſi fideicommiſſarius id recipere.

30. *Mæcianus* libro 8. Fideicommiſſorum.

IN ratione legis Falcidiæ mortes ſeruorum, ceterorúmque animalium, furta, rapinæ, incendia, ruinæ, naufragia, vis hoſtium, prædonum, latronum, debitorum facta peiora nomina, in ſumma quodcunque damnum, ſi modo culpa legatarij careant, heredi pereunt. quemadmodum ad heredis lucrum pertinent fructus, partus ancillarum, & quæ per ſeruos adquiſita ſunt, (vt ſtipulationes, rerum traditiones, legata, hereditatéſve his datæ, ceterę donationes) item ſeruitutes, quibus liberata prædia pretioſiora fierent, actionéſque adquiſitæ, vt furti, damni iniuriæ, ſimiléſque. quorum nihil in rationem legis Falcidiæ cadit.

1 ¶ Vendere autem vel emere iuſſus certo pretio fundum, aliamve quampiam rem, in legis Falcidiæ ratione, cùm, quantum ſit legatum, requiratur, tantum eo nomine inducetur, quanto pluriſve ſit res ea quantitate, quàm quo pretio teſtator accipi, darive iuſsit. ſed vt ei quidem portioni, quæ legatis deductis facienda erit, amplius deducetur. quippe non noſtri cauſa capi id pretium: ſed, eo deducto, pretium reliquum legatum eſſe intellectum eſt.

2 ¶ ROrſus diligenter animaduertendum eſt, ne, quod dicitur, damna poſt mortem teſtatoris illata ad ſolum heredem reſpicere, vſquequaque & ſine vlla diſtinctione recipiatur, quod enim, remota lege Falcidia, in totum iuris foret, hoc idem fore in ea parte, quæ lege Falcidia cõſtitueretur. hoc enim attinet, damna poſtea facta non deduci, ne amota portio legatis fideiue commiſsis detrahatur.

3 ¶ Verum eſt autem, his ſolis, quæ pondere, numero, menſura conſtant, nec damno poſtea incidẽte, ex portione, quæ fieri ad æſtimationem eorum bonorum, quæ mortis tempore fuerunt, quicquam detrahi.

4 ¶ Certis vero corporibus, & his ipſis ita relictis: *Pecuniam, quam in illa arca: vinum, quod in illis doliis: pondus argenti, quod in illis horreis habeo:* Sine culpa heredis deperierunt, vel deteriora ſunt facta: proculdubio aut nihil debebitur, aut eorum, quæ extabunt, qualia erunt, ea portio debebitur, quæ per legem Falcidiam efficiatur ex æſtimatione bonorum, quę mortis teſtatoris tempore fuerint.

5 ¶ Incertæ autem res relictæ diſtinctionem recipiunt. nam ſi ex ſuis rebus incertam rem teſtator reliquiſſet, veluti, *Argentum, quod elegeris,* & omne argentum teſtatoris interiſſet, ſine culpa heredis: nihil deberetur ſin verò argenti pondus pure relictum eſſet: quamuis omne argentum teſtatoris deperiſſet: admiſſa lege Falcidia, portio eius quantitatis ſumetur, quæ fuit in bonis eo tempore, quo teſtator deceſsit. nec ad imminuendam eam quicquam damna poſtea incidentia proficient.

6 ¶ Res tamen, quæ interierint, pro nulla parte, ac ne æſtimatio quidem debeatur: non magis quàm ſi omnes res per ſpeciem enumeratæ, relictæ eſſent.

7 ¶ Tametſi autem legis Falcidiæ ratione, quæ condicionis implendæ cauſa heredi ſunt data, in quartam non computantur: tamen id, quod non figura condicionis accipere iuſſus eſt ab eo, cui hereditatem reſtituere rogatus eſt, Celſo & Iuliano noſtro placuit computari, quemadmodum ſi ea ſumma heres vendere eas res iuſſus eſſet: quia non condicionis implendæ cauſa, ſed quodammodo pro pretio inferre ſunt iuſsi. Quod loco ampliùs quæſitum eſt, an fideicommiſſarius quoque inuitus cogatur dare eam ſummam, & recipere hereditatem, quaſi & ipſius fideicommiſſum eſſet. ſed id veriſimile nõ eſt: cùm talis oratio magis ipſius cauſa, quàm contra ipſum poſita videatur.

8 ¶ Cùm lex Falcidia interuenit: non veniunt in contributionem, quæ ipſi heredi à ſemetipſo vel ſeruo eius legata fideive commiſſa ſunt. Alia cauſa eſt eorum, quæ in die certa dantur. nam, ſi libertatis dies cœpit cedere, ei debebuntur, & in contributionem veniunt. Ac ne ea quidem, quæ quis ſeruis ſuis inutiliter ſine libertate legauit fideive commiſit, in computationem eius legis cedunt.

9 ¶ Res, quas neque per fideicommiſſum relinqui poſſe certum eſt, in legis Falcidiæ computationem non veniunt.

31. *Pomponius* libro 2. Fideicommiſſorum.

IS, cui fideicommiſſum ſoluitur, ſicut is, cui legatum eſt, ſatiſdare debet, quod ampliùs ceperit, quàm per legem Falcidiam ei licuerit, reddi, veluti cùm propter condicionem aliorum fideicommiſſorum vel legatorum legis Falcidiæ cauſa pendebit. Sed & ſecundùm Caſsij & veterum opinionem, ſi à pupillo fideicommiſſa capiuntur, propter ea, quæ à ſubſtituto erunt relicta, cauere debebit is, cui ſoluatur. Nam quamuis repetitio ſit eorum, quæ fideicommiſsi nomine non debita ſoluentur: tamen ſatiſdato cautum debet eſſe ei, à quo pecunia proficiſceretur: ne damnum ſentiat, deficiente eo, cui ſolutum erit.

32. *Mæcianus* libro 9. Fideicommiſſorum.

POenales actiones, ſiue legitimæ, ſiue honorariæ, exceptis popularibus; in bonis actoris non ideo minùs computandæ ſunt, quia morte reorum intercidere poſſunt. E contrario autem eædem actiones nihil bonis rei, defuncto eo, detrahunt. Sed ne in actoris quidem bonis, defuncto eo, iniuriarum actio poterit computari: quia & ipſa ſimul cum eo intercidit: vt vſusfructus: & id, quod in dies, menſes, annoſve ſingulos aliQui, quoad viuat, debeatur. Etenim ea demum obligatio rei bonis deminutionem præſtat, quæ in heredem tranſit. Nec contrarium eſt: quod, viuente reo, eo minus in bonis eius intelligebatur. nã etſi ita ſtipulatus eſſet, vt, cùm moreretur, debere ei inciperet: tamen augerentur bona eius. quemadmodum ſi ipſe ſub eadem condicione promiſiſſet: defuncto eo, minuerentur.

1 ¶ Honorariæ quoque actiones, quæ intra certum tempus à prætore promittuntur, cum bonis actoris defuncto eo, augmentum rei deceſsionémve, ſi tales erunt, vt in heredem quoque tranſeant, præſtabunt.

2 ¶ Iulianus ſcribit, ſi vtriuſque heredis pars exhauſta eſt legatis, & alter ex heredibus cautionem prætoriam accepit à legatariis, non ęqualiter, ſed pro ſuo modo legis Falcidię rationem, & actionem ex ſtipulatu habiturum. omnes enim prætorias ſtipulationes eiuſdem interpretationis eſſe. nam conſtare, ex iudicatum ſolui ſtipulatione, ſiue à parte actoris, ſiue à rei plures heredes extitiſſent, non omnibus, nec aduerſus omnes actionem contingere: ſed dumtaxat his, qui viciſſent, & aduerſus victos: hiſque, aduerſus quos res defenſa non eſſet, aduerſus eos, qui rem non defendiſſent.

3 ¶ Annua, bima, trima die aureis centenis legatis: ex omnibus ſummis, non tantùm ex poſterioribus, portionem legis Falcidiæ detrahi placuit.

4 ¶ Si Titio viginti legatis portio per legem Falcidiam detracta eſſet, cùm ipſe quoque quinque Seio rogatus eſſet reſtituere: Vindius noſter tantum Seio pro portione ex quinque detrahendum ait, quantum Titio ex viginti detractum eſſet. quæ ſententia & æquitatem & rationem magis habet: quia exemplo heredis legatarius ad fideicommiſſa præſtanda obligabitur. nec, quia ex ſua perſona legatarius inducere legem

Falcidiam non poſsit, idcirco, quod paſſus eſſet, nõ imputaturum, niſi forte teſtator ita fidei eius commiſiſſet, vt totum, quidquid ex teſtamento cepiſſet, reſtitueret.

5 ¶ Si autem manumittere ſeruum vel ſuum vel alienum rogatus ſit, omnimodo præſtare debebit libertatem. nec hoc contrarium eſt ſuperiori: quia fauor libertàtis ſæpe & alias benigniores ſententias exprimit.

33. *Paulus* libro tertio Fideicommiſſorum.

SI ſeruus tibi legatus ſit, eúmque rogatus ſis manumittere, ¶ nec præterea capias, vnde quartam, quæ per Falcidiam retinetur, recipere poſsis, ſenatus cenſuit, ceſſare Falcidiam.

34. *Marcellus* libro 42. Digeſtorum Iuliani notat

IN teſtatoris ſeruo non erit Falcidiæ locus: Si vero pecuniam, aliudve quid legauerit: fideique legatarij commiſerit, vt alienum ſeruum vel legatarij manumitteret: locus erit.

35. *Vlpianus* libro 6 Diſputationum.

PLane ſi quid ſit præterea legatum ipſi ſeruo: Falcidiæ locũ fore, ſenatus declarauit. Vnde Sceuola ait in eo, quod præterea ſeruo legatum eſt, ita Falcidiam admittendam, vt inde, & quod pro ſeruo præſtandum eſt, ſumatur.

36. *Paulus* libro 3. Fideicommiſſorum.

SEd ſi non ſeruus ipſe legatus ſit, ſed pecunia, rogatuſque ſit legatarius ſeruum ſuum manumittere: Falcidiam patietur: & nihilo minus cogetur manumittere: quia tanti æſtimaſſe videbitur ſeruũ ſuum. 1 ¶ Quid, ſi alienus ſeruus fuerit? in eo non plus, quàm accepit, ad redimendum cogitur impendere.

2 ¶ Sin vero heres ſeruum rogatus ſit manumittere: placet, pretium eius, & æs alienum, deducendum eſſe.

3 ¶ Si ſolus ſeruus legatus, & fideicommiſſa libertate donatus fuerit, licet Falcidia interueniente, totus vindicari petive poteſt. ſed etſi aliud præterea capiat legatarius: adhuc ſeruus totus peti poteſt: quartam autem vtriuſque ex legato retinendam, ne impediatur libertas.

4 ¶ Si incertum ſit, an libertas præſtari debeat, veluti quod ſub condicione, vel poſt tempus data ſit: numquid incerto eo, an præſtetur, cum poſsit aut ſeruus mori, aut condicio deficere, interim Falcidia admittenda eſt? deinde cùm libertas competere, vel deberi cœperit, tum legatarius illam partẽ recipiat, quam Falcidia detraxit? Cæcilio placebat, ſi quid ex operis eius medio tempore conſecutus fuerit heres, id in pretium eius erogare eum debere propter legis Falcidiæ rationem.

37. *Valens* libro 6. de Fideicommiſsis.

EIus ſerui æſtimatio, perinde ac ſtatuliberi, fieri debet. 1 ¶ Sed & ſi heres ſeruum alienum rogatus eſt manumittere: placuit, vt etiam huius pretium ex æſtimatione hereditatis deduci debeat.

38 *Hermogenianus* libro 1. Iuris Epitomarum.

STatuliber heredis non auget familiam. 1 ¶ Communes ſerui in vtriuſque patrimonio connumerantur. 2 ¶ Cuius vſusfructus alienus eſt, in dominio proprietatis connumeratur. pignori dati, in debitoris, ſub lege commiſſoria diſtracti, item ad diem addicti, in venditoris.

39. *Paulus* libro 3. Sententiarum.

AEris alieni loco deducuntur non ſolùm pretia eorum, quibus libertas data eſt, & eorum, qui ſupplicio ſunt affecti: ſed & eius, quem prætor propter indicium proditæ mortis, vel detectæ eorum coniurationis, libertate donauit.

40. *Hermogenianus* libro 4. Iuris Epitomarum.

AD veterani teſtamentum, ſiue paterfamilias, ſiue filiusfamilias ſit, licet intra annum miſsionis decedat, lex Falcidia pertinet.

1 ¶ Si cui, ſi decem dediſſet, viginti fundus fuiſſet legatus: is in toto fundo legatarius habebitur.

41. *Paulus* libro 9. ad Edictum.

DOlo carere non videtur, ſi iam mota quis cõtrouerſia hereditatis legata ſine cautionibus det.

42. *Vlpianus* libro 14. ad Edictum.

IN Falcidia æſtimatio pretij rerum ex veritate facienda eſt.

43. *Idem* libro 19. ad Edictum.

SEruí, qui apud hoſtes ſunt, poſt mortem teſtatoris reuerſis, quod ad Falcidiam pertinet, locupletiorem faciunt hereditatem.

44. *Idem* libro 21. ad Edictum.

FAlcidia interuenire non poteſt, ſi ſtatuliber de alieno dedit, non de bonis defuncti: vel aliàs eſt homo liber, qui condicionem impleuit.

45. *Paulus* libro 60. ad Edictum.

IN lege Falcidia non habetur pro puro, quod in diem relictum eſt. medij enim temporis commodum computatur.

1 ¶ In his legatis, quæ ſub cõdicione relicta ſunt, Proculus putabat, cùm quæritur de lege Falcidia tantum eſſe in legato, quanti venire poſſunt. quod ſi eſt, & deductio ſic poteſt fieri, vt tantum videatur vi deberi, quanti nomen venire poteſt. ſed hæc ſententia non probatur. cautionibus ergo meliùs res temperabitur.

46. *Vlpianus* libro 76. ad Edictum.

QVi, quod per Falcidiam retinere poterat, voluntatem teſtatoris ſecutus, ſpopondit ſe daturum: cogendus eſt ſoluere.

47. *Idem* libro 79. ad Edictum.

LEx Falcidia, ſi interueniat, in omnibus penſionibus locum habet. ſed hoc ex poſt facto apparebit. vtputa in annos ſingulos legatum relictum eſt quamdiu Falcidia nondum locum habet, integræ penſiones annuæ dabuntur. ſed enim ſi annus venerit, quo fit, vt contra legem Falcidiam vltra dodrantem aliquid debeatur: eueniet, vt retro omnia legata ſingulorum annorum imminuantur.

1 ¶ Numquàm legatarius vel fideicommiſſarius, licet ex Trebelliano ſenatuſconſulto reſtituitur ei hereditas, vtitur legis Falcidiæ beneficio.

48. *Paulus* libro 2. ad Edictum Aedilium curulium.

CVm emptor venditori, vel contrà, heres exſtitit: euicto homine, vtrùm duplum in æs alienum deducere vel computare debeat, an ſimplum? duplum enim eſſet, ſi alius heres exſtitiſſet. & benignius eſt, eodem herede exiſtente, ſimplum ei imputari.

49. *Idem* libro 12. ad Plautium.

PLautius Seruo, quem tibi legaueram, fundum legaui. Atilicinus, Nerua, Sabinus: primum in ſeruo rationem legis Falcidiæ habendam, &, quota pars ex eo decederet, eam partem in fundo legato inutilem futuram: deinde ex reliquis partibus fundi legis Falcidiæ portionem deceſſuram, ſicut ex omnibus legatis. Caſsius: quod ſeruo pars lege Falcidia decedat, incipere ſeruum fieri communem heredis & legatarij. communi autem ſeruo cùm legatum ſit, totum pertinere ad ſocium: quia in eam perſonam legatum conſiſtere poſsit. qua ratione ſemel ex fundo partem legis Falcidiæ deceſſuram. *Paulus*: Caſsij ſententia vtimur. nam & Diuus Pius reſcripſit, ſeruo communi fideicommiſſum datum, totum ad ſocium pertinere.

1 ¶ Interdum euenit, vt, propter rationem legis Falcidiæ, ſequens legatum exſtinguatur. veluti ſi fundus, & ad eum via legata ſit per alium fundum. nam ſi pars fundi remanſerit in hereditate, non poteſt procedere viæ legatum: quia per partem ſeruitus adquiri non poteſt.

50. *Celſus* libro 14. Digeſtorum.

NOn eſt dubium, quin ea legata, à quibus heres ſummouere exceptione petitorem poteſt, in quartam ei imputentur, nec ceterorum legata minuant.

51. Iuliani



51 *Iulianus* libro 6. Digeſtorum.

NEc intereſt, vtrùm ab initio quaſi inutile fuerit, an ex accidenti poſtea in eum caſum perueniſſet legatum, vt actio eius denegaretur.

52. *Marcellus* libro 9. Digeſtorum.

EX aſſe patronum heredem inſtituit libertus, cum ducentos aureos in bonis haberet: & legauit, filio centum viginti, extraneo reliqua deminutio legati, quòd extraneo præſtat legatum, proficit filio ad conſequenda ſolida, quæ ei legata ſunt.

1 ¶ Quacumque ex cauſa legata non præſtantur, imputantur heredi in quartam partem, quæ propter legem Falcidiam remanere apud eum debet.

53. *Celſus* libro 17. Digeſtorum.

SI propter ea, quæ ſub condicione legata ſunt, pendet legis Falcidiæ ratio: præſenti die data, non tota vindicabuntur.

54. *Marcellus* libro 15. Digeſtorum.

PAter filium, ex quo tres habebat nepotes, heredem inſtituit, fideique eius commiſit, ne fundũ alienaret, & vt in familia eum relinqueret. filius decedens tres filios ſcripſit heredes. quærendum eſt, an omnino quaſi creditores vnuſquiſque in ratione legis Falcidiæ aliquid poſsit deducere: quia in poteſtate ſua habuit pater, cui ex his potius relinqueret. ſed hac ratione nemo in Falcidiæ ratione, quicquam deducet. quod, videndum, ne dure conſtituatur. vtique enim in alieno ære habuit fundum: neceſsitate quippe obſtrictus fuiſſet filiis eum relinquendi.

55. *Idem* libro 20. Digeſtorum.

CVm Titio in annos ſingulos dena legata ſunt, & iudex legis Falcidiæ rationem inter heredem & alios legatarios habeat: viuo quidem Titio, tanti litem æſtimare debeat, quanti venire id legatum poteſt, in incerto poſito, quandiu victurus ſit Titius, mortuo autem Titio, non aliud ſpectari debet, quàm quid heres ex ea cauſa debuerit.

56. *Idem* libro 22. Digeſtorum.

CVm quo de peculio agi poterat, heres creditori exſtitit. quæris, cuius temporis peculium computari oporteat in Falcidia lege. Plerique putant, quod tunc in peculio fuerit, cùm adiretur hereditas, inſpiciendum. ego dubito: quoniam mortis tẽpus in ratione legis Falcidiæ ineunda placuit obſeruari. quid enim intereſt, peculiũ ſerui poſt mortem creditoris deminutum ſit, an debitor pauperior factus ſit?

1 ¶ Aliquis dicet: Quid ex contrario, ſi ante aditam hereditatem adquiſierit ſeruus? & ego quærã: Si debitoris, qui tunc non erat ſoluendo, ampliatæ facultates fuerunt? & cùm in iſto placuerit, ex pòſt facto vberiorem videri fuiſſe hereditatem. ſicuti cùm cõdicio crediti exſtitit poſt mortem, ita etiam peculij incrementum pleniorem faciet hereditatem.

2 ¶ *Scæuola* notat: Quid ergo, ſi idem ſeruus defuncto & alij dena debuit, & vna decem habuit? augetur ſcilicet & his hereditas, decem, quæ defuncto naturaliter debebantur, in hereditate manentibus.

3 ¶ Is, qui in bonis vnum dumtaxat ſeruum habebat, legauit eum Titio, & fidei eius commiſit, vt poſt triennium manumitteret. debet ex eo, quod interim ex operis ſerui ad Titium peruenire poteſt, quarta apud heredem remanere, quemadmodum ſi directo poſt triennium ſeruo libertatem dediſſet, etiã que vſumfructum ei legaſſet: aut ei proprietatem per fideicommiſſum relinquit.

4 ¶ Stichum tibi, ſeruo tuo decem legauit. vel contrà, tibi decem, ſeruo tuo Stichum, libertatémque Stichi fidei eius commiſit. lex Falcidia minuit legata redimere ab herede partem debes, quemadmodum ſi tibi vtrumque legaſſet.

5 ¶ Sæpius euenit, ne emolumentum eius legis heredi ſequatur. nam ſi centum aureorum dominus, vigintiquinque alicui dediſſet, & eum inſtituerit heredem, & dodrãtem legauerit: nihil aliud ſub occaſione legis Falcidiæ interuenire poteſt. quia viuus videtur heredi futuro prouidere.

57 *Idem* libro 26. Digeſtorum.

CVm dotem maritus alicui legauerit, vt vxori reſtituatur: non habere legem Falcidiam locum, dicendum eſt. & ſane in pleriſque ita obſeruatur, vt omiſſa interpoſiti, capientis perſona ſpectetur.

58. *Modeſtinus* libro 9. Regularum.

LEgis Falcidiæ beneficium heres etiam poſt longum tempus mortis teſtatoris implorare non prohibetur.

59. *Idem* libro 9. Pandectarum.

BEneficio legis Falcidiæ indignus eſſe videtur, qui id egerit, vt fideicommiſſum intercidat.

1 ¶ Præterea qui nõ capienti rogatus eſt reſtituere hereditatem, ſenatuſconſulto Planciano non conceditur quartam retinere. ſed ea quarta, quam non retinuit, ad fiſcum pertinet ex reſcripto Diui Pij.

60. *Iauolenus* libro 14. ex Caſsio.

CVm pater impuberi filiæ heredem ſubſtituit: id, quod ei legatorũ nomine à patre obuenit, cùm hereditas ad ſubſtitutos pertinet, in computationem legis Falcidiæ non venit.

1 ¶ Legato petito, cùm in litem iuratum eſt, ratio legis Falcidiæ, non eius ſummæ, in quam legatarius iurauit, haberi debet: ſed eius, quanti re vera id fuit, quod petitum eſt. nam id, quod pœnæ cauſa adcreuit, in legem Falcidiam non incidit.

61. *Idem* libro 4. Epiſtularum.

ALienus fundus tibi legatus eſt. hunc heres cùm emere niſi infinito pretio non poſſet, emit multo pluris, quàm quanti erat, qua emptione effectum eſt, vt legatarij ad legem Falcidiam reuocarentur. quæro: cùm, ſi fundus tanti, quanti re vera emptus eſſet, legata non fuerant exceſſura ius legis Falcidiæ: an hoc ipſo heres inſtitutus partem reuocandi à legatariis ius habeat, quod ex voluntate defuncti pluris emerit fundum, quàm quanti erat. reſpõdit, quod amplius heres, quàm pretium fundi, legatario ſoluit: id lege Falcidia imputari non poteſt: quia neglegẽtia eius nocere legatariis non debet. vtpote cùm is, confitendo, veram æſtimationem præſtare poterat.

62. *Vlpianus* libro 1. ad Legem Iuliam & Papiam.

IN lege Falcidia hoc eſſe ſeruãdum, Iulianus ait: vt, ſi duo rei promittendi fuerint, vel duo rei ſtipulandi, ſi quidem ſocij ſint, in ea re diuidi inter eos debere obligationem, atque ſi ſinguli partem pecuniæ ſtipulati eſſent, vel promiſiſſent. quod ſi ſocietas inter eos nulla fuiſſet: in pendenti eſſe, in vtrius bonis computari oporteat id, quod debetur, vel ex cuius bonis detrahi. 1 ¶ Corpora, ſi qua ſunt in bonis defuncti, ſecundum rei veritatem æſtimãda erunt, hoc eſt ſecundum præſens pretium. nec quicquam eorum formali pretio æſtimandum eſſe ſciendum eſt.

63. *Paulus* libro 2. ad Legem Iuliam & Papiam.

PRetia rerum non ex affectu nec vtilitate ſingulorum, ſed communiter funguntur. Nec enim qui filium naturalem poſsidet, tanto locupletior eſt, quod eum, ſi alius poſsideret, plurimo redempturus fuiſſet. Sed nec ille qui filium alienum poſsidet, tantum habet, quanti eum patri vendere poteſt. nec exſpectandum eſt, dum vendat. ſed in præſentia, non quà filius alicuius, ſed quà homo æſtimatur. Eadem cauſa eſt eius ſerui, qui noxam nocuit. nec enim delinquendo quiſque pretioſior fit. Sed nec heredem poſt mortem teſtatoris inſtitutum ſeruum tanto pluris eſſe, quo pluris venire poteſt, Pedius ſcribit. eſt enim abſurdum, ipſum me heredem inſtitutum non eſſe locupletiorem, antequàm

adeam: ſi autem ſeruus heres inſtitutus ſit, ſtatim me locupletiorem effectum: cùm multis cauſis accidere poſsit, ne iuſſu noſtro adeat. adquirit nobis certe, cùm adierit. eſſe autem præpoſterum, antè nos locupletes dici, quàm adquiſierimus.

1 ¶ Cuius debitor ſoluendo non eſt, tantum habet in bonis, quantum exigere poteſt.

2 ¶ Nonnullam tamen pretio varietatem loca, temporaque adferunt. nec enim tantidem Romæ & in Hiſpania oleum æſtimabitur. nec continuis ſterilitatibus tantidem, quanti ſecundis fructibus. dum hic quoque non ex momentis temporum, nec ex ea, quæ raro accidat, caritate pretia conſtituantur.

64. *Vlpianus* libro 13. ad Legem Iuliam & Papiam.

SI in teſtamento ita ſcriptum ſit, *Heres meus Lucio Titio decem dare damnas eſto. & quanto quidem minus per legem Falcidiam capere poterit, tanto amplius ei dare damnas eſto*: ſententiæ teſtatoris ſtandum eſt.

65. *Paulus* libro 6. ad Legem Iuliam & Papiam.

SI fundus legatus ſit quinquaginta dignus, ſub hac condicione, ſi quinquaginta heredi dediſſet: plerique putant, vtile eſſe legatum: quia condicionis implendæ cauſa datur. nam conſtat, etiam Falcidiam eum pati poſſe. ſed ſi quinquaginta aurei legati ſint, ſi quinquaginta dediſſet: dicendum, inutile eſſe legatum, & magis ridiculum eſſe.

66. *Vlpianus* libro 18. ad Legem Iuliam & Papiam.

CIrca Legem Falcidiam, in eo, quod ſub condicione, vel in diem alicui relictum eſt, hoc obſeruandum eſt: Si decem ſub condicione alicui fuerint relicta. eaque condicio poſt decennium forte exſtiterit: non videntur decem huic legata, ſed minus decem quia interuallum temporis, & interuſurium huius ſpatij, minorem facit quantitatem decem.

1 ¶ Sicuti legata non debentur, niſi deducto ære alieno aliquid ſuperſit: nec mortis cauſa donationes debebuntur, ſed infirmantur per æs alienum. quare, ſi immodicum æs alienum interueniat, ex re mortis cauſa ſibi donata nihil aliquis cõſequitur.

67. *Terentius Clemens* libro 4. ad Legem Iuliam & Papiam.

QVotiens cuidam amplius legatum ſit, quàm ei capere liceret, & lex Falcidia locum haberet: priùs Falcidiæ ratio habenda eſt: ſcilicet vt, ſubducto eo, quod lex Falcidia exceperit, reliquum, ſi nõ excedat ſtatutam legi portionem, debeatur.

68. *Aemilius Macer* libro 2. ad Legem viceſimam.

HEreditarium

COmputationi in alimentis faciendæ hanc formam eſſe Vlpianus ſcribit: vt à prima ætate vſque ad annum viceſimum, quantitas alimentorum triginta annorum computetur, eiuſque quantitatis Falcidia præſtetur: ab annis verò viginti vſque, ad annum viceſimumquintum, annorum vigintiocto: ab annis vigintiquinque vſque ad annos triginta, annorum vigintiquinque: ab annis triginta vſque ad annos trigintaquinque, annorum viginti duo: ab annis trigintaquinque vſque ad annos quadraginta, annorum viginti: ab annis quadraginta vſq. ad annos quinquaginta, tot annorum computatio ſit, quot ætati eius ad annum ſexageſimum deerit, remiſſo vno anno: ab anno vero quinquageſimo vſque ad annum quinquageſimumquintum, annorũ nouem: ab annis quinquagintaquinque vſque ad annum ſexageſimum, annorum ſeptem: ab annis ſexaginta, cuiuſcumq. ætatis ſit, annorum quinque. Eóque nos iure vti, Vlpianus ait, & circa computationem vſusfructus faciendam. Solitum eſt tamen à prima ætate vſque ad annum trigeſimum, computationem annorum triginta fieri: ab annis vero triginta, tot annorum computationem inire, quot ad annum ſexageſimum deeſſe videntur. nunquam ergo ampliùs quam triginta annorum computatio initur. Sic denique, & ſi reipublicæ vſusfructus legetur, ſiue ſimpliciter ſiue ad ludos, triginta annorum computatio fit.

1 ¶ Si quis ex heredibus rem propriam eſſe contendat, deinde hereditariam eſſe conuincatur: quidam putant, eius quoque Falcidiam non poſſe retineri. quia nihil intersit, ſubtraxerit, an hereditariam eſſe negauerit. quod Vlpianus recte improbat.

69. *Pomponius* libro 5. ad Sabinum.

VSuſfructu bonorum legato, æs alienum ex omnibus rebus deducendum eſt. quoniam poſt ſenatuſconſultum nulla res eſt, quæ non cadit in vſusfructus legatum.

70. *Vlpianus* libro 16. ad Sabinum.

FAlcidiæ ſtipulatio ſtatim committitur, vbi condicio legati, vel debeti exſtitit.

71. *Paulus* libro 32. ad Edictum.

POteſt heres in vendenda hereditate cauere, vt, & lege Falcidia interueniente, ſolida legata præſtentur: quia ea lex heredis cauſa lata eſt, nec fraus ei fit, ſi ius ſuum deminuat heres.

72 *Gaius* libro 3. de legatis ad Edictum Prætoris.

QVantitas patrimonij, deducto etiam eo, quidquid explicandarum venditionum cauſa impenditur, æſtimatur.

73. *Idem* libro 18. ad Edictum Prouinciale.

IN quantitate patrimonij exquirenda viſum eſt, mortis tempus ſpectari. Qua de cauſa ſi quis centum in bonis habuerit, tota ea legauerit: nihil legatariis prodeſt, ſi ante aditam hereditatem per ſeruos hereditarios, aut ex partu ancillarum hereditariarum, aut ex fetu pecorum tantum acceſſerit hereditati, vt centum legatorum nomine erogatis, habiturus ſit heres quartam partem: ſed neceſſe eſt, vt nihilo minùs quarta pars legatis detrahatur. Et ex diuerſo, ſi ex centum ſeptuagintaquinque legauerit, & ante aditam hereditatem in tantum decreuerint bona, (incendiis forte, aut naufragiis, aut morte ſeruorũ) vt non plus quàm ſeptuagintaquinque, vel etiam minus relinquatur: ſolida legata debentur, nec ea res damnoſa eſt heredi, cui liberum eſt non adire hereditatem. quæ res efficit, vt neceſſe ſit legatarius, ne deſtituto teſtamento nihil conſequãtur, cum herede in portionem legatorum paciſci.

1 ¶ Magna dubitatio fuit de hi, quorum condicio mortis tempore pendet, id eſt, an, quod ſub condicione debetur, in ſtipulatoris bonis adnumeretur, & promiſſoris bonis detrahatur. ſed hoc iure vtimur: vt, quanti ea ſpes obligationis venire poſsit, tantum ſtipulatoris quidem bonis accedere videatur, promiſſoris vero decedere, aut cautionibus res explicari poteſt: vt duorum alterum fiat: aut ita ratio habeatur, tamquam pure debeatur: aut ita, tamquàm nihil debeatur: deinde heredes & legatarij inter ſe caueant: vt, exſiſtente condicione, aut heres reddat, quanto minus ſoluerit, aut legatarij reſtituant, quanto plus conſecuti ſint.

2 ¶ Sed etſi legata quædam purè, quædam ſub cõdicione relicta efficiant, vt, exſiſtente condicione, lex Falcidia locum habeat: purè legata cum cautione redduntur. quo caſu magis in vſu eſt, ſolui quidem pure legata, perinde ac ſi nulla alia ſub condicione legata fuiſſent, cauere autem legatarios debere, ex euentu condicionis, quod amplius accepiſſent, redditu iri.

3 ¶ Cuius generis cautio neceſſaria videtur, & ſi quibuſdam ſeruis eodem teſtamento ſub condicione libertas data ſit, quorum pretia, condicione exſiſtente, bonis detrahuntur. 4 ¶ In diem relicta legata alterius eſſe iuris, palàm eſt: cùm ea omnimodo tam ipſi legatario, quàm heredibus eius deberi certum eſt. ſed tantò minùs erogari ex bonis intellegendum eſt, quantum interea, donec dies optingit, hæres lucraturus eſt ex fructibus vel vſuris.

5 ¶ Ergo optimum quidem eſt, ſtatim ab initio ita teſtatorẽ diſtribuere, legata ne vltra dodrantẽ relinquantur. quòd ſi exceſſerit quis dodrantem: pro rata portione, per legem, ipſo iure minuuntur. Verbi gratia, ſi is, qui quadringenta in bonis habuit, tota ea quadringenta erogauerit, quarta pars legatariis detrahitur. ſi trecenta quinquaginta legauerit, octaua. quod ſi quingenta legauerit habes quadringẽta, initio quinta, deinde quarta pars detrahi debet. antè enim detrahẽdum eſt, quod extra bonorum quantitatem eſt: deinde quod ex bonis apud hæredem remanere oportet.



74. *Idem* libro 3. de legatis ad Edictum prætoris.

QVod autem dicitur, ſi ex iudicio defuncti quartam habeat hæres, ſolida præſtanda eſſe legata: ita accipere debemus, ſi hæreditario iure habeat. itaque quod quis legatorum nomine à cohærede accepit, in quadrantem ei non imputatur.

75. Ex libro 40. Digeſtorum *Iuliani Marcellus*.

SEd ſi ideo legatum ei datum eſt, vt integra legata vel ſi leicommiſſa præſtet: denegandа erit actio legati, ſi lege Falcidia vti mallet.

76. *Gaius* libro 3. de legatis ad Edictum Prætoris.

ID autem; quod condicionis implendæ cauſa vel à cohærede, vel à legatario, vel à ſtatulibero datur; in Falcidia non imputatur; quia mortis cauſa capitur. Sanè ſi à ſtatulibero peculiares nummos accipiat, pro ſua parte quadranti eos imputare debet: quia pro ea parte non mortis cauſa capere, ſed hereditario iure eos habere intellegitur. 1 ¶ Qua ratione placuit, legata, quæ legatarij non capiunt, cùm apud hæredes ſubſederint, hereditario iure apud eos remanere intellegi, & ideo quadranti imputanda. nec quicquam intereſſe, verùm ſtatim ab initio legatum non ſit; an, quod legatum eſt, remanſerit.

77. *Idem* libro 18. ad Edictum Prouinciale.

IN ſingulis hæredibus rationẽ legis Falcidiæ componẽdam eſſe nõ dubitatur. & ideo ſi, Titio & Seio hæredibus inſtitutis, ſemis hæreditatis Titij exhauſtus eſt, Seio autem quadrans totorum bonorum relictus ſit: competit Titio beneficium legis Falcidiæ.

78. *Idem* libro 3. de legatis ad Edictum prætoris vrbani.

QVod ſi, alterutro eorum deficiente, alter hæres ſolus exſtiterit: vtrùm perinde ratio legis Falcidiæ habenda ſit, ac ſi ſtatim ab initio is ſolus hæres inſtitutus eſſet: an ſingularum portionum ſeparatim cauſæ ſpectandæ ſunt? & placet, ſi eius pars legatis exhauſta ſit, qui heres exſtiterit, adiuuari legatarios per deficiẽtẽ partẽ: quia ea non eſt legatis onerata. quia & legata, quæ apud hæredem remanẽt, efficiunt, vt cæteris legatariis aut nihil, aut minus detrahatur. ſi verò defecta pars fuerit exhauſta: perinde in ea ponendam rationem legis Falcidiæ, atque ſi ad eum ipſum pertineret, à quo defecta fieret.

79. *Idem* libro 18. ad Edictum Prouinciale.

IN duplicibus teſtamentis, ſiue de patrimonio quæramus, ea ſola ſubſtantia ſpectatur, quam pater, cũ moreretur, habuerit: (nec ad rem pertinet, ſi poſt mortẽ patris filius vel adquiſierit aliquid, vel deminuerit) ſiue de legatis quæramus; tam ea quæ in primis, quàm ea quæ in ſecundis tabulis relicta ſunt, in vnum contribuuntur: tamquam ſi & ea, quæ à filij hærede reliquiſſet teſtator, à ſuo hærede ſub alia condicione legaſſet.

80. *Idem* libro 3. de legatis ad Edictum prætoris.

SI is, qui quadringenta in patrimonio habebit, filio impubere hærede inſtituto, ducenta legauerit, eique Titium & Seium heredes ſubſtituerit, & à Titio centum legauerit, videamus, quid iuris ſit. ſi, nondum ſolutis legatis, pupillus deceſſerit; & ob id ea legata vtrique debent: ſolus hæres Titius vtetur lege Falcidia. cùm enim ducenta ex hereditate pupilli ad eum pertineant: ducenta legatorum nomine debet: centum, ex ducentis, quæ pupillus debebat: cẽtum, quę ipſe dare iuſſus eſt. itaque ex vtraque quãtitate quarta deducta, habebit quinquaginta. in perſona verò Seij lex Falcidia non interuenit, cùm ad eum ex hereditate pupilli ducenta pertineant, & debeat legatorum nomine centum ex ducentis, quæ à pupillo relicta ſunt. quòd ſi pupillus ſoluat legata, debent curare tutores pupilli, vt caueant legatarij.

1 ¶ Quædam legata diuiſionem non recipiunt. Vt ecce legatum viæ, itineris, actúſve. ad nullum enim ea res pro parte poteſt pertinere. Sed & ſi opus municipibus heres facere iuſſus eſt, indiuiduũ videtur legatum. neque enim vllum balineum, aut vllum theatrum, aut ſtadium fęciſſe intellegitur. qui ei propriam formam, quę ex conſummatione contingit, non dederit. Quorum omnium legatorum nomine, etſi plures hæredes ſint, ſinguli in ſolidum tenentur. Hęc itaque legata, quę diuiduitatem non recipiunt, tota ad legatarium pertinent. ſed poteſt hæredi hoc remedio ſuccurri, vt, æſtimatione facta legati, denuntiet legatario, vt partem æſtimationis inferat. ſi non inferat, vtatur aduerſus eum exceptione doli mali.

81. *Idem* libro 18. ad Edictum Prouinciale.

SEd vſusfructus legatus venit in computationẽ legis Falcidiæ. nam diuiſionẽ recipit. adeo vt, ſi duobus legatus fuerit, ipſo iure ad ſingulos partes pertineant. 1 ¶ Dos relegata extra rationẽ legis Falcidię eſt, ſcilicet quia ſuam rẽ mulier recipere videtur. 2 ¶ Sed & de his quoque rebus, quę mulieris cauſa emptę, paratæ eſſent, vt hæ quoq; extra modũ legis eſſẽt, nominatim ipſa Falcidia lege expreſſũ eſt.

82. *Vlpianus* libro 8. Diſputationum.

QVærebatur; cùm is, qui ſolùm in nomine quadringenta in bonis habebat, ipſi debitori liberationem, Seio autem quadringenta legauerit; ſi debitor vel ſoluẽdo non ſit, vel cẽtum facere poſsit, quantum quiſq; habeat interuẽtu legis Falcidiæ. Dicebam; legẽ Falcidiam ex eo, quod refici ex hæreditate poteſt, quartam hæredi tribuere, reſiduum dodrantẽ inter legatarios diſtribuere. Quare cùm nomẽ minùs ſoluendo eſt in hereditate: eius, quod exigi poteſt, pro rata fit diſtributio: reſidui venditio facienda eſt, vt id demum in hæreditate computetur, quanti nomen diſtrahi poteſt. Sed cùm debitori liberatio relinquitur: ipſe ſibi ſoluendo videtur: &, quod ad ſe attinet, diues eſt. quippe ſi ei mortis cauſa acceptò feratur id, quod debet: quadringenta cepiſſe videbitur, licet nihil facere poſsit. ſenſiſſe enim liberationem plenam videtur, quamuis nihil facere poſsit, ſi ſoli ei liberatio relicta eſt. & ideo, Falcidia interueniente, trecenta acceptò illi ferri debent: reſidua cẽtum durabunt in obligationẽ. & ſi quidẽ facere poſſe cœperit, exigẽtur ab eo dumtaxat vſq; ad cẽtum. Idémq; erit dicẽdum, & ſi mortis cauſa acceptò ei quadringẽta ferantur. vnde eleganter dicitur, acceptilationẽ in pẽdẽti fore. vt ſi quidẽ mortis tẽpore quadringẽta tota inueniantur, in trecẽta valeat acceptilatio. ſi verò præterea aliquid inueniatur, quod quadrantem ſuppleat hæredi: in quadringenta acceptilatio proficiet. Quod ſi debitor iſte quadringentorum, dumtaxat centum facere poteſt: quia ſibi ſoluendo eſt: neceſſe habebit, centum refundere. Cùm igitur debitor ſibi ſoluendo ſit: eueniet; vt ſi,

hærede aliquo inſtituto, ipſi debitori liberatio, & alij quadringenta legata ſint; ſi quidem ſoluendo ſit debitor, centum quinquaginta ex trecentis retineat, alia centum quinquaginta legatario præſtentur, hæres centum habeat. Sin verò centum tantùm facere poſſit: hæredi ex refecto quarta ſeruanda eſt. ſic fiet, vt centum, quæ præſtari poſſunt, in quattuor partes diuidantur: tres partes ferant legatarij: heres vigintiquinque habeat: debitor, qui ſoluendo non eſt, ſecū centum quinquaginta compenſet. de reſiduis centum quinquaginta, quæ exigi non poſſunt, venditio fiet nominis. idq; quaſi ſolum in bonis fuerit, repræſentatur. Quòd ſi nihil facere debitor poteſt: æquè in centum quinquaginta acceptò liberandus eſt. de reſiduo vendi ionem nominis faciendam, Neratius ait quod & nos probamus.

83. *Iulianus* libro 12. Digeſtorum.

SI creditor filij tui hæredem te inſtituerit, & legis Falcidiæ rationem ponas: peculij quantitas, quod aditæ hæreditatis tempore fuiſſet, in quadrantem tibi imputabitur.

84. *Idem* libro 13. Digeſtorum.

REpperitur caſus, quo hæres agere poteſt, quamuis teſtator agere non potuerit: veluti ſi tutor, cùm ſolueret legata, non interpoſuerit ſtipulationē, quanto plus, quàm per legem Falcidiam capi licuerit, ſolutum fuerit, reddi: pupillus quidem eo nomine tutelæ non agit: ſed hæredi eius hoc quoque nomine tutor obligatus erit.

85. *Idem* libro 18. Digeſtorum.

SI dos ſocero data eſt, & ſolus filius heres patri exſtitiſſet: dotem confeſtim, in computatione hæreditatis, & Falcidiæ rationem, in ære alieno deducet. aliter enim videbitur indotatam vxorem habere. quòd ſi filius extraneum cohæredem habeat: ipſe quidem ſemper, pro qua parte patri hæres erit, dotē in ære alieno deducet: & cohæres eius, antequàm dos à filio præcipiatur.

86. *Idem* libro 40. Digeſtorum.

TItia teſtamento ſuo Titium fratrem ſuum ex parte tertia hæredem inſtituit; fideíque eius cōmiſit, vt hereditatem, retenta quarta parte, Secundæ & Proculæ reſtituat. eadem fratri quædam prædia prælegauit. quæro, an Titius ea, quæ prelegata ſunt, etiam pro ea parte hæreditatis, quā rogatus eſt reſtituere, an integra retinere debeat. reſpondi, Titium legata integra retinere debere, ſed in partem quartam imputari oportere duodecimam partem prædiorum. ſed ſi non eſſet adiectum, vt pars quarta deduceretur: totum trientem prædiorum legi Falcidiæ imputari oportere: quoniam contra ſententiam matrisfamiliæ lex Falcidia induceretur.

87. *Idem* libro 61. Digeſtorum.

QVi fundum ſolum in bonis centum relinquebat; ſi heredem ſuum damnauerit, vt eum quinquaginta Titio venderet; non eſt exiſtimandus ampliùs, quàm quinquaginta, legaſſe. ideóque lex Falcidia locum non habet. 1 ¶ Item (ſi) is, qui duos fundos in bonis centum haberet, ſi me & Titium hæredes inſtituiſſet; & damnaſſet me, vt Titio fundū Cornelianum quinquaginta venderem; & contrà Titium damnaſſet, vt mihi fundum Seianum quinquaginta venderet: non animaduerto, quemadmodum lex Falcidia locum habere poſsit: cùm vterq; hæredem vnius fundi partem dimidiam hæreditario iure habiturus ſit, in qua pars dimidia hereditatis eſt. nā certè, qui damnatus eſt fundum Cornelianum vendere, Seiani fundi partem hæreditario iure habet. itē qui damnatus eſt Seianum fundum vendere, partem Corneliani fundi hereditario iure retinet.

2 ¶ Si quis hæredem inſtituerit eum, cui rogatus fuerat poſt mortem ſuam centum reſtituere: in ratione legis Falcidiæ centum deducere debet: quia ſi alius quilibet heres exſtitiſſet, hęc centum in ære alieno ponerentur.

3 ¶ Si tu ex parte quarta, Titius ex parte quarta hæredes ſcripti fueritis; deinde tu ex parte dimidia hæres inſtitutus fueris ſub condicione; & legata, item libertates datæ fuerint: pendente condicione, libertates competent, legata tota præſtabuntur, quia ſiue condicio exſtiterit, te hærede exſiſtente, vtraque valent; ſiue condicio defecerit, tu & Titius hæredes eritis. Lege Falcidia ſi hoc quæris; an exſiſtente condicione miſcetur quadrans tuus & ſemis, atque ita pro dodrante ratio ponenda eſt cum his, quibus à te purè hærede legatum eſt: reſpondebimus, miſceri duas partes.

4 ¶ Qui filium ſuum impuberem & Titium æquis partibus heredes inſtituerat, à filio totum ſemiſſem legauerat, à Titio nihil: & Titium filio ſubſtituerat. quæſitum eſt: cùm Titius ex inſtitutione adiſſet; & impubere filio mortuo, ex ſubſtitutione heres extitiſſet: quantum legatorum nomine præſtare deberet, & placuit, ſolida legata eum præſtare debere. nam confuſi duo ſemiſſes efficerent, vt circa legē Falcidiam totius aſſis ratio haberetur, & ſolida legata præſtarentur. Sed hoc ita verum eſt, ſi filius, antequàm patri hæres exſiſteret, deceſsiſſet. Si verò patri hæres fuit: non ampliora legata debet ſubſtitutus, quàm quibus pupillus obligatus fuerat: quia non ſuo nomine obligatur, ſed defuncti pupilli; qui nihil ampliùs, quàm ſemiſsis dodrantem, præſtare neceſſe habuit.

5 ¶ Quòd ſi extranei heredis ſemis totus legatus fuerit, iſque pupillo, à quo nihil legatum erat, ex ſubſtitutione hæres extiterit: poterit dici, augeri legata, & perinde agendum, ac ſi cuilibet cohæredi ſubſtitutus fuiſſet; eoq; omittente hæreditatem, ex aſſe hæres exſtitiſſet. quia ſemper ſubſtitutus rationē legis Falcidiæ ex quantitate bonorum, quæ pater reliquerit, ponet.

6 ¶ Eadem dicenda ſunt, & ſi pater duos impuberes hæredes inſtituerit, & eoſdem inuicem ſubſtituerit, deinde iure ſubſtitutionis ad alterum hæreditas reciderit, & legis Falcidiæ ratio habenda ſit.

7 ¶ Qui filios impuberes duos habebat, alterum hæredē inſtituit, alterum exhæredauit: deinde exhæredatum inſtituto ſubſtituit: ac poſtea exheredato Mæuium: & ab eo legauit. & exheredatus fratri impuberi exſtitit hæres. deinde impubes deceſſit. cùm iudicio patris facultates paternæ per cauſam hæreditariam ex ſubſtitutione ad eum perueniant: poteſt dici, legata ab eo relicta præſtanda eſſe, habita ratione legis Falcidiæ in his bonis, quæ pater mortis tempore reliquerit. Nec huic contrarium eſt, quòd, cùm exheredato pater legatum dederit, nihilo magis ſubſtitutus legatis obligabitur: quia eo caſu non hæreditatis paternæ portio, ſed legatum ad eum peruenit. Dicet aliquis: Quid ergo, ſi exhæredatus filius non ex ſubſtitutione fratri ſuo hæres exſtiterit; ſed aut lege, aut per interpoſitam perſonam; atque ita impubes deceſſerit? ſic quoque exiſtimandus erit ſubſtitutus legata debere? minimè. nam, quantum interſit, exhæredatus filius ex ſubſtitutione fratri ſuo heres exſiſtat, an alio modo: vel ex eo apparet, quòd aliàs ab eo legare pater potuit, aliàs non potuit. eſt igitur rationi congruens, ne plus iuris circa perſonam ſubſtituti teſtator habeat, quàm habuerat in eo, cui eum ſubſtituebat.

8 ¶ Coheres pupillo datus ſi pro parte ſua legata, habita legis Falcidiæ ratione, præſtiterit; deinde, impubere mortuo, ex ſubſtitutione hæres exſtiterit, & ſemis pupilli legatis exhauſtus eſſet: ex integro legis Falcidiæ ratio ponenda erit: vt contributis legatis, quæ ab ipſo, & quæ à pupillo data fuerant, pars



quarta bonorum apud eum remaneat. licèt enim pupillo heres exſtitit: tamen circa legem Falcidiam perinde ratio habetur, ac ſi patri heres exſtitiſſet. Nec aliter augebūtur legata, quæ ab ipſo vltra dodrantē data fuerāt; quàm augētur, cùm ex parte heres inſtitutus, & coheredi ſuo ſubſtitutus, deliberante coherede, legata habita ratione legis Falcidiæ, ſoluit; deinde ex ſubſtitutione alteram quoque partē hereditatis adquirat.

88. *Africanus* libro 5. Quæſtionum.

QVi quadringēta habebat, trecenta legauit: deinde fundum tibi dignum centum aureis ſub hac condicione legauit, ſi legi Falcidię in teſtamento ſuo locus non eſſet. quæritur, quid iuris eſt. dixi *τῶν ἀπόρων. i. ex perplexis*, hanc quæſtionem eſſe; qui tractatus apud dialecticos *τοῦ ψευδομένου. i. fruſtratorij cauillatoriique*, dicitur. etenim quidquid conſtituerimus verum eſſe, falſum repperietur. namque ſi legatum tibi datum valere dicamus: legi Falcidiæ locus erit: ideóque, deficiente condicione, non debebitur. rurſus ſi, quia condicio deficiat, legatum valiturum non ſit: legi Falcidiæ locus non erit. porrò ſi legi locus non ſit: exſiſtente condicione, legatum tibi debebitur. cùm autem voluntatem teſtatoris eam fuiſſe appareat, vt, propter tuum legatum, ceterorum legata minui nollet: magis eſt, vt ſtatuere debeamus tui legati condicionem defeciſſe.

1 ¶ Quid ergo dicemus, ſi ducenta legauit, & tibi ſimiliter ſub eadem condicione ducenta legata eſſe proponantur? nam aut exſtitiſſe, aut defeciſſe legati tui condicionem: vt aut totum, aut nihil tibi debeatur, & iniquum, & contra voluntatem teſtatoris exiſtimabitur. rurſus partem deberi; rationi non congruit. quando neceſſe eſt, totius legati condicionem vel extitiſſe, vel defeciſſe. ergo per exceptionem doli mali tota ea res temperanda erit.

2 ¶ Quare cùm quis tale quid conſequi velit, ſic cōſequetur: *Si quo amplius legaui vel legauero, quàm per legem Falcidiam licebit: tum quantum ad ſupplēdum quadrantē deduci oportet, ex eo legato, quod Titio dedi, heres meus damnas eſto dare.*

3 ¶ Qui ducenta in bonis relinquebat, legauit mihi centum præſenti die: tibi æquè centum ſub condicione. poſt aliquantum temporis exſtitit condicio. ita tamen, vt ex reditu eius ſummæ, quę tibi relicta eſt, non amplius quàm vigintiquinque reciperet. legis Falcidiæ ratio ita habenda erit heredi, vt vigintiquinque conferre ei debeamus, & ampliùs fructus quinquaginta medij temporis, qui (verbi gratia) efficient quinque. cùm igitur triginta ſint conferenda; quidam putant, quina dena ab vtroque noſtrûm conferenda eſſe. quod minimè verum eſt. licèt enim eandem quantitatem acceperimus; manifeſtum tamē eſt, aliquanto vberius eſſe meum legatum. quare ſtatuendum erit, tanto minus in tuo legato eſſe, quantū ex fructibus eius heres perceperit. ſecundùm quod in propoſita ſpecie computationem ita iniri oportet, vt ex ſeptem partibus ego quattuor, tu tres conferamus: quoniam quidem quarta pars ampliùs in meo quàm in tuo legato eſt.

89. *Martianus* libro 7. Inſtitutionum.

DIui Seuerus & Antoninus, reſcripſerunt, pecuniā relictam ad alimenta puerorum Falcidiæ ſubiectam eſſe: &, vt idoneis hominibus collocetur pecunia, ad curam ſuam reuocaturum præſidem prouinciæ.

1 ¶ Diui Seuerus & Antoninus generaliter reſcripſerunt Bononio Maximo, vſuras præſtaturum eum qui fruſtrationis cauſa beneficium legis Falcidiæ implorauit.

90. *Florentinus* libro 11. Inſtitutionum.

SI heres; cuius fideicommiſſum eſt, vt acceptâ certâ pecuniâ hereditatem reſtituat, à voluntate eius, qui teſtamentum fecit, diſcedat, & poſtea legis Falcidiæ beneficio vti volet; etſi non detur ei, quo accepto hereditatem reſtituere cogatus eſt: tamē fideicōmiſſum reſtituere cogi debet. quoniā quod ei paterfamilias dari voluit, legis Falcidiæ commodum præſtat.

91. *Marcianus* libro 13. Inſtitutionum.

IN quartam hereditatis, quam per legem Falcidiam heres habere debet, imputantur res, quas iure hereditario capit, non quas iure legati vel fideicommiſſi vel implendæ condicionis cauſa accipit. nam hæc in quartam non imputantur. Sed in fideicommiſſaria hereditate reſtituenda, ſiue legatum vel fideicōmiſſum datum ſit heredi, ſiue præcipere, vel deducere, vel retinere iuſſus eſt; in quartam id ei imputatur. pro ea verò parte, quam accepit à coherede: extra quartam id eſt, quod à coherede accipitur. Sed & ſi accepta pecunia hereditatem reſtituere rogatus ſit: id, quod accipit, in quartam ei imputatur, vt Diuus Pius conſtituit. Sed & quod implendæ condicionis cauſa fideicōmiſſum heredi datur: in eadē cauſa eſſe admittendum ſciendum eſt. ſi quid verò implendæ condicionis cauſa heres accipiat à legatariis, in Falcidias computationem non prodeſſe. & ideo ſi centū prædium legauerit defunctus, ſi quinquaginta heredi legatarius dederit: centum legatis computationem fieri, & quinquaginta extra hereditatem haberi, ne in quartam ei imputentur.

92. *Macer* libro 2. de Re militari.

SI miles, teſtamento facto, partem dimidiam hereditatis ſuæ tibi reſtitui iuſſerit; deinde poſt miſſionē factis codicillis, alteram partem Titio reſtitui rogauerit: ſi quidem poſt annum miſſionis ſuæ deceſſerit: & tibi & Titio heres partem quartam retinebit. quia eo tempore teſtator deceſſit, quo teſtamentum eius ab beneficium principale pertinere deſierat. ſi verò intra annum miſſionis deceſſerit: ſolus Titius deductionem partis quartæ patietur: quia eo tempore fideicommiſſum ei relictum eſt, quo teſtator iure militari teſtari non potuit.

93. *Papinianus* libro 20. Quæſtionum.

ACceptis à Mæuio centum, hereditatem Mænio reſtituere, pecuniámque poſt mortem ſuam Titio dare rogatus eſt. quamquam hæc cētum quartam bonorum efficiant: tamen, propter fideicommiſſum ſequens, quartæ retentioni locus erit. tunc enim ex conſtitutione Diui Hadriani Falcidiæ ſatisfacit ea quantitas, cùm apud heredem remanet. ſed Falcidiam patietur ſolus, cui hereditas relicta eſt. nam in centū, quæ mortis cauſa capiuntur, admitti Falcidia non poteſt. Planè ſi quis ita ſcripſit, *Acceptis centum, peto reſtituas hereditatem*: neque perſonam dantis demonſtrauerit: quaſi retentam & præceptam pecuniam, ſi quartæ ſufficiat, inducere Trebellianum.

94. *Scæuola* libro 21. Digeſtorum.

FIlio & filia ſcriptis heredibus, ſingulis certa prælegauit: ſed longè minus filiæ, cui etiam domum obligatam prælegauit cum inſtrumentis, & quidquid ibi fuerit. & adiecit hæc verba: *Sed ea condicione lego, vt quidquid æris alieni in ea domo erit, Titius libertus filij mei exſoluat: & ſit eis vtriſque domus communis.* quæſitum eſt; ſi filia legis Falcidiæ beneficio vti volet ad quartam retinendam; an ex hereditate, quæ ei relicta eſt, deducto ære alieno, eius, quod ſuperfuerit quartam conſequi debeat. reſpondit; iure quidem id poſtulaturam; verùm non aliàs ea, quæ ei data ſunt, accepturam, ſi modò ea quartam ſuppleant, quàm voluntati defuncti, ſoluendum præſtando, pareret.

95. *Idem* libro 22. Digeſtorum.

MAritus vxoris res extra dotem conſtitutas adminiſtrauit: eáque decedens ante rationem ſibi redditam adminiſtrationis, ex aſſe eundem maritum heredem reliquit: eiúſque fidei

commiſit, vt decem vncias filio communi, cùm moreretur, reſtitueret, duas autem vncias nepoti. quæſitum eſt, an id quoque, quod ex adminiſtratione rerum apud maritum reſediſſe conſtiterit, cum ceteris bonis pro rata decem vnciarum filio reſtitui debeat. reſpondit, id, quod debuiſſet hereditati, in rationem venire debere.

1 ¶ Filiæ; quam mater rogauerat, ſi impubes deceſſiſſet, reſtituere hereditatem Titio; patruus legitimus heres exſtitit. in ratione legis Falcidiæ ponenda deſiderat deduci ſortes, ex quarum vſuris alimenta impubes defuncta ex perſona teſtatricis ſuæ pluribus debita præſtitit. quæſitum eſt, an, ſi eas deduxerit, cauere debeat, defunctorum alimentariorum portiones pro modo ſortium ſe reſtituturũ. reſpondit, debere cauere.

2 ¶ Poſt aditam hereditatem triennio exacto, legatariis heres legem Falcidiã opponit idcirco, quòd adminiſtrauit tutelas teſtator, quarum ratio nondum reddita ſit: & quod neget, tantum redigi ex nominibus poſſe, quantum in cautione deductum eſt. quæſitum eſt, an rationes defuncti & omnium inſtrumentorum hereditariorum & pupillarium rationum legatariis deſiderantibus, heres deſcribendi poteſtatem facere debeat: ne in poteſtate eius ſit proferre, quod velit; & per hoc in fraudem legatarij iudicantur. reſpondit, ad iudicis officium pertinere, explorare ea, per quæ probetur, quanti ſit in bonis.

96. *Idem* libro ſingulari Quæſtionum publicè tractatarum.

MIles ſi, dum paganus erat, fecerit teſtamentum, militiæ tempore codicillos: lex Falcidia in codicillis locum non habet: in teſtamento locum habebit.

## SI CVI PLVS, QVAM PER legem Falcidiam licuerit, legatum eſſe dicetur.

### TIT. III.

*Vlpianus* libro 79. ad Edictum.

SI cui plus, quàm licuerit, legetur; & dubitari iuſtè poſſit, vtrùm lex Falcidia locum habitura eſt, necne: ſubuenit prætor heredi, vt ei legatarius ſatiſdet: vt; ſi apparuerit, eum amplius legatorum nomine cepiſſe, quàm è lege Falcidia capere licebit: quanti ea res erit, tantam pecuniam det, dolúſque malus ab eo afuturus ſit.

1 ¶ Neque intereſt, vtrùm in primis tabulis hoc fiat, an in pupillaribus, an in vtriſque. etenim legem Falcidiam ſemel eſſe admittendam, etiam ſi duplex ſit teſtamentum, iam conuenit: contributis legatis, tã his, quæ ab ipſo pupillo, quàm his, quæ à ſubſtituto impuberi relicta ſunt.

2 ¶ Si non fuiſſet interpoſita ſtipulatio ex perſona pupilli, tutelæ actio heredi pupilli aduerſus tutorem competit. Sed (vt Pomponius ait) & ipſi pupillo & heredi eius poterit committi ſtipulatio. ipſi, quo caſu, viuo eo, Falcidia incipit locum habere. De tutelæ quoque actione idem ſcribit.

3 ¶ Marcellus ait: Qui quadringenta in bonis habebat, iNpuberem filium heredem inſtituit, eique ſubſtituit Titium & Seium. nihil à pupillo teſtator legauit, ſed à Titio trecenta. vtrùm ducenta, (inquit) præſtabuntur, an centum quinquaginta? nam trecenta nullomodo eum præſtare. mihi videtur verius, non amplius eum parte ſua erogare compelli. certè nec minus. ſecundùm quod eueniret, vt non ſoli committatur ſtipulatio; ſed omnibus heredibus interponenda eſt. ſed cauſa cognita Falcidiam locum habere, & legatorum modus facit, & æris alieni onus.

4 ¶ Et ſi quidem euidens æs alienum eſt, vel certum: facilis eſt computatio. ſi autem adhuc incertum eſt; quia fortè vel condicio eius pendet, vel creditor litem conteſtatus eſt, & necdum lis finita eſt: dubitabitur, quantum legatariis debeatur propter incertum.

5 ¶ Hodie tamen ſubſimile aliquid fit in fideicommiſſis.

6 ¶ Cùm dicitur lex Falcidia locum habere, arbiter dari ſolet ad ineundam quantitatem bonorum: tametſi vnus aliquid modicum fideicommiſſum perſequatur. quæ computatio præiudicare non debet ceteris, qui ad arbitrum miſſi non ſunt. Solet tamen ab herede etiam ceteris denuntiari fideicommiſſariis, vt veniant ad arbitrum, ibique cauſam ſuam agant. plerumque & creditoribus, vt de ære alieno probent. habet tamen rationem in legatariis, item in fideicommiſſariis: vt, ſi offerat integrum, quod relictum eſt, heres deſiderans cauere ſibi hac ſtipulatione, audiatur. 7 ¶ Si legata quædam præſenti die relicta ſint, quædam ſub condicione: interponenda erit iſta ſtipulatio propter legata condicionalia: dummodò ea legata, quę præſenti ſint, integra ſoluantur. Iulianus deniq; ſcribit; ſi purè, & ſub cõdicione legata fuerint: exſiſtente cõdicione lex Falcidia locũ habeat, non aliter legatorũ, quæ purè data ſunt, actionẽ dari debere, quàm ſi cautum fuerit heredi; quanto amplius, quàm per legem Falcidiam licuerit, ceperit.

8 ¶ Idem Iulianus ſcribit, eum, cui quadrans ſub condicione, & dodrans purè legatus eſt, cauere debere; quanto amplius, quàm per legem Falcidiam liceat, ceperit, reddi. 9 ¶ Hæc ſtipulatio ideo locum habet: quia; etſi repeti poteſt id, quod ſolutum eſt, tamen fieri poteſt, vt non ſit ſoluendo is, cui ſolutum eſt, ac per hoc pereat, quod datum eſt.

10 ¶ In mortis cauſa quoque donationibus poteſt dici, hanc ſtipulationem eſſe interponendam.

11 ¶ Hęc verba ſtipulationis; *Quod amplius legatorum nomine ceperis, quàm è lege Falcidia capere licebit:* non tantùm eum comprehendunt, qui amplius accepit, quàm ei Falcidia permiſit, vt reddat partem, habeat partem; verumetiam eum, qui totum deberet reſtituere. etenim ſciendum eſt, legem Falcidiam interdum partem eius, quod datum eſt, interdum totũ reuocare. cùm enim, habita ratione æris alieni, Falcidia ineatur: plerumque euenit, vt emergente debito, vel condicione æris alieni exſiſtente, totum, quod legatum eſt, exhauriatur. ſed & libertatium condicio interdum exſiſtens, efficiet, legatum omnino non deberi. quippe cùm habita ratione libertatium, & deductis pretiis eorum; tunc demum legatorum ineatur ratio.

12 ¶ In quibuſdam autem teſtamentis Falcidia quidem locum non habet: verumtamen ita obſeruatur, vt, licèt quadrantem heres non retineat, tamen hactenus legata debeantur, quatenus patrimonij vires ſufficiunt; vtique deducto ære alieno; item deductis pretiis eorum, qui libertatem in teſtamento vel directam, vel fideicommiſſariam acceperunt.

13 ¶ Sed & legatario cauendum eſt, à quo fideicommiſſum relinquitur.

14 ¶ Interdum non legis Falcidiæ, ſed etiam alterius legis in hac ſtipulatione ratio facienda eſt. vtputa ſi patronus ex aſſe heres inſtitutus ſit, & purè quincunx legatus ſit, & ſub condicione aliquid ſupra debitam patrono partem. nam in hunc caſum ratio facienda eſt illius legis, quæ patronos vocat, non legis Falcidiæ.

15 ¶ Si res, quæ legata ſit, apud legatarium interierit: probandum eſt, exceptione ſuccurri ei, qui promiſit:

2. *Paulus* libro 79. ad Edictum.

ETiamſi, quanti ea res ſit, promiſit:

3. *Vlpianus* libro 79. ad Edictum.

NIſi ſi dolo ipſius aliquid factum ſit. tunc enim etiam ex doli clauſula, quæ in iſta ſtipulatione continetur, tenebitur: & replicatione repelli poterit. 1 ¶ Hæc cautio, quæ propter legem Falcidiam interponitur, fideiuſſorum habet



præſtationem.

2 ¶ Si in plures dies pecunia legata eſt: cùm certum ſit legem Falcidiam locum habere non ſtipulationi, ſed computationi locum eſſe, Pedius ait: vt æſtimetur, quanti ſit, quod in diem legatum eſt: & tantum creditur eſſe legatum. efficit æſtimatio, vt pro modo eius ex omnibus legatis ſtatim legis Falcidiæ ratio habeatur.

3 ¶ Quotiens futurum eſt, vt palam fit & ante diem venientem, iam Falcidiam locum habere: totiens computatio eius fit. nam ſi condicio in mora eſt, exſpectabimus condicionem, quoad exſiſtat. ſi autem dies ſupereſt: iam hic, intercapedinis temporis habita ratione, atque æſtimatione, ſic de Falcidia diſputabimus, & committi ſtipulationem dicemus.

4 ¶ Quanuis autem omnes legatarij & fideicõmiſſarij neceſſe habeant hac ſtipulatione cauere: tamen quibuſdam remitti, Diui fratrès reſcripſerunt: vtputa, his, quibus minuta alimenta ſunt relicta. Pompeiæ enim Fauſtinæ reſcripſerunt ſic: Non eandem cauſam eſſe decem aureorum, quos annuos tibi teſtamento Pompeiæ Criſpianæ patronæ tuæ relictos proponis, atque fuit alimentorum & veſtiarij libertis relictorum, quibus propterea cautionis onus remittendum exiſtimabimus.

5 ¶ Item ſciendum eſt: fiſcum hanc cautionem non pati: ſed perinde conueniri poſſe, ac ſi cauiſſet. ceteros autem cuiuſcumque dignitatis ſint, licet iam legata perceperint, compelli debere ad cauẽdum, Diuus Pius reſcripſit. ex quo reſcripto etiam illud accipimus, quod etiam poſt ſoluta legata voluit ſtipulationem interponi.

6 ¶ Si legatarius heredi, qui controuerſiam hereditatis patitur iam, vel ſperat, de reſtituendo legato ſibi præſtito cauerit: & euicta hereditas ſit, ſed neglegentia, vel dolo eius, qui legatum præſtitit dicemus, non committi ſtipulationem propter viri boni arbitrium, quod ineſt huic ſtipulationi.

7 ¶ Item ſi ipſe, qui præſtitit legatum, ex alia cauſa ſibi euicerit: (vtputa quia inuenitur ſequẽti teſtamento heres ſcriptus, in quo legatum iſte legatarius non acceperat) dicemus, committi ſtipulationem propter viri boni arbitrium.

8 ¶ Et generaliter vbicumque hereditatem, vel quantitatem, vel emolumentum præſtitit is, qui hac ſtipulatione ſibi proſpexerat, dicendum eſt, ibi committi eam: ſi modò culpa abeſt ab eo, qui ſtipulatus eſt. 9 ¶ Quæſitum eſt, an ſæpiùs committatur. & placet, etiam ſæpius eam committi, ſi per partes ablata eſt hereditas.

10 ¶ Si legatum fuerit præſtitum ante interpoſitam hanc ſtipulationem: an condici poſſit, vt cautio iſta interponatur? mouet quæſtionem, quod ea, quæ per errorem omiſſa vel ſoluta ſunt, condici poſſunt. & hic ergo quaſi plus ſolutum videtur ex eo, quòd cautio intermiſſa eſt. & ait Pomponius condictionem interponendæ ſatiſdationis gratia competere. & puto hoc probandum, quod Pomponius, vtilitatis gratia.

4. *Paulus* libro 75. ad Edictum.

HAEc autem ſatiſdatio locum habet, ſi iuſta cauſa eſſe videbitur. nam iniquum erat, omnimodo caueri, nondum illata controuerſia litis, cùm poſſint ei luſoriæ minæ fieri. ideoque eam rem prætor ad cognitionem ſuam reuocat.

1 ¶ Si duo ex teſtamento hereditatem in ſolidũ ſibi vindicent, forte quod eiuſdem nominis ſint: tam in poſſeſſorem, quàm in petitorem competunt actiones & creditoribus, & legatariis.

2 ¶ Hæc cautio vtique neceſſaria eſt, ſi quis pecuniam ſuam ſoluat, vel rem tradat. ſi verò pecuniam hereditariam ſoluat, vel rem tradat: quidam non putant cauendum: quia nec teneri poteſt eo nomine victus, cùm non poſſideat, vel dolo fecerit, quo minùs poſſideat, hoc ſi ante motam controuerſiã ſoluat. quòd ſi poſtea: tenebitur culpæ nomine.

3 ¶ Sed cùm de nomine inter duos quæſtio eſt, numquid non ſit cauendum ei, qui hereditariam rem tradat, quia omnimodo vnus liberatur: quemadmodum ſi æs alienum hereditarium ſoluatur? ſed ſi petitor ſuam pecuniam ſoluet, aut rem ſuam tradat: non habet, vnde retineat, & ideo neceſſaria eſt ei cautio.

5. *Marcellus* libro 21. Digeſtorum.

VIdeamus an ſtipulatio, *Quæ amplius per Falcidiam licuerit, ceperis, dari?* aduerſus eum non ſufficiat, qui legatum alij reſtituere ex fideicommiſſi cauſa debet. ſufficiet autem dici, nihil eius fideicommiſſum eſſe. cauebit ſcilicet legatario & is, qui fideicommiſſum accipiet. niſi forte mallet legatarius, circuitu ſublato, heredi caueri. ſed & legatario præterea cauendum eſt, ſi (vt plerumque æquum eſt) pro rata ex fideicommiſſo retinere ei concedẽdum eſt: quamuis tantum ex legato apud eum erit remanſurum, vt ſufficere poſſit ad præſtandum fideicommiſſum.

6. *Calliſtratus* libro 4. de Cognitionibus.

CVm non facile ſatiſdationem offerre legatarius vel fideicommiſſarius poſſit: & futurum ſit, vt propter hoc à petitione liberalitatis ex teſtamento ſubmoueantur: numquid onus ſatiſdationis eis remittendum erit? quod videtur adiuuari reſcripto Diui Commodi in hæc verba: Is, cuius de ea re notio eſt, aditus: ſi compererit, ideo cautionem à te exigi, vt à fideicommiſſi petitione auertaris: onus ſatiſdationis tibi remitti curabit.

7. *Paulus* libro 7. ad legem Iuliam & Papiam.

DIuus Pius, ab eo, qui annua legata præcipere ad diſtribuendum iuſſus erat, vetuit cautionem exigi, *Ceſſantium partes reddi*: niſi aperte cauere iuſſus eſſet.

8. *Macianus* libro 10. Fideicommiſſorum.

SI heres partem bonorum, vel etiam vniuerſa bona delata ad fiſcum diceret, conſtaret autem de fideicommiſſo: decretum eſt, vt petitori cauenti, *Euicta hereditate reſtitutum iri*, ſolueretur.

9. *Idem* libro 11. Fideicommiſſorum.

SI non in controuerſia ſit proprietas, ſed vſuſfructus: poteſt enim rei, cuius proprietas Titio legata eſt, vſusfructus alij legari: tunc de eo reſtituendo non heredi, ſed Titio caueri debeat. Interdum & ſi ab herede legetur vſusfructus, Titio cauendum eſt. veluti ſi, detracto vſufructu, proprietas ei legetur: vſusfructus Seio. quid enim attinebit hoc caſu heredi caueri, ad quem emolumentum intercidentis vſusfructus non ſit ſpectandum? Verùm ſi, vſufructu Seio legato, proprietas Titio ita legetur, vt, cùm ad Seium pertinere deſierit, habeat proprietatem: tunc heredi caueri oportebit a fructuario, ab herede autem Titio quia non ſit certum, vſufructu intercepto ad Titium proprietatem reuerſuram.

# LIBER TRIGESIMVS SEXTVS.

## AD SENATVSCONSVLTVM Trebellianum.

*Vlpianus* libro 3. Fideicommiſſorum.

EXPLICITO tractatu, qui ad fideicommiſſa ſingularum rerum pertinet, tranſeamus nunc ad interpretationem ſenatuſconſulti Trebelliani.

1 ¶ Factum eſt enim ſenatuſcõſultum temporibus Neronis, octauo Calendas Septembres, Annæo Seneca & Trebellio Maximo conſulibus.

2 ¶ Cuius verba hæc ſunt: *Cùm eſſet æquiſſimum, in omnibus fideicommiſſariis hereditatibus, ſi qua de his bonis iudicia penderent, ex his eos ſubire, in quos ius fructuſque transfereıur, potiùs quàm cuique periculoſum eſſe fidem ſuam: placet, vt actiones quæ in heredem heredibuſque dari ſolent, eas neque in eos neque his dari, qui fidei ſuæ commiſſum, ſicuti rogati eſſent, reſtituiſſent: ſed his & in eos, quibus ex teſtamento fideicommiſſum reſtitutum fuiſſet: quo magis in reliquum confirmentur ſupremæ defunctorum voluntates.*

3 ¶ Sublata eſt hoc ſenatuſconſulto dubitatio eorum, qui adire hereditatem recuſare ſeu metu litium, ſeu prætextu metus cenſuerunt.

4 ¶ Quanquam autem ſenatus ſubuentum voluit heredibus, ſubuenit tamen & fideicommiſſario. nam in eo, quòd heredes, ſi conueniantur, exceptione vti poſſunt, heredibus ſubuentum eſt. in eo verò, quòd, ſi agant heredes, repelluntur per exceptionem, quódque agendi facultas fideicommiſſariis competit: proculdubio conſultum eſt fideicõmiſſariis. 5 ¶ Hoc autem ſenatuſconſultum locum habet, ſiue ex teſtamento quis heres eſſet, ſiue ab inteſtato, rogatúſque ſit reſtituere hereditatem.

6 ¶ In filij quoque familias militis iudicio, qui de caſtrenſi peculio vel quaſi caſtrenſi teſtari poteſt, ſenatuſconſulti locum habet.

7 ¶ Bonorum quoque poſſeſſores, vel alij ſucceſſores, ex Trebelliano reſtituere potuerunt hereditatem. 8 ¶ De illo quæritur, an is, cui ex cauſa fideicommiſſi reſtituta eſt hereditas ex Trebelliano ſenatuſconſulto, ipſe quoque reſtituendo ex eodem ſenatuſconſulto transferat actiones, & Iulianus ſcribit, etiam ipſum transferre actiones. quod & Mæcianus probat, & nobis placet.

9 ¶ Sed & quotiens quis rogatus duobus reſtituere hereditatem, alteri purè vel in diem, alteri ſub condicione, ſuſpectam dicit: ei, cui erat rogatus purè vel in diem reſtituere, interim vniuerſam hereditatem reſtitui, ſenatus cenſuit. cùm autem extiterit condicio, ſi velit alius fideicommiſſarius partem ſuam ſuſcipere, tranſire ad eum ipſo iure actiones. 10 ¶ Si filio vel ſeruo herede inſtituto, rogatóque reſtituere hereditatem, dominus vel pater reſtituat: ex Trebelliano transferuntur actiones quod eſt, etiãſi ſuo nomine rogati ſunt reſtituere.

11 ¶ Idem eſt, & ſi ipſi filio pater rogatus ſit reſtituere hereditatem. 12 ¶ Sed & ſi tutor, vel curator adoleſcentis vel furioſi, rogatus ſit reſtituere hereditatem: ſine dubio Trebelliano locus erit.

13 ¶ Fuit quæſitum, ſi ipſi tutori rogatus ſit reſtituere pupillus, an ipſo auctore reſtitutionem facere poſſit, & eſt decretum à Diuo Seuero, non poſſe tutori ſe auctore reſtituere hereditatem: quia in rem ſuam auctor eſſe non poteſt. 14 ¶ Curatori tamen adoleſcentis ab adoleſcẽte poterit reſtitui hereditas. quoniam neceſſaria non eſt auctoritas ad reſtitutionem. 15 ¶ Si autem collegium vel corpus ſit, quod rogatum eſt reſtituere: decreto eorum, qui ſunt in collegio vel corpore: in ſingulis, inſpecta eorum perſona, reſtitutionem valere. nec enim ipſe ſibi videtur quis horum reſtituere. 16 ¶ Si heres percepto fundo rogatus ſit hereditatem reſtituere: ex Trebelliano ſenatuſconſulto reſtituet hereditatem. nec multum facit, ſi fundus pignori datus eſt. neque enim æris alieni perſonalis actio fundum ſequitur: ſed eum, cui hereditas ex Trebelliano ſenatuſconſulto reſtituta eſt. ſed cauendum eſt heredi à fideicommiſſario, vt, ſi fortè fundus fuerit euictus à creditore, habeat heres cautum. Iulianus autem cauendum non putat, ſed æſtimandum, quanti valet ſine hac cautione: hoc eſt, quanti vendere poteſt ſine cautione: & ſi poteſt tanti vendere non interpoſita cautione, quantum facit quarta pars bonorum: ex Trebelliano tranſituras actiones: ſi minoris: retento eo, quod deeſt, ſimiliter ex Trebelliano reſtitutionem fieri. quæ ſententia multas quæſtiones dirimit.

17 ¶ Si is, qui quadringenta in bonis habeat, trecenta legauerit, & deductis ducentis rogauerit heredem Seio reſtituere hereditatem: an trecentorum onus fideicommiſſarius ſubeat, an verò hactenus, quatenus ad eum ex hereditate peruenit? Iulianus ait, competere quidem aduerſus eum trecentorum petitionem, non autem amplius quàm in ducentis actionem aduerſus fideicommiſſarium daturum, in heredem autem centum. & mihi videtur vera eſſe Iuliani ſententia: ne damnum fideicommiſſarius ſentiat vltra, quàm ad eum ex hereditate quid peruenit. neminem enim oportere plus legati nomine præſtare, quàm ad eum ex hereditate peruenit, quãuis Falcidia ceſſet, vt reſcripto Diui Pij continetur.

18 ¶ Denique nec ex militis teſtamento plus legatorum nomine præſtatur, quàm quantitas eſt hereditatis, ære alieno deducto. nec tamen quartam retinere fideicommiſſario permittitur.

19 ¶ Inde Neratius ſcribit: ſi heres rogatus reſtituere totam hereditatem, non deducta Falcidia, rogato & ipſi, vt alij reſtituat: non vtique debere eum detrahere fideicommiſſario ſecundum quartam: niſi liberalitatem tantùm ad priorem fideicõmiſſarium heres voluit pertinere.

20 ¶ Sed ſi quadringenta habens, ducenta legauerit Titio, & partem dimidiam hereditatis Sempronio reſtituere rogauerit: ex Trebelliano reſtitutionem faciendam Iulianus ait: & legatorum petitionem ſcindi: ſic, vt centum quidem petantur ab herede: centum verò alia legatarius fideicõmmiſſario petat. quòd idcirco dicit Iulianus: quoniam, ſecundum hanc rationem, integram quartam habet, id eſt centum integra.

21 ¶ Idem Iulianus ſcribit: ſi is, qui quadringenta in bonis habeat, trecenta legaſſet: &, deductis centum, rogaſſet heredem, vt hereditatem Sempronio reſtituat: debere dici, deductis centum reſtituta hereditate, legatorum actionem in fideicommiſſarium dari.

2. *Celſus* libro 21. Digeſtorum.

QVi quadringenta reliquit, Titio trecenta legauit: heredis fideicommiſit, vt tibi hereditatem reſtitueret. iſque ſuſpectam iuſſu prætoris adiit, & reſtituit. quærebatur, quid legatario dare deberes. dicendum eſt, quia præſumptum eſt, voluiſſe teſtatorem, cum onere legatorum fideicommiſſum reſtitui: tota trecenta te dare Titio debere. nam heres hoc rogatus intellegi debet, vt te ſuo loco conſtituat. & quod heres perfunctus omnibus hereditariis muneribus (id eſt poſt legatorum dationem) reliquũ habiturus foret, ſi non eſſet rogatus, & ibi reſtitueret hereditatẽ: id tibi reſtituat. quantũ ergo haberet? nẽpe cẽtũ. hęc vt tibi dares, rogatus eſt. itaque ſic ineunda eſt legis Falcidiæ ratio, quaſi heres trecẽta Titio dare dãnatus, tibi centũ dare dãnatus ſit. quo euenit, vt, ſi hereditatem ſua ſponte adiiſſet, dares



dares Titio ducenta vigintiquinque, tibi ſeptuagintaquinque. non ergo plus Titio debetur, quàm ſi iniuſſu prætoris adita hereditas foret.

3. *Vlpianus* libro 3. Fideicommiſſorum.

MArcellus autem apud Iulianum in hac ſpecie ita ſcribit: ſi ad heredis bonus eſſe teſtator legata dixerit, & heres ſponte adiit hereditatem: ita debere computationem Falcidiæ iniri, ac ſi quadringenta per fideicommiſſum eſſent relicta, trecẽta verò legata: vt in ſeptem partes trecenta diuidãtur: & ferat quattuor partes fideicommiſſarius, tres partes legatarius. Quod ſi ſuſpecta dicta ſit hereditas, & non ſponte heres adiit & reſtituit: centum quidem de quadringentis, quæ habiturus eſſet heres, ſident apud fideicommiſſarium. in reliquis autem trecẽtis eadem diſtributio fiet: vt ex his quattuor partes habeat fideicommiſſarius, reliquas tres legatarius. nam iniquiſſimum eſt, plus ferre legatarium ideo: quia ſuſpecta dicta eſt hereditas, quàm laturus eſſet, ſi ſponte adita fuiſſet.

1 ¶ Quod autem in ſuſpecta hereditate dictum eſt, hoc iuſ dici poteſt in his teſtamentis, in quibus lex Falcidia locum non habet. in militis dico, & ſi qui ſunt alij.

2 ¶ Item Pomponius ſcribit: Si deductis legatis reſtituere quis hereditatem rogatur: quæſitum eſt: vtrum ſolida legata præſtanda ſint, & quartam ex ſolo fideicommiſſo detrahere poſſit: an verò & ex legatis & ex fideicommiſſo quartam detrahere poſſit: & refert, Ariſtonem reſpõdiſſe, ex omnibus detrahendam, hoc eſt ex legatis, & ex fideicommiſſo.

3 Res, quæ ab herede alienatæ ſunt, in quartam imputantur heredi.

4 ¶ Quidam liberis ſuis ex diſparibus partibus inſtitutis datis præceptionibus, vt ipſe maximam partem patrimonij inter liberos diuiſet; rogauit eum, qui ſine liberis decederet, portionem ſuã fratribus reſtituere. Imperator noſter reſcripſit, præceptiones quoque fideicommiſſo contineri: quia non portionem hereditariam teſtator commemorauit, ſed ſimpliciter portionem: in portionem autem & præceptiones videri cecidiſſe.

5 ¶ Si is, qui rogatus fuerit hereditatem reſtituere, ante quæſtionem de familia habitam vel tabulas aperuerit, vel hereditatem adierit, vel quid eorum, quæ ſenatuſconſulto prohibentur, fecerit: ac hoc publicata fuerit hereditas: fiſcus cum ſuis oneribus hereditatem adquirit. quare commodum quartæ, quod erat habiturus heres inſtitutus, id ad fiſcum pertinet: & ex Trebelliano actiones trãſeũt. ſed & ſi prohibuerit teſtamentarium introducere, vel teſtes conuenire, vel mortem teſtatoris non defendit, vel ex alia cauſa hereditas fiſco vindicata eſt: æquè quartæ quidem commodum ad fiſcum pertinebit: dodrans verò fideicommiſſario reſtituetur.

4. *Idem* libro 4. Fideicommiſſorum.

QVia poterat fieri, vt heres inſtitutus nolit adire hereditatem, veritus, ne damno adficeretur: proſpectum eſt: vt, ſi fideicommiſſarius diceret ſuo periculo adiri, & reſtitui ſibi velle, cogatur heres inſtitutus à prætore adire, & reſtituere hereditatem. quod ſi fuerit factum, tranſeunt actiones ex Trebelliano, nec quartæ commodo heres in reſtitutione vtetur. nam cùm alieno periculo adierit hereditatem, meritò omni commodo arcebitur. nec intereſt, ſoluendo ſit hereditas, nec ne. ſufficit enim, recuſari ab herede inſtituto. neque illud inquiritur, ſoluendo ſit hereditas an non ſit. opinio enim, vel metus, vel color eius, qui noluit adire hereditatem, inſpicitur, non ſubſtantia hereditatis. nec immeritò: non enim præſcribi heredi inſtituto debet, cur metuat hereditatem adire, vel cur nolit: cum variæ ſint hominum voluntates, quorundam negotia timentium, quorundam vexationem, quorundam æris alieni cumulum, tametſi locuples videatur hereditas, quorundam offenſas, vel inuidiam, quorundam gratificari volentium his, quibus hereditas relicta eſt, ſine onere tamen ſuo.

5. *Mæcianus* libro 6. Fideicommiſſorum.

SEd & qui magna præditus eſt dignitate vel auctoritate, harenarij, vel eius mulieris, quæ corpore quæſtum fecerit, hereditatem reſtituere cogetur.

6. *Vlpianus* libro 4. Fideicommiſſorum.

REcuſare autem non tãtum præſentes, ſed etiam abſentes, vel per epiſtulam poſſunt. nam etiam aduerſus abſentes poſtulatur decretum: ſiue certior ſit eorum voluntas, recuſantium adire, & reſtituere hereditatem, ſiue incerta. adeò præſentia eorum non eſt neceſſaria.

1 ¶ Meminiſſe autem oportebit, de herede inſtituto ſenatum loqui. ideòque tractatũ eſt apud Iulianum, an inteſtato locum habeat. ſed eſt verius, eóque iure vtimur, vt hoc ſenatuſconſultum ad inteſtatos quoque pertineat: ſiue legitimi, ſiue honorarij ſint ſucceſſores.

2 ¶ Sed & ad filium, qui in poteſtate eſt: hoc ſenatuſconſultum locum habet, & in ceteris neceſſariis, vt à prætore compellantur miſcere ſe hereditati, ſic deinde reſtituere. quòd ſi fecerint; tranſtuliſſe videbuntur actiones.

3 ¶ Si fiſco vacantia bona deferantur, nec velit bona adgnoſcere, & fideicommiſſario reſtituere: æquiſſimum erit, quaſi vindicauerit, ſic fiſcum reſtitutionem facere.

4 ¶ Item ſi municipes hereditatem ſuſpectã dicant, heredes inſtituti: dicendum erit, cogi eos adgnoſcere hereditatem, & reſtituere. Idémque erit & in collegio dicendum.

5 ¶ Titius heres inſtitutus, Sempronio ſubſtituto, rogatus eſt ipſi Sempronio hereditatem reſtituere. inſtitutus ſuſpectam dicebat hereditatem. quæritur. an cogendus eſt adire & reſtituere hereditatem. & deliberari poteſt. ſed verius eſt, cogendum eum: quia intereſſe Sempronij poteſt ex inſtitutione, quàm ex ſubſtitutione hereditatem habere, vel legatis vel libertatibus onerata ſubſtitutione. Nam & ſi legitimus heres fuerit is, cui fideicommiſſaria hereditas relicta eſt: idem dicitur.

6 ¶ Si quis alio loco reſtituere hereditatem iuſſus ſit, & ſuſpectam eam dicat: Iulianus ſcribit cogendum eum eſſe: ſimiléque ei, qui in diem rogatus eſt reſtituere.

7. *Mæcianus* libro 4. Fideicommiſſorum.

SEd ſciendum eſt, impendiorum quoque, quæ ad iter explicandum neceſſaria eſſent, rationẽ haberi debere. nam ſi ita inſtitutus eſſet, (ſi) Titio decem dediſſet: non aliter cogeretur, quàm ſi ei pecunia offeratur. ſed & ſalutis; ac dignitatis ratio habenda erit, quid enim ſi morbo adplicitus, Alexandriæ iuſſus fuit adire: vel nomen viſpellionis teſtatoris ferre?

8. *Paulus* libro 2. Fideicommiſſorum.

DE ætate quoque, & iure (id eſt, liceat ei eò ire, nec ne) æſtimabitur.

9. *Vlpianus* libro 4. Fideicommiſſorum.

SEd & ſi alio loco iuſſus eſt adire, & reipublicæ cauſa abſit: æquè cogendum adire hereditatem, & reſtituere, Iulianus ait, vbi abeſt. 1 ¶ Planè ſi quis petierit ad deliberationem tempus, & impetrauerit: deinde poſt tempus deliberationis adierit, & reſtituerit hereditatem: non videtur coactus hoc feciſſe. nec enim ſuſpectam coactus adit: ſed ſponte poſt deliberationem. 2 ¶ Quòd ſi ſuſpectam dicit: profiteri debet, non ſibi expedire adire hereditatẽ. neque hoc dici oportere, non eſſe ſoluẽdo, ſed profiteri eum oportet, quod non putat ſibi expedire, hereditatem adire. 3 ¶ Si quis ſub condicione fuit heres ſcriptus: pendente condicione nihil agit, tametſi paratus ſit reſtituere hereditatem.

10. *Gaius* libro 2. Fideicommiſſorum.

SEd etſi ante diem vel ante condicionem reſtituta ſit hereditas, non transferuntur actiones: quia non ita reſtituitur hereditas, vt teſtator rogauit. planè poſteaquam exſtiterit condicio, vel dies venerit: ſi ratam habeat reſtitutionem hereditatis: benignius eſt, intellegi tunc tranſlatas videri actiones.

11. *Vlpianus* libro 4. Fideicommiſſorum.

APud Iulianum relatum eſt, ſi legatum fuit heredi inſtituto relictum, ſi heres non erit: & ob hoc ſuſpectam dicat hereditatem, ne perdat legatum: offerri ei oportere quantitatem legati à fideicommiſſario: deinde cogendum. nec illud admittit Iulianus, vt quaſi hereditatem non adiſſet, ſic legatum à coherede petat. adiit enim ſed magis arbitratur, à fideicommiſſario ei præſtandum. Sed & ſi quid aliud ſua intereſſe dicet: non cogitur adire: niſi ei damnum vel lucrum fideicommiſſario ſarciatur: vel à prætore onus remittatur, quod recuſat.

1 ¶ Idem Iulianus ait: ſi duo fuerint à patre inſtituti cum filio eius impubere, & idem ſubſtituti filio: ſufficere ei, qui fideicommiſſum in ſecundis tabulis aCepit, vnum ex heredibus inſtitutis cogere adire patris hereditatem. hoc enim facto, confirmatiſque patris tabulis, poterunt ex ſubſtitutione ambo cogi adire, & reſtituere hereditatem.

2 ¶ Vtrùm autem præſenti, an etiam abſenti reſtitui poſſit, procuratore adeunte prætorem, videndum eſt. ego puto, abſenti quoque fideicommiſſario cogi poſſe heredem inſtitutum adire & reſtituere. nec vereri heredem oportere, ne fortè in dãno moretur. poteſt enim ei per prætorem ſuccurri: ſiue cautum ei ſiat, ſiue non: & antè deceſſerit fideicommiſſarius, quàm ei reſtituatur hereditas. eſt enim huius rei exemplum capere ex reſcripto Diui Pij in ſpecie huiuſmodi. Antiſtia decedens Titium heredem inſtituit: & libertatem dedit Albinæ directam: eique filiam per fideicommiſſum reliquit: rogauitque, vt filiam manumitteret: ſed & Titium rogauit, vt manumiſſæ Albinæ filiæ reſtitueret hereditatem. cùm igitur Titius ſuſpectam diceret hereditatem: reſcriptum eſt à Diuo Pio, compellendum eum adire hereditatem: quo adeunte, Albinæ competituram libertatem, eique filiam tradendam, & ab ea manumittendam, tutorémque filiæ manumiſſæ dandum, quo auctore reſtituatur hereditas filiæ ſtatim, quamuis ſic fuiſſet ei rogatus reſtituere, cùm nubilem ætatem compleſſet. cùm autem poſſit (inquit) euenire, vt antè decedat ea, cui fideicommiſſaria libertas & hereditas relicta eſt: nec oporteat damno adfici eum, qui rogatus adit hereditatem: remedium dedit, vt, ſi quid horum contigerit, perinde permittatur venumdari bona Antiſtiæ, ac ſi heres ei non extitiſſet. Cùm igitur demõſtrauerit Diuus Pius, ſuccurri heredi inſtituto, qui compulſus adit: dici poteſt etiam in ceteris cauſis exemplum hoc ſequendum, ſicubi venerit, reſtituatur fideicommiſſaria hereditas ei, qui compulit adire, & reſtituere ſibi hereditatem.

12. *Papinianus* libro 20. Quæſtionum.

SEd cùm ab herede pro parte inſtituto fideicommiſſa hereditas ſub conditione relicta eſſet: imperator Titus Antoninus reſcripſit, non eſſe locum conſtitutioni ſuæ, neque pupillum extra ordinem iuBandum, præſertim ſi nouum beneficium cum alterius iniuria poſtularetur.

13. *Vlpianus* libro 4. Fideicommiſſorum.

ILle à quo ſub condicione fideicommiſſum relictum eſt, cauſari quid non poterit, ne condicio deficiat, & hæreat actio ſibi: cùm nullum damnum ſit futurum ſecundum ea, quæ oſtendimus.

1 ¶ Iam igitur non deſideratur heredis præſentia. 2 ¶ Si de teſtamento aliquid quæratur: heres non debet audiri, ſi ſuſpectam ſibi hereditatem dicat: nam etſi maximè dicatur, vel ius teſtandi non habuiſſe eum, qui teſtatus eſt: vel de viribus teſtamenti, vel de ſua condicione: non erit audiendus. 3 ¶ Quid ergo, ſi de viribus fideicommiſſi tractetur: hæc quæſtio prætermittenda non erit. ſed quid, ſi qui fideicommiſſarius dicat: Adeat prius, & ſic de hoc quæratur? credo, interdum audiendum fideicommiſſarium, ſi cognitio prolixiorem tractatum habeat. finge enim verba fideicommiſſi de longinquo petenda, & iuſtam deliberationem de quantitate fideicommiſſi incidere. dicendum erit, compellendum eum adire, ne priùs heres decedens fideicommiſſarium decipiat.

4 ¶ Tempeſtiuum eſt requirere, per quem quis cogatur adire & reſtituere hereditatem veluti, ſi prætor, aut conſul fuerit heres inſtitutus, ſuſpectámque hereditatem dicat: an cogi poſſit adire, & reſtituere? & dicendum eſt, prætorem quidem in prætorem, vel conſulem in conſulem nullum imperium habere. ſed ſi iuriſdictioni ſe ſubiciant, ſolet prætor in eos ius dicere. ſed & ſi ipſe prætor heres inſtitutus ſuſpectam dicat, ipſe ſe cogere non poterit: quia triplici officio fungi non poteſt, & ſuſpectam dicentis, & coacti, & cognoſcentis. ſed in his omnibus caſibus atque ſimilibus principale auxilium implorandum eſt.

5 ¶ Si quis filiusfamilias ſit, & magiſtratum gerat: patrem ſuum, in cuius eſt poteſtate, cogere poterit, ſuſpectam dicentem hereditatem adire, & reſtituere.

14. *Hermogenianus* libro 4. Fideicommiſſorum.

NAm quod ad ius publicum attinet, non ſequitur ius poteſtatis. 1 ¶ Sed & qui repudiauit hereditatem: cogetur adire, & reſtituere ipſam hereditatem, ſi iuſtæ cauſæ allegentur.

2 ¶ Planè ſi bona venierint, non oportet præceptorem, ne quidem pupillum reſtituere, niſi ex cauſa, vt Diuus Pius reſcripſit. 3 ¶ Si quis compulſus adierit hereditatem ex teſtamento, quod ſecundas tabulas habebat: quæſitum eſt, an per aditionẽ & tabulæ ſecundæ firmarentur. quòd videbantur euanuiſſe non adita patris hereditate. & Iulianus libro quintodecimo ſcribit, & ſequentes tabulas confirmari. quæ ſententia veriſſima eſt. nemo enim dubitat, etiam legata præſtari, & libertates cõpetere, & cetera quæcumque ſint in teſtamento, perinde valere, ac ſi ſua ſponte heres hereditatem adiiſſet. 4 ¶ Qui compulſus adiit hereditatem, ſicuti ceteris commodis caret, ita hoc quoque caſu careat, ne poſſit pœnitẽdo quartam retinere. & ita inuenio ab imperatore noſtro, & Diuo patre eius reſcriptum. 5 ¶ Non omnis autem ſuſpectam hereditatem repudiatione amiſſam cogere poteſt adiri, & ſibi reſtitui. ſed is demum, ad quem actiones tranſire poſſunt. neque enim æquum eſt, ad hoc quẽ compelli adire hereditatem, vt emolumentum quidem hereditatis refundat, ipſe verò oneribus hereditatis obſtrictus relinquatur. 6 ¶ Quare ſi fideicommiſſum pecuniarium alicui fuerit relictum, ceſſat compulſio, tametſi indemnitatis cautio offeratur. 7 ¶ Proinde qui hereditatem cogatur reſtituere, is demum compellitur reſtituere.

8 ¶ Sed & ſi quis bona rogatus ſit: vel familiam vel pecuniam rogetur: *vel vniuerſam rem meam*.

15. *Paulus* libro 2. Fideicommiſſorum.

VEl omnia ſua.

16 *Vlpianus* lib. 4. Fideicommiſſorum.

COgi poterit. Hoc idem: & ſi patrimonium fuerit rogatus: & ſi facultates, & ſi *quidquid habeo*: & ſi *cenſum meum*: & ſi *fortunas meas*: & ſi *ſubſtantiam meam*: & ſi *peculium meum* teſtator dixerit: (quia plerique ὑποκοριστικῶς. i. *diminutiuè*, patrimonium ſuum, peculium dicunt) cogendus erit. de ſucceſſione enim ſua & hic rogauit. Nec ignoro, in quibuſdam ex his Mæcianum dubitare, & voluntatis eſſe dicere quæſtionem, vtrùm de pecunia tantùm, an & de ſucceſſione teſtator ſenſit. in ambiguo tamen magis de ſucceſſione ſenſum dico, ne intercidat fideicommiſſum.



1 ¶ Sed & ſi quis ita rogauerit: *Quidquid ad te ex hereditate vniſve meis peruenerit, rogo reſtituas*: cogi poterit adire, & reſtituere hereditatem ex Trebelliano ſenatuſconſulto: quamquàm *peruenire* propriè dicatur, quod deductis oneribus ad aliquem peruenit.

2 Et generaliter autem poteſt dici, ita demum quem non poſſe cogi adire, & reſtituere hereditatem ſi de re, vel quantitate fuerit rogatus. ceterùm ſi de vniuerſitate ſenſiſſe teſtatorem appareat: nulla quæſtio eſt; quin, ſiue ſuſpectam dicat, cogi poſſit; ſiue ſponte adit, ex Trebelliano tranſeant actiones.

3 ¶ Inde quæritur; ſi quis hereditatem rogatus ſit reſtituere, deducto ære alieno; vel deductis legatis; an ſuſpectam, dicens, cogi poſſit adire, & reſtituere hereditatem: quia vi ipſa magis id, quod ſupereſt ex hereditate, quam ipſam hereditatem, reſtituere ſit rogatus. & ſunt, qui putent, (vt Mæcianus) inutilem hanc deductionem. hec enim poſſe ex iure deduci quantitatem: non magis quàm ſi fundum quis deducto ære alieno, vel deductis legatis reſtituere ſit rogatus. neque enim recipit fundus æris alieni, vel legati minutionem. ſed Iulianum exiſtimare refert, Trebelliano ſenatuſconſulto locum eſſe: & ne dupliciter fideicõmiſſarius oneretur, & cùm heres æs alienum vel legatum deducit, & cùm conuenitur à creditoribus, & legatariis: reſtituta ſibi ex Trebelliano hereditate, debere aut deductionem eum non pati ab herede, aut cauere illi heredẽ, defenſum iri eum aduerſus legatarios, ceteróſque.

4 ¶ Si quis heres inſtitutus rogatus fuerit hereditatem non totam, ſed partẽ reſtituere: vel ſi duob. reſtituere ſit rogatus; & alter ex his velit ſibi reſtitui hereditatem, alter recuſet; ſenatus cenſuit, vtroque caſu exonerari eum, qui ſuſpectam hereditatem dicit, totámque hereditatem tranſire ad eum, qui adire cogit.

5 ¶ Sed & ſi quis non hereditatis ſuæ partem dimidiam rogauit heredem ſuum reſtituere, ſed & hereditatem Seiæ, quæ ad eum peruenerat, vel totam, vel partem eius; heréſque inſtitutus ſuſpectam dicat: cùm placeat illud, quod Papinianus ait, ex Trebelliano tranſire actiones: dici poterit, ſi ſuſpecta dicatur hereditas, cogẽdum heredem inſtitutum adire, & reſtituere hereditatem: totámque hereditatem ad eum, cui reſtituitur, pertinere.

6 ¶ Sed & ſi miles rogauerit, quem res Italicas reſtituere, vel res prouinciales: dicendum eſt, ſuſpectam dicentem cogi adire, & reſtituere. (nam vt eleganter Mæcianus libro ſexto fideicommiſſorum ait) qua ratione excepta re miles heredem inſtituere poteſt, actionéſque ei dabuntur: pari ratione etiam ex Trebelliano tranſibunt actiones. & quamuis placeat, cùm quis hereditatem bonáque, quæ ſibi ab aliquo obuenerunt, vel quæ in aliqua regione habet, reſtituere rogat, ex Trebelliano non tranſeant actiones: tamen contrà reſponderi in militis teſtamentó ait. nam ſicuti conceſſum eſt (inquit) militibus circa inſtitutionem ſeparare ſpecies bonorum: ita & ſi per fideicommiſſum ab inſtitutis heredibus id fecerit, admitteretur Trebellianum ſenatuſconſultum.

7 ¶ Cùm quidam duos heredes inſtituerit: eóſque inuicem ſubſtituerit; & ab his petierit, ſiue vterque, ſiue alter heres eſſet, vt hereditas ſua ex parte dimidia reſtitueretur alicui poſt quinquennium; & ſcripti ſuſpectam ſibi hereditatem dicant; fideicommiſſarius autem deſideret, ſuo periculo adiri hereditatem: cenſuit ſenatus, ambos heredes alterúmve cogi adire hereditatem, & fideicommiſſario eam reſtituere: ita vt fideicommiſſario, & aduerſus eum actiones competant, quaſi ex Trebelliano reſtituta hereditate.

8 ¶ Mæcianus ſcribit: cùm quis ex fideicommiſſariis abeſſet; & præſentes deſiderent, ſuo periculo adire hereditatem; tranſlatiſque in ſolidum actionibus in eum; qui coëgit; abſentes, ſi velint fideicommiſſum ſuſcipere, à præſente petent: conſequenter ait; nec quartam eum retenturum aduerſus fideicommiſſarios ſuos: quia nec heres potuit.

9 ¶ Idem Mæcianus quærit, an is, qui duobus vel pluribus rogatus eſt reſtituere hereditatem, cõgente aliquo adire poſſit; & in horum, qui id non deſiderauerunt, portionibus Falcidiæ beneficio vti: ſiue ipſi quoque deſiderent ſibi reſtitui, ſiue alius in locum eorum ſucceſſerit. & cùm hodie hoc iure vtimur, vt totum tranſeat ad eum, qui coëgit: conſequẽs erit dicere, quartæ retentionem amiſiſſe eum, qui coactus eſt: quia in ſolidum actiones tranſierint in eum; qui coëgit. Planè ſi proponas, fideicommiſſarium non ita coëgiſſe, vt tota hereditas in ſe transferatur: cùm cœperint ceteri deſiderare, ſibi reſtitui hereditatem: dicendum, Falcidia eum vti poſſe. Rectè igitur Mæcianus ait, multùm intereſſe, vtrùm totam reſtitui hereditatem ſibi fideicommiſſarius deſiderauerit an ſuam tantummodò partem. nam ſi ſola pars transfertur, in reſiduo Falcidiæ erit locus. ſi tota hereditas tranſlata ſit, ceſſat huius legis beneficium.

10 ¶ Si ſeruo duorum rogatus quis ſit reſtituere hereditatem, & alter cogere velit ſuſpectam dicentem, alter reſtiuere ſibi recuſet: hoc erit dicendũ, quod in duobus; quorum alter ſuſcipere voluit hereditatem, alter non.

11 ¶ Si pater filio, quem in poteſtate habet rogetur reſtituere hereditatem; an filius patrem ſuum, ſi ſuſpectam dicat hereditatem, cogere poſſit? & non eſt dubium, patrem à filio per prætorem cogi poſſe.

12 ¶ Sed etſi id fideicommiſſum ad caſtrenſe peculium ſpectaturum eſt: & filiusfamilias is fuit, qui munus militię ſuſtinebat, alióve quo officio præerat: multo magis dicendum erit, poſſe eum poſtulare, vt pater ſuus cogatur adire, & reſtituere hereditatem. quamuis contra obſequium patri debitum videtur id deſideraturus.

13 ¶ Sed ſi à ſeruo ſuo rogatus ſit cum libertate quis hereditatem reſtituere: ſiue directa data ſit libertas, ſiue fideicommiſſaria: dici poterit, eum à ſeruo ſuo non poſſe cogi adire hereditatem: quamuis, ſi ſponte adiſſet, cogeretur præſtare fideicommiſſariam libertatem, & hereditatem; idque Mæcianus libro ſeptimo de fideicommiſſis ſcribit.

14 ¶ Idem quærit, ſi quis paratus ſit domino cauere de indemnitate, an poſſit cogi adire hereditatem, maximè & ſi pretium ſerui offeratur. & rectè ait, non oportere ſub incerto cautionis committere ſe aditioni hereditatis.

15 ¶ Hi, qui ſolidum capere non poſſunt, ex aſſe heredes inſtituti, & rogati reſtituere ſolidum; adire hereditatem, & reſtituere cogentur: cùm nihil oneris apud eos remanſurum.

16 ¶ Si ego heres inſtitutus, & rogatus ſim Stichũ manumittere, vel alius legatarius; fidei autem meæ commiſſum ſit, vt Titio hereditatem reſtituam, deinde Titij fidei commiſit, vt Sticho eandem redderet: Stichus cogere me poſſit adire, & reſtituere hereditatem. Talis quoque caſus à Diuo Pio: terminatus eſt. nam ſeruo vni ex heredibus legato, per fideicommiſſum erat ab eo libertas data, & ab altero hereditas. Diuus etenim Pius reſcripſit Caſſio Dextro in hæc verba: Hermias ſi Moſco Theodoto ex parte herede inſtituto à Pamphilo teſtatore legatus eſt. eúmque Theodorus, poſtquam adierit hereditatem, priùs quàm à coherede eiuſdem Pamphili adiretur hereditas, ad iuſtam li-

bertatem perduxit;& ob hoc in eum caſum res perducta eſt,vt is,qui legauit, inteſtatus eſſe non poſſit: Hermia poſtulante(mihi)id Euareſtatus compellendus eſt periculo eius adire, & ex cauſa fideicommiſſi hereditatem reſtituere.

17.*Idem* libro 2.Fideicommiſſorum.

EX facto tractatum eſt,an per fideicommiſſum rogari quis poſſit,vt aliquem heredem faciat.& ſenatus cenſuit:rogari quidem quem ,vt aliquem heredem faciat,non poſſe:verùm videri per hoc rogaſſe ; vt hereditatem ſuam ei reſtituat,id eſt,quidquid ex hereditate ſua conſecutus eſt,vt ei reſtitueret.

1 ¶ Iulianus quoque libro quadragenſimo digeſtorum fideicommiſſum tale valere ait:*Fidei committo vt hereditatem Titij reſtituas*:cùm eſſet is, qui rogatus eſt,à Titio heres inſtitutus.

2 ¶ Non tantùm autem , ſi heredem quem ſcripſero,potero rogare, vt heredem faciat aliquem:verumetiam ſi legatum illi,vel quid aliud relinquero. nam hactenus erunt obligati ; quatenus quid ad eos peruenit.Si quis caueret,*Peto, vt illi des*;aut , *illi fideicommiſſum reliquas* ; aut, *illi libertatem adſcribas:* admittēda ſunt.nā,cùm inheredū̄ inſtitutione ſenatus cenſuit vtile,de ceteris quoque idem erit accipiendū.

4 ¶ Si quis rogatus fuerit,vt,ſi ſine liberis deceſſerit,reſtituat hereditatem : Papinianus libro octauo reſponſorum ſcribit, etiam naturalem filium efficere,vt deficiat condicio,& in libertino, eodem conliberto hoc ſcribit.mihi autem,quod ad naturales liberos attinet , voluntatis quæſtio videbitur eſſe , de qualibus liberis teſtator ſenſerit.ſed hoc ex dignitate,& ex voluntate, & ex condicione eius , qui fideicommiſit,accipiendum erit.

5 ¶ Ex facto tractatum memini. rogauerat quædam mulier filium ſuum,vt,ſi ſine liberis deceſſiſſet, reſtitueret hereditatem fratri ſuo. is poſtea deportatus , in inſula liberos ſuſceperat. quærebatur igitur, an fideicommiſſi condicio defeciſſet. nos igitur hoc dicemus : conceptos quidem ante deportationem, licèt poſtea edantur,efficere,vt condicio deficiat;poſt deportationem verò ſuſceptos,quaſi ab alio,non prodeſſe,maximè cùm etiam bona cum ſua quodammodo cauſa fiſco ſint vindicanda.

6 ¶ Si quis rogatus fuerit filiis ſuis,vel cui ex his voluerit,reſtituere hereditatem:Papinianus libro octauo reſponſorum etiam deportato ei tribuit eligendi facultatem, cui liber factus fideicommiſſum reſtitui velit.Sed ſi ſeruus pœnæ fuerit conſtitutus,nullo ante concepto filio,inm parere condicioni non poterit:deceſſiſſéque ſine liberis videtur.ſed cùm decedit, electionem illam,quam Papinianus deportato dedit, huic dari non oportet.

7 ¶ Si quis autem ſuſceperit quidem filium , verùm viuus amiſerit:videbitur ſine liberis deceſſiſſe. Sed ſi naufragio, vel ruina,vel adgreſſu,vel quo alio modo ſimul cum patre perierit:an condicio defecerit,videamus.& magis non defeciſſe arbitror.quia nō eſt verum,filium eius ſuperuixiſſe. Aut igitur filius ſuperuixit patri,& extinxit condicionē fideicommiſſi, aut non ſuperuixit,& extitit condicio.cùm autē,quis antè, & quis poſtea deceſſerit , non apparet : extitiſſe condicionem fideicommiſſi magis dicendum eſt.

8 ¶ Si quis ita fideicommiſſum reliquerit : *fidei tuæ fili committo,vt,ſi alieno herede morieris, reſtituas Seio hereditatem*:videri eum de liberis ſenſiſſe Diuus Pius reſcripſit,& ideo, cùm quidam ſine liberis decederet , auunculum ab inteſtato bonorum poſſeſſorem habens, extiſſe condicionem fideicommiſſi reſcripſit.

18.*Idem* libro 15.ad Sabinum.

IN fideicommiſſaria hereditatis reſtitutione conſtat non venire fructus,niſi ex mora facta eſt, aut cùm quis ſpecialiter fuerit rogatus & fructus reſtituere.

1 ¶ Planè fructus in quartam imputantur , vt eſt & reſcriptum. 2 ¶ Quotiens quis rogatur hereditatē reſtituere : id videtur rogatus reddere,quod fuit hereditatis.fructus autē non hereditati,ſed ipſis rebus accepto feruntur.

3 ¶ Si legatum ſit heredi relictum , & rogatus ſit portionem hereditatis reſtituere:id ſolum non debere eum reſtituere,quod à coherede accepit : ceterùm quod à ſemetipſo ei relictū eſt, in fideicommiſſum cadit.& ita Diuus Marcus decreuit.

19.*Paulus* libro 3.ad Sabinum.

VBi purè fideicommiſſum datum eſt,ſi adiectum ſit:*Rogo des filio tuo, faciaſque, vt ad eum perueniat*:reſcriptum eſt,videri in id tempus dari,quo capere poteſt:id eſt,ſui iuris fiat.

1 ¶ *Te Rogo,Luci Titi,hereditatem meam cum Attio partiaris*.ex ſenatuſconſulto Trebelliano in eum, cui reſtituta eſt hereditas,actiones competere Ariſto ait:quia pro hoc accipiendum ſit , *rogo hereditatem illam reſtituas*. nec verba ſpectantur ſenatuſconſulti, ſed ſententia,quibuſcunque verbis:dum teſtator ſenſerit , vt hereditas ſua reſtituatur. 2 ¶ Qui in diſtrahendis , conſeruandiſve rebus hereditariis ſumptus factus eſt,imputari heredi debet.

20.*Vlpianus* libro 19.ad Sabinum.

SEd & ſi ad tempus liberorum fuerit legatum relictum, & is vxore prægnate deceſſerit:ad heredē ſuum transferat legatum.

21.*Pomponius* libro 22.ad Sabinum.

HEres,cùm debuerat quartam retinere,totam hereditatem reſtituit. nec cauit ſibi ſtipulatione propoſita.ſimilem eum eſſe Ariſto ait illis,qui retentione,quas ſolas habet, omittunt:ſed poſſe eum rerū hereditariarum poſſeſſionē vel repetere,vel nanciſci: & aduerſus agentem doli mali exceptione vti poſſe eum:& debitoribus denunciare,ne ſolueretur.

22. *Vlpianus* libro 5.Diſputationum.

MVlier,quæ, duobus filiis in poteſtate patris relictis,alij nupſerat : poſteriorem maritum heredem inſtituit , eúmque rogauit liberis ſuis , poſt mortem patris eorum hereditatem ſuam reſtituere, vel ei , qui eorum ſupereſſet ; eiſdem emancipatis à patre ſuo vitricus reſtituiſſe hereditatem dicebatur: mox alter ex filiis viuo patre deceſſiſſe. quærebatur, an is,qui ſupererat ex filiis,partē fratri ſuo reſtitutā petere poſſit,quaſi præmaturè datam. Scæuola Diuū Marcum in auditorio de huiuſmodi ſpecie iudicans refert. Braſidas quidam Lacedæmonius vir prætorius ; cùm filiis ſuis ab vxore diuortio ſeparata , ſi morte patris ſui iuris fuiſſent effecti, fideicommiſſum relictum eſſet ; eos emancipauerat.poſt emancipationem fideicommiſſum petebant.decreuiſſe igitur Diuum Marcum refert, fideicommiſſum eis repræſentandum,intellecta matris voluntate. quæ, quia non crediderat patrem eos emancipaturum , diſtulerat in mortem eius fideicommiſſum , non dilatura id in mortalitatem,ſi eum emancipaturum ſperaſſet. Secundùm hæc dicebam,& in propoſita quæſtione decretum Diui Marci eſſe trahendum, & rectè fideicōmiſſum vtriſque ſolutum. 1 ¶Non eſt dubitatum, cogi poſſe heredem inſtitutum adire , & reſtituere hereditatem ſeruis : ſiue directa, ſiue fideicomiſſaria libertas ei data fuiſſet : cùm aſpernari heres non deberet perſonam cogentis. habet enim hic quoque aditum:vt qui nondum petere fideicommiſſariam libertatem poſſit,nec directam ſibi vindicare ; propter ſpem tamen libertatis,& hereditatis;aditum ad prætorem & per ſe habeat. 2 ¶ Si heres poſt multum temporis reſtituat , cùm præſenti die fideicommiſſum ſit : deducta quarta , reſtitueret. fructus enim ; qui percepti ſunt, neglegentia petentis : non iudicio defuncti percepti videntur. Alia cauſa



eſt;ſi ſub condicione,vel in diem rogatus fuerit.tunc enim,quod percipitur,ſummouet Falcidiam; ſi tantum fuerit,quantum quartam facit ; & quartæ fructus.nam fructus,qui medio tempore percepti ſunt, ex iudicio teſtantis percepti videntur.

3 ¶ Sed enim ſi quis rogetur reſtituere hæreditatem,& vel ſerui deceſſerint, vel aliæ res perierint:placet,non cogi eum reddere , quod non habet: culpa planè reddere rationem : ſed eius, quæ dolo proxima eſt.& ita Neratius libro primo reſponſorum ſcribit. Sed & ſi,cùm diſtrahere deberet : non fecit,lata culpa,non leui , & rebus ſuis conſueta neglegentia:huiuſmodi rei rationem reddet. Sed & ſi ædes vſtæ ſunt culpa eius,reddet rationem. Præterea ſi qui partus extant,& partuum partus : quia in fructibus hi non habentur. Sed & ipſe , ſi quem ſumptum fecit in res hæreditarias,detrahet. Quod ſi ſine facto eius,prolixitate temporis ædes vſu adquiſitæ ſint:æquiſsimum erit,nihil eum pręſtare, cùm culpa careat. 4 ¶ Cùm proponeretur quidam filiam ſuam hæredem inſtituiſſe;& rogaſſe eam, vt, ſi ſine liberis deceſſiſſet,hæreditatem Titio reſtitueret;eáque dotem marito dediſſe certæ quantitatis; mox decedens ſine liberis hæredem inſtituiſſe maritum ſuum: & quæreretur,an dos detrahi poſsit : dixi, non poſſe dici in euerſionem fideicommiſsi factum , quod & mulieris pudicitiæ,& patris voto congruebat. quare dicendum eſt,dotem decedere,ac ſi, quod ſuperfuiſſet , rogata eſſet reſtituere. quòd ſi tantos fructus ex hæreditate mulier percepit , vt inde poterit doti ſatisfieri:dicendum eſt,potiùs fructibus hoc expenſum ferendum quàm fideicommiſſo. 5 ¶ Vt Trebelliano locus eſſet:non ſufficit, de hæreditate rogatum eſſe:ſed quaſi hæredem rogari oportet. Denique ſi cui portio hæreditatis fuerit legata, ( legari enim poſſe etiam portionem hęreditatis,placet nobis) rogatúſque fuerit hanc partem reſtituere : dubio procul non fiet reſtitutio ex ſenatuſconſulto : ideoque nec quarta retinetur.

23. *Iulianus* libro 39.Digeſtorum.

QVotiens paterfamilias vnum vel duos hæredes cohæredibus ſuis reſtituere hęreditatem iubet, intellegitur eaſdem parteis in fideicommiſsis facere, quas in hæreditate diſtribuenda fecerit. Sed ſi iubeantur hi,quibus fideicommiſſum datur,pecuniam numerare,atque ita fideicommiſſa recipere:ex quantitate pecuniæ , quam dare iubentur, voluntas colligenda eſt patriſfamilias.nam ſi ex diſparibus partib. hęredes ſcripti æquas partes dare iubentur, propius eſt,vt viriles recipere debeant. ſi verò ſumma pecuniæ dandæ congruit portionibus , hęreditarias portiones accipere debebunt.

24. *Papinianus* libro 15.Quæſtionum.

NOnnumquam autem ex voluntate variè reſcriptum & iudicatum eſt: videlicet ſi non ſub appellatione hæredum , ſed propriis nominibus expreſsis fideicommiſſum relinquatur.

25. *Iulianus* libro 39.Digeſtorum.

QVidam ita teſtamento ſcripſerat:*A te hæres peto,fideique tuæ committo, vt , quidquid ex hæreditate mea ad te peruenerit. filio meo prima quaque die,aut ſi prius quid ei acciderit , matri eius des reddas.* quæritur ; cùm antequàm adeatur hæreditas, puer deceſſerit,an fideicommiſſum matri debeatur. reſpondi:ſi puer , antequàm dies fideicommiſsi cedat,deceſsiſſet , fideicommiſſum translatum eſſe ad matrem : poſtea autem quàm dies fideicommiſsi cedit,ſi deceſſerit,ad hæredem pueri fideicommiſſum pertinere.Sed an ea voluntas fuit patriſfamilias,vt,ſi ante reſtitutum fideicommiſſum puer deceſsiſſet, matri potiùs,quàm hęredibus,præſtaretur ; prætor æſtimabit ex perſona matris , & ex perſona hæredis pueri. *Marcellus*. Sed teſtatoris voluntati congruum eſt,quandocumque puer deceſſerit , ſiue antequàm dies fideicommiſsi cedit,ſiue poſtea,ad matrem transferri fideicommiſſum , ſi non iam puer hoc acceperit,eoque iure vtimur. 1 ¶ Si,ſeruo hęrede ſcripto,dominus rogatus eſt eidem ſeruo reſtituere hæreditatem,cùm liber eſſet:vtile fideicommiſſum eſt.

2 ¶ Si quis filium ſuum ex aſſe hæredē inſtituit,& codicillis , quos poſt mortem filij aperiri iuſsit,fidei eius commiſit,vt,ſi ſine liberis deceſſerit, hæreditatem ſuam ſorori ſuę reſtitueret , & filius, cùm ſciret,quod in codicillis ſcriptum eſſet,Stichum ſeruum hęreditarium teſtamento ſuo liberum eſſe iuſsit: hęredes filij pretium eius ſerui ſorori defuncti pręſtare debent, libertate fauore ſui ſeruata hoc ampliùs , etſi ignoraſſet filius codicillos à patre factos, nihilominùs hæredes eius precium præſtare debebunt,ne factum cuiuſquam alteri damnum adferat.

3 ¶ Sed & ſi ſeruus iſte à Sempronio hæres inſtitutus ſit.eamque hæreditatem , poſteaquàm ex teſtamento fratris ad libertatem peruenerat, adierit: hæreditatis quoque æſtimationem hæredes fratris ſorori eius præſtare debent : quā,ſi manumiſſus non eſſet,iuſſu mulieris adire eam potuiſſet,ſi vero viuēte filio Sempronius deceſſerit , hęreditas in cauſa fideicommiſsi non deduceretur. quippe ab ipſo filio adire iuſſus hæreditatem,ei adquireret.

26. *Paulus* libro ſingulari de Senatuſconſultis.

OMnibus ciuitatibus quæ ſub imperio populi Romani ſunt,reſtitui debere & poſſe hęreditatem fideicommiſſam,Apronianum ſenatuſconſultum iubet , ſed & actiones in eas placuit ex Trebelliano transferri.Sed municipes ad eas admittuntur.

27. *Iulianus* libro 40.Digeſtorum.

ITa tamen,vt his quibus reſtituetur hęreditas,actorem eligant & ad agendum & ad excipiēdas actiones.

1 ¶ Si ſeruum hæreditarium hæres,qui coactus adierit , iuſsiſſet adire hęreditatem ab alio eidē ſeruo relictam;& tunc hæreditatem,quàm ſuſpectam ſibi eſſe dixerat,reſtituerit:an etiam hęreditatē, quæ per ſeruum adquiſita eſſet,reſtituere deberet , quæſitum eſt.dixi non magis hanc hæreditatem in reſtitutionem venire , quàm quòd ſeruus hæreditarius poſt aditam hęreditatem ſtipulatus fuiſſet per traditionem accepiſſet:aut fructus,qui ex rebus hæreditariis percepti fuiſſent. vtique , ſi nulla mora fideicommiſſo facta fuiſſet.ſed ſi quid ante aditam hæreditatem ſeruus ſtipulatus fuiſſet,aut per traditionem accepiſſet:id reſtitui debebit. ſicut fructus ante aditam hęreditatem in reſtitutionem venient.

2 ¶ Qui ſuſpectam ſibi hæreditatem dicit, nullum commodum ex teſtamento conſequetur, quod habiturus non eſſet , ſi hæres inſtitutus non fuiſſet,aut non adiſſet. & ideò ſi pupillo ſubſtitutus fuerit,itaque, *Quiſquis mihi hæres erit, idem filio meo hæres eſto* hæreditatem,quæ ex ſubſtitutione ad eum peruenerit,reſtituere cogendus erit. ſi verò detracto hoc articulo,*quiſquis mihi hæres erit*, ſubſtitutus ita fuerit,*Titius filio meo hæres eſto* : tum ſi ſolus patri hæres extiterit , nihilo minus cogendus erit hæreditatem pupilli reſtituere : ſi verò cohæredem habuerit ; retinebit pupilli hæreditatem,quia potuit, cohęrede adeunte,quamuis ipſe patris omiſiſſet hæreditatem,ex ſubſtitutione adire.

3 ¶ Si pater filium,quem in poteſtate habebat,hæredē ſcripſerit , & ab eo petierit,vt hęreditatē Sēpronio reſtitueret,iſque ſuſpectam ſibi eſſe diceret: poterit ex Treballiano ſenatuſconſulto hæreditas reſtitui. quare etſi non immiſcuerit ſe hæreditati: nihilominùs actiones , quæ ei , & in eum competebant,ad Sempronium transferentur.

4 ¶ A patre hæres ſcriptus, & exhæredato filio ſubſtitutus; ſi rogatus fuerit hæreditatem, quæ ad eum ex ſubſtitutione peruenerit, Titio reſtituere; cogendus non eſt, viuo pupillo, patris hæreditatem adire: primùm, quia ſub condicione fideicommiſſum datum eſt: deinde, quia non probe de hæreditate viuentis pueri aget, mortuo autem pupillo, compelli debet hæreditatem patris adire.

5 ¶ Quod ſi duo hæredes à patre inſtituti fuerint; & vtriúſque fideicommiſſum ſit, vt exhæredati filij hæreditatem reſtituerent: ſatis erit, vel vnum cogi adire, hoc enim facto etiam is, qui patris hæreditatem non adit, filij hæreditatem adire & reſtituere cogetur.

6 ¶ Quotiens filius emancipatus bonorum poſſeſsionem contra tabulas accipit, nulla ratio eſt compellendi hæredis ad reſtituendam hæreditatem. & ſicut neque legata, neque fideicommiſſa cætera præſtare cogitur: ita ne ad reſtitutionem quidem hæreditatis compelli debet. *Marcellus*: Planè non eſt compellendus adire, ſi iam filius bonorum poſſeſsionem: ne intercidat fideicommiſſum, mortuo hærede inſtituto, & omiſſa à filio bonorum poſſeſsione.

7 ¶ Qui ex Trebelliano ſenatuſconſulto hæreditatem reſtituit: ſiue petat à debitoribus hæreditariis, ſiue ab eo petatur: exceptione reſtitutæ hæreditatis adiuuari, vel ſummoueri poteſt. actiones autem fideicommiſſario competunt, quas habuit hæres eo tempore quo fideicommiſſum reſtituebat. *Marcellus*: Sed eas quoque actiones, quæ ſub condicione erant. & quarum dies eo tempore non ceſſerat, fideicommiſſario competere placet. Sed antequàm reſtitueretur hæreditas, exceptione aliqua hæres adiuuandus non eſt: cùm hoc minùs ex cauſa fideicommiſsi reſtituturus.

8 ¶ Trebellianum ſenatuſconſultum locum habet, quotiens quis ſuam hæreditatem vel totam, vel pro parte fidei hæredis committit.

9 ¶ Quare ſi Mæuius te hæredem inſtituerit: & rogauerit, vt (hæreditatem Titij reſtituas; túque) hæreditate Mæuij adieris: perinde à te fideicommiſſum petetur, ac ſi fundum, qui tibi à Titio legatus eſſet, reſtituere rogatus fuiſſes: ideoque & ſuſpectam Mæuij hæreditatem dixeris, cogi te non oportet eam adire.

10 ¶ Quòd ſi & Mæuius te rogauerit & ſuam hæreditatem & Titianam reſtituere, túque ſponte adieris hæreditatem: vteris legis Falcidiæ commodo. & partem quartam Mæuianæ hæreditatis retinebis, dimidiam & quartam ex fideicommiſſo reſtitues, nec intererit, eidem vtramque hæreditatem; an alij Mæuianam, alij Titianam rogatus fueris reſtituere. ſed ſi ſuſpectam Mæuianam hæreditatem dixeris: cogeris eam adire & reſtituere ei, Qui rogatus fueris. is autem, cui Titianam hæreditatem reſtituere rogatus fueris, non poterit te compellere ad adeundum.

11 ¶ Si ex Trebelliano hæreditatem reſtituit hæres, & fructus prædiorum retinet, vel ipſa prædia, ſiue etiam debitor eius, qui teſtamentum fecit, fuerit: neceſſarium eſt, actionem aduerſus eum fideicommiſſario dari. *Marcellus*: Hoc idem neceſſariò faciendum eſt; cùm parte hæreditatis reſtituta, familiæ erciſcundæ iudicium inter eum, qui reſtituit hæreditatem, & qui receperit, accipietur.

12 ¶ Qui rogatus eſt emancipato filio reſtituere hæreditatem, cogi debet adire & reſtituere: quamuis filius contra tabulas bonorum poſſeſsionē accipere poſsit.

13 ¶ Si patronus ex parte debita hæres inſtitutus & rogatus reſtituere hæreditatem, ſuſpectam ſibi eſſe dicat: puto, rectiùs facturum prætorem, ſi coëgerit eum adire hæreditatē & reſtituere: quamuis poſsit, mutata voluntate, eam partem hæreditatis retinere.

14 ¶ Si præceptis quibuſdam rebus hæres rogatus ſit reſtituere hæreditatem, & coactus eam adierit: an præcipere debeat? reſpondi, eum, qui iuſſu prætoris adit hæreditatem, omni commodo prohiberi debere.

15 ¶ Sed ſi eidem legatum eſſet ſub hac condicione, ſi hæres non eſſet; & ſuſpectam ſibi hæreditatem dicat: non aliter cogendus eſt adire, quàm vt legata, quæ ſub condicione, ſi hæres non eſſet, data erant, reſtituantur: non quidem à cohæredibus, ne onerentur: ſed ab eo, Qui reſtituta fuerit hæreditas. nam ſicut explendæ fidei gratia cogendus eſt adire hæreditatem, ita ob id ipſum damno adfici non debet.

16 ¶ Hæres ex aſſe erat inſtituta conſobrina mea; & eius fideicommiſſum; vt partem dimidiam hæreditatis ſtatim Publio Mæuio reſtitueret alteram partem, cùm ipſa moreretur, eidem Publio Mæuio. præterea alia aliis legata data ſunt. Mæuius partem dimidiam hæreditatis ſtatim percepit & cauit, quod ampliùs, quàm per legem Falcidiam liceret, cepiſſet, redditu iri. ſed & cæteri legata ſolida acceperant; & ſimiliter de reſtituendo quod ampliùs percepiſſent, cauerunt. mortua conſobrina mea, Publius Mæuius deſiderat, ſibi alteram partem hæreditatis cum fructibus reſtitui. quæro itaque, quantum ei reſtituere debeam: verùm quod ſuprà quadrantem bonorum penes conſobrinam meam remanſerat, nec ampliùs quicquam: an & ab aliis, quibus legata ſoluta ſunt, repetere quid debeam. & quantum. item quæro: ſi, quod ab his ex ſtipulatione percepero. & quod apud conſobrinam meam ſupra quadrantem remanſerat, non efficiet partem dimidiam hæreditatis: an ex incremento, & fructibus eius ſummæ, quę ſupra quadrantem bonorum penes conſobrinam meam remanſit, ſupplere ei debeam dumtaxat, ne partem dimidiam hæreditatis quantitas, quæ reſtitueretur, excedat: an verò, ſicut Publius Mæuius deſiderat, quidquid, ſepoſito quadrante bonorum, eius quadrantis fructibus, perceptum eſt; reſtitui ei debet. reſpondi: quod ſupra quadrantem penes conſobrinam tuam remanſit, ſi adiectis fructibus quantitatem partis dimidiæ hæreditatis, quæ mortis tempore fuit, non minuet: totum Publio Mæuio reſtituendum. nec ex ſtipulatione ab his, quibus legata ſoluta ſunt, repeti quicquam poteſt. ſi verò fructus quantitatem partis dimidiæ exuberant: quadranti tuo, & fructibus eius accedit. ſi verò fructus eius partis, quæ ſupra quadrantem apud conſobrinam tuam remanſerat, non implent quantitatem partis dimidiæ bonorum, ex ſtipulatione agi poterit. In ſumma, ratio ita ponenda eſt, vt cùm omnimodo quadrantem excedit fructus In tantùm excreuerit, vt quantitatem partis dimidiæ bonorum excedat: etiam id, quod exceſſerit, retineas.

17 ¶ Qui ſuos ſeruos rogatus eſt manumittere, & hiſdem hæreditatem reſtituere: detracto pretio ſeruorum, hæreditatem reſtituere debebit.

28. *Africanus* libro ſexto Quęſtionum.

Ex aſſe hæres inſtitutus, partem hæreditatis mihi purè, (tibi) ſub condicione reſtituere rogatus: cùm ſuſpectam diceret, poſtulante me adit; & mihi totam ex ſenatuſconſulto reſtituit. quandoq; condicio extiterit, an fructus partis ſuæ reſtituere tibi debeam, non immeritò dubitabatur. & pleriſque placet, non eſſe eos præſtandos: quia nec ab hærede præſtarētur, ſi ſua ſponte adiſſet: ſufficiat autē, ius tuum tibi integrum conſeruari, non etiam meliorem condicionem tuam fieri. 1 ¶ Idem tamē exiſtimabant: ſi ex aſſe hæres inſtitutus, mihi quadrantem purè, tibi æquè quadrantem ſub condicione reſtituere rogatus ſit, & cùm ſuſpectam hæreditatem diceret, cogēte me adit: quandoque conditio extiterit: ſemiſſem tibi eſſe reſtituendum. 2 ¶ Sed nec lege Falcidia in propoſita ſpecie vſurum me puto: quamuis ſcriptus hæres, ſi ſponte adiſſet, vteretur.

29. Marcianus



29. *Marcianus* libro 4 Inſtitutionum.

Si quis, priore facto teſtamento, poſterius fecerit teſtamentum: etiam ſi ex certis rebus in poſterio res tabulas heredes inſtituit: ſuperius tamen teſtamentum ſublatum eſt, vt Diui quoque Seuerus & Antoninus reſcripſerunt. cuius conſtitutionis verba retuli, cum alia quoque præterea in conſtitutione expreſſa ſunt: Imperatores Seuerus & Antoninus Cocceio Campano. Teſtamentum ſecundo loco factum, licet in eo certarum rerum heres ſcriptus ſit, iure valere, perinde ac ſi rerum mentio facta non eſſet. ſed teneri heredem ſcriptum, vt contentus rebus ſibi datis, aut ſuppleta quarta ex lege Falcidia, hereditatem reſtituat his, qui priore teſtamento ſcripti fuerant, propter inſerta fideicommiſſaria verba, quibus, vt valeret prius teſtamentum, expreſſum eſt, dubitari non oportet. Et hoc ita intellegendum eſt, ſi non aliquid ſpecialiter contrarium in ſecundo teſtamento fuerit ſcriptum.

30. *Idem* libro 8. Inſtitutionum.

Si legatus ſuſpectam hereditatem dicat, & legationis tempore compellendus eſt accipere iudicium. quia hic non multum officio occupatur: & licet deliberare ſe dicat, an adeat, cogendum eſt adire: ſed non vt ſtatim reſtituas, ſed vt reuerſus domum, ſi putauerit ſibi expedire, commodo Falcidię vel teſtamenti vtatur, vel, ſi non putauerit, reſtituat totam hereditatem, ne onera patiatur.

1 ¶ Si quis bona ſua, vel omnia ſua rogauerit reſtituere: fideicommiſſariam reſtitutionem eſſe intellegendum eſt nam meorum & tuorum appellatione etiam actiones contineri, dicendum eſt.

2 ¶ Si filiofamilias, vel ſeruo reſtituatur, & poſtea pater, vel dominus ratum habuerit: tranſeunt ex Trebelliano ſenatuſconſulto actiones.

3 ¶ Multum intereſt, vtrùm qua pars iure hereditario retineatur, an verò in re, vel pecunia. nam ſuperiore caſu actiones diuiduntur inter heredem & fideicommiſſarium. poſteriore vero apud fideicommiſſarium ſunt actiones.

4 ¶ Et heres inſtitutus, rogatúſque hereditatem reſtituere præcepta, aliqua ſumma, vel re: etiam ſi in præceptione minus, quam quartæ pars eſſet: non amplius principem pati vindicaturum.

5 ¶ Sed & ſi ſine vlla præceptione rogatus fuerit hereditatem reſtituere, plerumque quarta donata eſt, à principibus & ita Diuus Traianus, & Hadrianus, & Antoninus reſcripſerunt.

31. *Idem* libro 9. Inſtitutionum.

Si Qui purè libertas, & per fideicommiſſum ſub condicione hereditas relicta eſt: cogitur heres adire hereditatem, ſi ſuſpectam dicat, & reſtituere. & deficiente condicione libertas ei eripi non poteſt.

1 ¶ Si autem ei, qui in diem libertatem accepit, hereditas per fideicommiſſum relicta fuerit: ſuſpectam eam interim non poſſe adiri, Diuus Pius Caſſio Hadriano reſcripſit: cùm non poteſt nondum libero hereditas reſtitui. nec rurſus contra voluntatem defuncti libertatem eſſe præſtandam.

2 ¶ Si ſub condicione heres inſtitutus, rogatúſq. hereditatem reſtituere, non vult condicioni parere, & adire hereditatem: ſi facti eſt condicio, debet parere, & adire, & reſtituere. vel ſi in dando ſit, offerente fideicommiſſario, recuſante autem herede factum, adimplere, licentia dabitur fideicommiſſario ſecundum imitationem dationis factum implere & tūc neceſsitas imponitur (adire) hereditatem. Ceteræ condiciones, quæ non ſunt in poteſtate heredis, ad officium prætoris non pertinent.

32. *Celſus* libro 20. Digeſtorum.

Balliſta filiumfamilias heredem inſtituit ita: *Rebelianus ſi cauerit coloniæ Philippenſium, ſi ſine liberis morietur, quantamcumque pecuniam ex hereditate de bonis meis ad eum peruenerit, eam pecuniam eandem ad coloniam Philippenſium peruenturam.* reſpondi, ex his verbis quæ proponis, id eſt *pecuniam*, exiſtimo etiam fructus, quos ex hereditate percepit, reſtituere eum debere: perinde quaſi ſpecialiter hoc teſtator expreſſiſſet.

33. *Marcianus* libro 8. Inſtitutionum.

Scribit Celſus libro 20. digeſtorum: ſi, qui quadrigenta in bonis habebat, petit ab herede ſuo, vt, ſi ſine liberis moreretur, quanta pecunia ex hereditate ſua ad eum perueniſſet, Mæuio reſtitueretur: ſi ex fructibus medio tempore quadrigenta perceperit, & ſine liberis deceſſerit: heredem eius Mæuio quadrigenta debiturum. Et cùm diu multúmque tractauit, an cùm augmentum heres ſenſit, & periculum ſuſtineat, an per contrarium: nouiſsimè ait, iniquum eſſe ad fideicommiſſarium damnum pertinere, ad quem augmentum non pertinet, & an ad ſupplendum (inquit) quodcunque ex quadrigentis defuerit, etiam augmētum ad eum pertinebit? hoc eſt, vt vſque ad ſummam quadrigentorum damna & fructus computentur. quod verius eſſe arbitror.

34. *Idem* libro 2 Regularum.

Si eius, qui nouiſsimus ex filiis mortuus eſt, partem hereditatis propinquo voluit pater reſtitui & ſimul fratres diem ſuum obiſſent: propinquum, ſi non oſtenderit, quis nouiſsimus obiſſet, ad partem hereditatis non admitti: ſed matrem ex Tertylliano ſenatuſconſulto ad vtriuſque hereditatem admitti conſtat.

35. *Vlpianus* libro 6. de officio proconſulis.

Cum heres inſtituta furioſa hereditatem eſſet rogata reſtituere: curatorem eius, ſecundùm tabulas bonorum poſſeſsione accepta, poſſe transferre actiones, Diuus Pius decreuit.

36. *Paulus* libro 13. ad Edictum.

Cum hereditas ex fidicommiſsi cauſa reſtituta eſt: ſi ante cum herede compromiſſum eſt, puto fideicommiſſarium cauere debere heredi, ſicut cùm heres multa, antequàm reſtitueret, adminiſtrauit. nam quod dicitur, retinere eum, oportere, non eſt perpetuum. quid enim, ſi nihil eſt quod retineat? veluti cùm omnia in nominibus ſunt, aut in corporibus, quæ non poſsideat, nempe enim is, Qui reſtituta eſt, omnia perſequitur. & tamen heres iudiciis, quibus conuentus eſt, aut ſtipulationibus, quibus neceſſe habuit promittere, (omittere) obſtrictus manebit. ergo non alias cogetur reſtituere, quàm ei caueatur.

37 *Vlpianus* libro 16. ad Edictum.

Reſtituta hereditas videtur, aut re ipſa, ſi forte paſſus eſt heres poſsideri res hereditarias vel totas, vel aliquas earū, hac mente, vt vellet reſtituere Et ille ſuſcipere: non ſi ex alia cauſa putauit te poſsidere. Sed & ſi poſtea ratum habuit, idem erit dicendum. Sed & ſi verbo dixit ſe reſtituere, vel per epiſtulam, vel per nùntium reſtituat, audietur. Sed & ſi voluntate tua alij reſtituerit, in te tranſibunt actiones. Item ſi alius iuſſu meo reſtituit, vel ratam habuit reſtitutionem, tranſiſſe actiones videntur.

1 ¶ Pupillus autem ipſe debet reſtituere tutore auctore: nō tutor ſine pupillo, niſi infans eſt. quia nec mandare actiones tutor pupilli ſui poteſt. Ne ſe quidem auctore pupillum reſtituere potuiſſe hereditatem, Diuus Seuerus in perſona Arri Honorati pupilli decreuit, qui Aprio Antonino patruo & tutori ſuo reſtituerat.

1 ¶ Sed etſi pupillo ſit reſtituenda, non poſſe pupillo ſine tutoris auctoritate reſtitui conſtat.

38. *Paulus* libro 20. ad Edictum.

Non enim ſolutio eſt hereditatis reſtitutio. ſed & ſucceſsio, cum obligetur.

39. *Vlpianus* libro 16. ad Edictum.

Sed nec ipſi tutori indiſtinctè reſtitui poteſt.

40 *Paulus* libro 20. ad Edictum.

QVamuis ſenatus de his actionibus trãſferendis loquatur, quæ iure ciuili heredi, & in heredem competunt: tamen honorariæ actiones tranſeunt, nulla enim ſeparatio eſt. immò & cauſa naturalium obligationum tranſit.

1 ¶ Perſona autem heredis inſtituti Trebelliano continetur verùm hoc iure vtimur, vt & ſucceſſor heredis rectè ex Trebelliano reſtituat: veluti heres, bonorumve poſſeſſor, vel pater, dominúſve, quibus adquiſita eſt hereditas: omnes enim, quod iuris habent, ex Trebelliano ſenatuſconſulto reſtituere debent. nec intereſt, is, qui inſtitutus eſt: an pater, dominuſve rogatus eſt reſtituere.

2 ¶ Nihil intereſt: Qui noſtro nomine reſtituitur, paterfamilias ſit, an is, qui in aliena poteſtate eſt.

41. *Gaius* libro 2. Fideicommiſſorum.

MVlier, an maſculus. & ideo ſeruo quoque, voluntate noſtra, vel ſi ratum habuerimus, reſtitui poteſt.

42. *Paulus* libro 20. ad Edictum.

QVia perinde eſt, atque ſi mihi reſtituta eſſet hereditas. 1 ¶ Reſtituta hereditate, iura ſepulchrorum apud heredem remanent.

43. *Vlpianus* libro 20. ad Edictum.

PApinianus tractat: ſi quis heres inſtitutus ex ſemiſſe, rogatus ſit reſtituere hereditatem, & eam ſuſpectam dicens, compulſus adit, deinde fideicommiſſarius ignarus ſit, adcreuiſſe portionem hereditatis poſt reſtitutionem ſcripto heredi: an opus ſit ei alia actione, & ait, ſecurum eſſe eum poſſe. de illo plane (loco) ſolo quærendum ait, an ei opus ſit noua reſtitutione, poſteaquam portio adcreuit.

44. *Marcellus* libro quintodecimo Digeſtorum.

POſtulante Sticho, qui eodem teſtamento libertatem & fideicommiſſam hereditatem acceperat, heres ſuſpectam adiit. mox Stichus, antequàm moram in recipienda hereditate faceret, deceſsit relicto herede Titio. quæro, an in Titium, ſi nolit recipere fideicommiſſam hereditatem, actiones ex ſenatuſconſulto competant. reſpondi: Quoniam fere is, qui compulſus eſt adire hereditatem, confeſtim ei reſtituet: de manumiſſo dumtaxat ſenatuſconſulto comprehenſum eſt: nec heredis facta eſt mentio. poteſt tamen euenire, vt reſtitutionem diſtulerit heres. veluti ſi pecuniam ei debuerit defunctus, quam retinere maluit, quàm petere. ceterum exiſtimo, idem in herede eius conſtituendum, quod in illo conſtitutum eſt. cur enim recuſaret, quam recuſare non potuit is, cuius hereditatem ſuſcepit: Quod ſi forte ante hereditatis reſtitutionem ſine herede deceſſerit libertus: perinde bona eius creditoribus hereditariis vendere permittendum eſt, ac ſi reſtituta hereditate deceſſerit.

1 ¶ Sed in huiuſmodi quæſtione rogo reſpondeas, an rectè ſenſerim. rogata eſt filia ex aſſe heres reſtituere hereditatis partem dimidiam, deductis legatis minimis, & ære alieno non magno: vt legi Falcidiæ locus non ſit. mora facta non eſt reſtitutioni fideicommiſſi. deſidero verbotenus mihi reſtitui hereditatem, vt ex Trebelliano ſenatuſconſulto agenti: & ex eo competentibus actionibus etiam vſuras debitas ex mortis die in tempus reſtitutionis, perſequar. item quæro & de penſionibus: quia locationum obligatio in hereditate fuit. ab herede fructus nullos peto. ſed illa deſiderat, refundere me, aut concedere ei actiones vſurarum, & penſionum. non poſſum perſuadere, hereditatis appellatione, quam rogata erat mihi reſtituere, etiam hanc ſtipulationem vſurarum ad me pertinere. reſpondi: Omnia ea hereditatis appellatione continentur: quantum enim, quod ad hoc, refert, inter hæc cetera (quæ) quæ ſub condicione ſunt promiſſa, aut in annos ſingulos, vel menſes? nihil intereſt. ſane pro fructu rei, quæ hereditate continetur, hæc cedunt. nec fructus fideicommiſſarium ſequitur, ſi mora non interceſsit. ſed quia non, vt heres fideicommiſſum (vt ſic dixerim) ſuppleat, poſtulet, ſed, qualis nunc eſt hereditas, deſideret reſtitui ſibi: nequaquam id debet heres recuſare. nam & quodammodo in partem hereditatis ſenatus recipi voluit fideicommiſſarium, & haberi heredis loco, pro qua parte ei reſtituta eſſet hereditas. Sed cum hereditarios nummos fænerauerit, aut ex fundis fructus percepit: nihil eo nomine præſtat ei cui hereditas per fideicommiſſum relicta eſt, ſi non interceſsit mora. ſcilicet qua ſuo periculo fænerauit, colendove fundo, vel in cogendis fructibus inſumpſit operam. nec æquum erat, alterius (vt ſic dixeris) procuratorem conſtitui. Nullum autem impendium vel opera intercedit heredis, cùm his modis, de quibus eſt quæſitum, augmentum (heredis) recepit.

45. *Modeſtinus* libro ſingulari de Eurematicis.

QVi totam hereditatem reſtituere rogatus, quartam retinere non vult: ſi ... obſequium defuncti precibus præbere deſiderat, ſua ſponte adire debebit hereditatem, quaſi ex Trebelliano eã reſtituturus. ſuaſerim tamen, ſuſpectam potius dicat hereditatem, coactuſque a prætore reſtituat. hoc enim caſu ex ipſo Trebelliano reſtituere videtur, expoſitoque hereditario metu, vniuerſas actiones in eum transferri, qui recepit hereditatem.

46. *Iauolenus* libro 11. Epiſtularum.

SEius Saturninus archiGubernus ex claſſe Britanica teſtamento fiduciarium reliquit heredem Valerium Maximum trierarchum: à quo petit, vt filio ſuo Seio Oceano, cùm ad annos ſedecim perueniſſet, hereditatem reſtitueret. Seius Oceanus, antequam impleret annos, defunctus eſt. nunc Mallius Seneca, qui ſe auunculum Seij Oceani dicit, proximitatis nomine hæc bona petit. Maximus autem trierarchus ſibi ea vindicat ideo, quia defunctus eſt is, Qui reſtituere iuſſus erat. quæro ergo, vtrum hæc bona ad Valerium Maximum trierarchum heredem fiduciarium pertineant, an ad Mallium Senecam, qui ſe pueri defuncti auunculum eſſe dicit. reſpondi, Si Seius Oceanus, cui fideicommiſſa hereditas ex teſtamento Seij Saturnini, cum annos ſedecim haberet, à Valerio Maximo fiducia in herede reſtitui debeat, priuſquàm præfinitum tempus ætatis impleret, deceſsit: fiduciaria hereditas ad eum pertinet, ad quem cetera bona Oceani pertinuerint quoniam dies fideicommiſsi viuo Oceano ceſsit. ſcilicet ſi prorogando tempus ſolutionis, tutelam magis heredi fiduciario permiſiſſe, quam incertum diem fideicommiſsi conſtituiſſe, videatur.

47. *Pomponius* libro 1 Variarum lectionum.

SI heredi eius, cui natura debuerit, aliquis ſoluerit: ei, Qui fideicommiſſa hereditas relicta ſit, id reddendum.

48. *Paulus* libro 14. Reſponſorum.

PAulus reſpondit: Si certa portio hereditatis aliQui relicta proponitur, & is res hereditarias quaſdam furatus ſit: in his rebus, quas ſubtraxit, denegari ei petitionem oportere, rectè reſpondetur.

49. *Papinianus* libro 3. Quæſtionum.

CVm hereditas ex Trebelliano ſenatuſconſulto reſtituitur: ſi res vrgueat, & metus erit, ne per abſentiã forte fideicommiſſarij dies actionis exeat: heres iudicium ſuſcipere cogitur.

1 ¶ Similique modo, filio de poſſeſsione contra tabulas deliberante, ſcriptus heres à creditoribus hereditariis conuenitur.

50. *Idem* libro 11. Quæſtionum.

IMperator Hadrianus: cùm Vlus Cerealis filio ſuo Viuio Simonidi, ſi in poteſtate ſua eſſe deſiſſet, hereditatem reſtituere rogatus eſſet, ac multa in



fraudem fideicommiſsi fieri prabaretur: reſtitui hereditatem filio iuſsit, ita ne quid ea pecunia, quamdiu filius eius viueret, iuris haberet. nam quia cautiones non poterant interponi conſeruata patria poteſtate: damnum condicionis propter fraudem infligit. poſt decreti autem auctoritatem in ea hereditate filio militi comparari debuit, ſi res a poſſeſſoribus peti, vel etiam cum debitoribus agi oporteret. ſed paternæ reuerentiæ congruum eſt, egenti forte patri officio iudicis ex acceſsionibus hereditatis emolumentum præſtari.

51. *Idem* libro 17. Quæſtionum.

CVm heres deductis legatis hereditatem per fideicommiſſum reſtituere rogatur: non placet, ea legata deduci, quæ peti non poterant. Sed cùm vxori pro parte heredi ſcriptæ dos prælegetur, eaque deductis legatis hereditatem reſtituere rogatur: etiam ſi quartam, quam per legem Falcidiam retinet, tantum efficiat, quantum in dote eſt, tamen pro ſua portione dotis prælegatæ partem deducit. cùm enim vtrumque, conſequitur: nihil intereſt inter hãc mulierem, & quemuis alium creditorem, heredem inſtitutum, & hereditatem reſtituere rogatum. Idem probatur, & ſi non deductis legatis fideicommiſſum ab ea relictum ſit.

52. *Idem* libro 19. Quæſtionum.

SI res aliena Titio legata fuerit. iſque, domino rei herede inſtituto, petierit, vt hereditatem Mæuio reſtituat: Mæuius legatum inutiliter petet. non enim poterit cõſequi, quod ad inſtitutum, id eſt rei dominum peruenire non poterat.

1 ¶ Seruus ab altero ex heredibus libertatem ab altero fideicommiſſum hereditatis accepit. ſi neuter adire velit, nullæ prætoris partes erunt. quia neque propter ſolam libertatem compellitur adire: neque is, à quo libertas data non eſt, propter eũ, qui nondum liber eſt, vt adeat, compellitur. & ſenatuſconſulto locus eſt, cùm ab omnibus directa, vel fideicommiſſa libertas ab eo datur, à quo hereditas quoque relinquitur. ſed ſi forte is, à quo libertas data eſt, portionem ſuam repudiauit, vel condicione excluſus eſt: cùm portio eius ad alterum peruenerit: defendi poterit, adire cogendam. quid enim intereſt, quo iure debitor libertatis & hereditatis idem eſſe cœperit?

53. *Idem* libro 20. Quæſtionum.

NOn eſt cogendus heres ſuſpectam adire hereditatem ab eo, Qui libertas à legatario, hereditas ab herede relicta eſt: cum ſtatus hominis ex legato pendeat. & nemo ſe cogatur adſtringere hereditariis actionibus propter legatum. quid enim, ſi inter moras non manumittente legatario ſeruus deceſſerit? ſi autem viuo teſtatore legatarius deceſſerit: benigne reſpondetur, cogendum adire: cùm in ipſius ſit poteſtate, manumiſſo, reſtituere hereditatem.

54. *Idem* libro 19. Quæſtionum.

TItius rogatus eſt, quod ex hereditate ſuperfuiſſet, Mæuio reſtituere. quod medio tempore alienatum, vel deminutum eſt: ita quandoque peti non poterit, ſi non interuertendi fideicommiſsi gratia tale aliquid factum probetur. verbis enim fideicõmiſsi bonam fidem ineſſe conſtat. Diuus autem Marcus, cùm de fideicõmiſſaria hereditate cognoſceret: his verbis, *Quidquid ex hereditate mea ſuperfuerit, rogo reſtituas*, & viri boni arbitrium ineſſe credidit. iudicauit enim, erogationes, quæ hereditate factæ dicebantur, non ad ſolam fideicommiſsi deminutionem pertinere: ſed pro rata patrimonij, quod heres proprium habuit, diſtribui oportere. quod mihi videtur non tantum æquitatis ratione, verum exemplo quoque motus feciſſe. cum enim de cõferendis bonis fratribus ab emancipato filio quæreretur, præcipuum autem, quod in caſtris fuerat adquiſitum militi, relinqui placeret: conſultus Imperator, ſumptus, quos miles fecerat, non ex eo tantummodò patrimonio, quod munus collationis pati debuit, ſed pro rata etiam caſtrenſis pecuniæ, decedere oportere conſtituit. Propter huiuſmodi tractatus Mæuius fideicommiſsi nomine cautionem exigere debet. quod eò pertinet: non vt ex ſtipulatione petatur, quod ex fideicommiſſo peti non poterit: ſed vt habeat fideiuſſores eius quantitatis, quam ex fideicommiſſo petere potuit.

55. *Idem* libro 20. Quæſtionum.

SI patroni filius extrario reſtituerit ex Trebelliano hereditatem: operarum actio, quæ transferri non potuit, apud heredem manebit: nec ei nocebit exceptio, cum eadem prodeſſe non poſſet ei, qui fideicommiſſum accepit. & generatim ita reſpondendum eſt, non ſummoueri heredem, neque liberari ex his cauſis, quæ non pertinent ad reſtitutionem.

1 ¶ Imperator Titus Antoninus reſcripſit, in tempus directo data libertate, non eſſe repræſentãdam hereditatis reſtitutionem, quando perſona non eſt, Qui reſtitui poteſt

2 ¶ Qui fideicommiſſam hereditatem ex Trebelliano, cum ſuſpecta diceretur, totam recepit, ſi ipſe quoque rogatus ſit alij reſtituere, totum reſtituere cogetur. & erit in hac quoque reſtitutione Trebelliano locus. quartam enim Falcidiæ iure fideicommiſſarius retinere non potuit. Nec ad rem pertinet, quod, niſi prior, vt adiretur hereditas, deſideraſſet, fideicommiſſum ſecundo loco datum interceſſiſſet. cum enim ſemel adita eſt hereditas, omnis defuncti voluntas rata conſtituitur. Non eſt cõtrarium, quod legata cetera non vltra dodrantem præſtat. aliud eſt enim, ex perſona heredis conueniri: aliud, proprio nomine defuncti precibus adſtringi. Secundum quæ poteſt dici, non eſſe priore tantum deſiderante cogendum inſtitutum adire, vbi nulla portio remanſura ſit apud eum: vtique ſi confeſtim, vel poſt tempus cum fructibus rogatus eſt reddere. ſed & ſi ſine fructibus rogatus eſt reddere, non erit idonea quantitas ad inferendam adeundi neceſsitatem, nec ad rem pertinebit, ſi prior etiam libertatem accepit. vt enim pecuniam, ita nec libertatem, ad cogẽdum inſtitutum, accepiſſe ſatis eſt. Quod ſi prior recuſauerit: placuit, vt recta via ſecundus poſsit poſtulare, vt heres adeat, & ſibi reſtituat.

3 ¶ Quid ergo, ſi non alij, ſed ipſi heredi rogatus ſit reſtituere? quia non debet eidem quandoque quarta reddi, quam perdidit propter huius portionis retentionem erit audiendus. Sed nec illud tranſlaticiè omittendum eſt, inſtituto, qui coactus eſt adire, fideicommiſsi petitionem denegandam eſſe. cur enim non videatur indignus, vt, qui deſtituit ſupremas defuncti preces, conſequatur aliquid ex voluntate? quod fortius probabitur, ſi poſt impletam condicionem coactus eſt adire. nam ſi pendente condicione: durum erit, idem probare, cùm & Falcidiam pænitendo potuit inducere. Nec ignoro, poſſe dici, nullo modo fideicommiſsi petitionem denegandam eis, qui iura ſepulchrorum adquiri inſequuntur. Adeo ſenatus nihil apud eum ex ea parte, quam derelinquit, voluit relinquere: vt nec Falcidiam exercere poſsit, nec præceptio apud eum relinquatur: nec ſubſtitutio quoque ſecũdarum tabularum ita facta, *Quiſquis mihi heres erit, filio meo heres eſto*, eidem daretur.

4 ¶ Cui Titiana hereditas ex Trebelliano ſenatuſconſulto reſtituta eſt: Mæuianam hereditatem, quam Titius defunctus ex Trebelliano Sempronio reſtituere debuit, & ipſe reſtituere poterit. ſicut alius quilibet ſucceſſor. 5 ¶ Actiones temporariæ Trebelliani ſolent eſſe, euicta hereditate ab eo, qui poſteaquàm fideicommiſſum reſtituit hereditatem, victus eſt: ſcilicet ante reſtitutio-

nem lite cum eo conteſtata. poteſtas enim euictionis tollit intellectum reſtitutionis, indebito fideicommiſſo conſtituto: planè ſi fideicommiſſum ab eo quoque, qui poſtea vicit, relictum eſt:quia poſſeſſor in ratione reddendæ hereditatis partem,quã fideicommiſſario reſtituit, heredi reputat:defendi poteſt,actiones Trebelliani durare.

56.*Idem* libro 7.Reſponſorum.

FIliam fratribus, certis rebus acceptis, hereditatem reſtituere pater voluit ante reſtitutam hereditatem in poſſeſsionem hereditatis filiam quoque mitti placuit.cùm autem interea filij res bonorum in ſolidum diſtraxiſſent, item alias pignori dediſſent:hereditate poſtea reſtituta:conſtitit ex eo facto ceterarum quoque portionum venditiones, item pignora confirmari.

57.*Idem* libro 18.Reſponſorum.

H*Eredes mei, quidquid ad eos ex hereditate bonisve meis peruenerit, id omne poſt mortem ſuam reſtituant patriæ meæ Coloniæ Beneuentanorum.* nihil de fructibus pendente condicione perceptis petitum videri, conſtitit.

1 ¶Cùm ita fuerat ſcriptum:*Fidei filiorum meorum committo, vt, ſi quis eorum ſine liberis prior diem ſuum obierit, partem ſuam ſuperſtiti fratri reſtituat. quòd ſi vterque ſine liberis diem ſuum obierit, omnem hereditatem ad neptem meam Claudiam peruenire volo.* defuncto altero, ſuperſtite filio,nouiſsimo autem ſine liberis: neptis prima quidem facie propter condicionis verba non admitti videbatur: ſed cùm in fideicommiſsis voluntatem ſpectari conueniat, abſurdum eſſe reſpondi, ceſſante prima ſubſtitutione, partis nepti petitionem denegari, quam totum habere voluit auus, ſi nouiſsimus fratris quoque portionem ſuſcepiſſet.

2 ¶*Peto de te vxor cariſsima, vti, cùm morieris, hereditatem meam reſtituas filiis meis, vel vni eorum, vel nepotibus meis, vel cui volueris, vel cognatis meis ſi cui voles ex tota cognatione mea.* inter filios reſpondi ſubſtitutionem fideicommiſsi factam videri.circa nepotes autem,(&)ceteros cognatos, facultatem eligendi datam.ex ceteris autem cognatis, ſi nepotes ſupereſſent, non rectè mulierem electuram, propter gradus fideicommiſsi præſcriptos. deficiente vero gradu nepotum,ex cognatis,quam velit, perſonam eligi poſſe.

58.*Idem* libro 9.Reſponſorum.

DEducta parte quarta reſtituere rogatus hereditatem,priùs quàm reſtitueret,hereditario debitori heres extitit. quoniam actio eo confuſa, per Trebellianum redintegrari nõ poteſt:pecuniæ quoque debitæ dodrans ex cauſa fideicommiſsi petatur.ſed in eum diem, quo actio confuſa eſt, vſuræ præteriti temporis,quæ in obligatione vel in officio iudicis fuerunt,computabuntur. poſterioris ita demum,ſi mora fideicommiſſo facta ſit.

1 ¶ Cùm hereditas ex cauſa fideicommiſsi in tempus reſtituenda eſt:non idcirco nominum periculum ad heredem pertinebit, quod heres à quibuſdam pecuniam exegerit.

2 ¶Qui poſt tempus hereditatem reſtituere rogatur: vſuras à debitoribus hereditariis perceptas, quarum dies poſt mortem creditoris ceſsit,reſtituere non cogitur.quibus non exactis,omnium vſurarum actio(nam hereditaria ſtipulatio fuit) ex Trebelliano transfeterur.& ideo nec indebiti repetitio erit. Ac ſimiliter hereditario creditori,ſi medij tẽporis non ſoluantur vſuræ, fideicommiſſarium in his quoque Trebellianum tenebit.nec ideo querellæ locus erit, quod de fructibus heres, quos iure ſuo percipiebat,fænus non ſoluerit.Quòd ſi fænus heres medij temporis ſoluerit,eo nomine non erit retentio, cùm proprium negotium geſsit. quippe ſortem reddere creditori coactus, fideicommiſſario nihil vſurarum medij temporis imputabit.

3 ¶Acceptis centum,centum hereditatem rogatus reſtituere, totam pecuniam iure Falcidiæ percipere videtur. & ita Diui Hadriani reſcriptum intellectum eſt, tamquàm ſi ex bonis nummos retenturus fuiſſet. Quod tunc quoque reſpondendum eſt, cum pro parte hereditatem coheredi ſuo reſtituere rogatur.Diuerſa cauſa eſt prædiorum pro hereditaria parte retentorum. quippe pecunia omnis de portione retineri poteſt.prædioru autem alia portio non niſi à coherede,qui dominium habet,accipitur.Cùm autem prædia maioris pretij,quam portio hereditatis, eſſent: in ſuperfluo prædiorum petenti fideicommiſſario Falcidiam interuenire viſum eſt. concurrentem enim pecuniam compenſari placuit.

4 ¶Hereditatem poſt mortem ſuam exceptis reditibus reſtituere rogatus,ancillarum partus non retinebit, nec fetus pecorum, qui ſummiſi gregem retinent.

5 ¶Ante diem fideicommiſsi cedentem fructus & vſuræ, quas debitores hereditarij, cùm poſtea ceſſiſſet dies,ſoluerunt: item mercedes prædiorum ab herede perceptæ, portioni quadrantis imputabuntur.

6 ¶Cùm autem poſt mortem ſuam rogatus hereditatem reſtituere, res hereditarias diſtrahere non cogatur heres:ſortium, quæ de pretiis earum redigi potuerunt, vſuræ propter vſum medij temporis perceptæ non videbuntur. denique nec periculum mancipiorum,aut vrbanorum prædiorum præſtare cogitur. ſed nihilominus vſus & caſus eorum quadrantem quoque deminuit.

7 ¶ Quod ex hereditate ſuperfuiſſet, cùm moreretur,reſtituere rogatus,fructus ſuperfluos reſtituere non videtur, rogatus, cum ea verba deminutionem quidem hereditatis admittunt,fructuum autem additamentum non recipiant.

8 ¶Heres eius,qui bonorum ſuperfluum poſt mortem ſuam reſtituere fuerat rogatus, pignoris res hereditarias datas,ſi non in fraudem id factum ſit, liberare non cogitur.

59.*Paulus* libro 4.Quæſtionum.

DEbitor ſub pignore, creditorem heredem inſtituit,eúmque rogauit reſtituere hereditatem filiæ ſuæ,id eſt teſtatoris.cum nollet adire vt ſuſpectam, coactus iuſſu prætoris adit, & reſtituit cum emptorem pignoris non inueniret:deſiderabat per mitti ſibi,iure dominij id poſsidere reſpondi:Aditione quidem hereditatis confuſa obligatio eſt videamus autem, ne & pignus liberatum ſit ſublata naturali obligatione.atquin ſiue poſsidet creditor actor,idémque heres rem,ſiue non poſsidet: videamus de effectu rei. & ſi poſsidet, nulla actione à fideicommiſſario conueniri poteſt:neque pigneraticia,quoniã hereditaria eſt actio:neq fideicõmiſſum quaſi minus reſtituerit, rectè petetur.quod eueniret,ſi nullum pignus interceſsiſſet. poſsidet enim eam rem quaſi creditor. ſed etſi fideicommiſſarius rem teneat,& hic Seruiana actio tenebit. verum eſt enim,non eſſe ſolutam pecuniam quemadmodum dicimus,eum amiſſa eſt actio propter exceptionem. Igitur non tantum retentio. ſed etiam petitio pignoris nomine competit,& ſolutum non repetetur. remanet ergo propter pignus naturalis obligatio. In re autem integra non putarem compellendum adire,niſi prius de indemnitate eſſet ei cautum,vel ſoluta pecunia eſſet. Nam & cum de lucro heres ſcriptus aſit:quod forte legatum accepit, ſi heres non extitiſſet:reſponſum eſt,non eſſe cogendum adire, niſi legato præſtito. vbi quidem potuit dici, nec cogendum eſſe heredem adire quodammodo contra voluntatem defuncti,qui legando heredi,ſi non adiſſet, in ipſius voluntate poſuit aditionem. ſed cum teſtator alterũtrum dederit,nos vtrumque ei præſtamus.

1 ¶Ea, quæ dotem dabat,pacta erat cum marito, vt, mortua ſe in matrimonio, dotis pars matri eius redderetur: nec eo nomine ſtipulatio à matre interpoſita eſt. moriens deinde matrem. & mari-



& maritum ſuum hæredem fecerat.& à matre petierat,vt hæreditatem Titio reſtitueret. iudex addictus de hereditate diuidenda,partem dotis,quaſi ex vtili pacto,pro parte matri adiudicauerat. quærebatur,an & ea portio ex cauſa fideicommiſsi præſtanda ſit. quam non eſſe reſtituendam puto: quia non quaſi hæres,ſed quaſi mater ex pacto accepit.nec occaſione hæreditatis,ſed errore ex pacto eam habuit.

60. *Idem* libro 11.Quæſtionum.

PAtronus ex debita portione hæres inſtitutus,ſextam partem reſtituere rogatus, reſtituit.non tranſeunt ex Trebelliano actiones:quoniam non fuit debitum,quod reſtituit,& ideo,ſi per errorem fecit, etiam repetetur.

61. *Idem* libro 14.Reſponſorum.

PAulus reſpondit his verbis; *Sempronj hæredem ei te non ſcripſi,feſtinans per infirmitatem. ideòque ei dari volo tantum, quantum pro vncia hæreditatis competierit*;videri quidem magis quantitatem, quàm portionem hæreditatis,relictam:ſed ſic accipiendum, vti videatur de vncia etiam reſtituenda ſenſiſſe.

62.*Scæuola* libro 4.Reſponſorum.

A Filia petit,vt,ſi liberis ſuperſtitibus moreretur, partem eius,quæ ad eam ex bonis patris perueniſſet:quòd ſi ſine liberis, vniuerſum fratri reſtitueret.quæritur;defuncta ea in matrimonio, ſuperſtite filia;an hæres eius,cum parte hæreditatis, eius quoque,quod dotis nomine datum erat,partem reſtituere debeat.reſpondit,id,quod in dotem fuiſſet, non contineri in partem hæreditatis,quæ reſtituenda eſt. ſed etſi ex promiſsione dotis aliquid debitum fuit, æris alieni loco habendum.

1 ¶ Alumno certam pecuniam legauit;& eã recipi à Sempronio mandauit; & certas vſuras alumno præſtari, donec ad viceſimum annum perueneerit:deinde alumni fidei commiſit, vt, ſi ſine liberis decederet,partem reſtitueret Sempronio, partem Septiciæ. quæſitum eſt,defuncto alumno intra annum viceſimum, an ſtatim tuti fideicommiſſum petere poſsint,an verò in id tempus ſuſtinere, quo,ſi viueret,alumnus viceſimum annum impleret.reſpondi, ſecundùm ea quæ proponerentur poſſe.

63. *Gaius* libro 2.Fideicommiſſorum.

FActa in fideicommiſſarium reſtitutione,ſtatim omnes res in bonis fiunt eius,cui reſtituta eſt hæreditas,etſi nondum earum nactus fuerit poſſeſsionẽ.

1 ¶ Si is,qui hereditatem ſibi reddi ab herede ſtipulatus ſit.eique ex ſtipulatu agenti reſtituta fuerit hereditas: conſtat,nihilominùs transferri actiones.hoc ita eſt,ſi is,cum quo actum ſit, reſtituat hereditatem.ſi verò ob id,quòd non reſtituerit, æſtimatione hæreditatis condemnatus fuerit:remanẽt actiones hereditariæ apud eum, qui condemnatus ſit:actor autem quantitatem conſequitur.

2 ¶ Si hæres ſcriptus reſtituerit hæreditatem; & poſtea de hæreditate controuerſiam paſſus, victus ſit,aut lite ceſſerit:durare actiones conſtitit in fideicommiſſarium ſemel tranſlatas.

3 ¶ Si quis maiorem partem reſtituerit, quàm rogatus eſt:in eam partem,quæ excedit, non transferuntur actiones.ſed cùm, præcepta aliqua re, aut ſumma,rogatus ſit hæres reſtituere;&,omiſſa retentione,totam hæreditatem reſtituerit:rectè dicitur transferri actiones.

4 ¶ Si hæres ante reſtitutam hereditatem ſeruum hereditarium heredem ab aliquo inſtitutum iuſſerit adire hereditatẽ:negat Iulianus debere hanc hæreditatem reſtitui:quia de ea rogatus non eſſet. & hoc eſt fatendum. requirendum tamen & illud eſt, num cum incremento reſtituere hæres rogatus ſit hæreditatem.(ſi)enim hoc fuerit ſubſecutum, etiam eam hereditatem reſtituere cogitur: niſi euidentiſsimis probationibus fuerit ab hærede adprobatum, contẽplatione ſui ſeruum eſſe hæredẽ inſtitutum.

5 ¶ Reſcripto Diui Antonini ſignificatur: vt ſi quis,accepta à Titio pecunia, quæ quartam hæreditatis continet,rogatus ſit ei reſtituere hæreditatẽ: licèt tardius detur pecunia:ſine vſuris eam dari debere.quia quanto tardiùs quiſque pecuniam dat, tanto tardiùs ad fideicommiſſum peruenit, & medij temporis fructus perdit. Quamobrem ſi ante datam pecuniam tenuerit hæreditatem:fructus,quos percepit, reſtituere heredi eum oportere.

6 ¶ Idem iuris eſt,& ſi quis ita hæredis fidei commiſerit: *Rogo,ſi Titius tibi centum dederit, reſtituas ei hæreditatem meam.*

7 ¶ Si ſub condicione hæres inſtitutus ſit, qui ſuſpectam ſibi hereditatem eſſe dicit: ſi neque difficultatem,neque turpitudinem vllam habet condicio,nec impendium aliquid: iubendus eſt parere condicioni, & adire & ita reſtituere. ſi verò turpis, aut difficilis ſit condicio:apertè iniquum eſt,cogi eũ explere eam alterius gratia. ſed & remitti eam ab initio viſum eſt.plus enim tribui à prętore ei, qui fideicommiſſum petit,quàm teſtator voluit,abſurdum eſt. vtique autem teſtator, niſi expleta ſit condicio, neque ſcriptum hæredem ad hæreditatem vocauit, neque per hunc illi voluit reſtitui hereditatem.

8 ¶ Si dandæ pecuniæ condicio adſcripta eſt heredi:debet ei offerre pecuniam is,qui poſcit fideicommiſſum, vt hereditatem impleta condicione poſsit adire & reſtituere.

9 ¶ Quòd ſi condicio adſcripta eſt; & ea eſt, quam prætor remittit:ſufficer Edictum, vt Iulianus ait.hactenus iubendus eſt; vt conſtituat prætoris actionibus vti;aut petat bonorum poſſeſsionem ſecundùm tabulas;vt ita nanctus actiones, tunc reſtituta hereditate transferat eas ex ſenatuſconſulto.

10 ¶ Si verò nominis ferendi condicio eſt, quam prætor exigit:rectè quidem facturus videtur, ſi eam expleuerit. nihil enim malè eſt, honeſti hominis nomen adſumere. nec enim in famoſis & turpibus nominibus hanc condicionem exigit prætor. ſed tamen ſi recuſet nomen ferre: remittenda eſt ei condicio,vt Iulianus ait:& permittendæ vtiles actiones;aut bonorum poſſeſsio ſecundùm tabulas danda eſt:vti nanctus actiones,transferat eas ex ſenatuſconſulto.

11 ¶ Si cùm ſuſpectam videret hæreditatem, poſtulante me,iuſſu prætoris, adieris & reſtitueris mihi: ita vtar legis Falcidiæ beneficio aduerſus legatarios,ſi tu quoque ea lege vti poteras, & quatenus vti poteras. nam ſi quid præterea à me alicui per fideicommiſſum relictum ſit,id quaſi à legatario relictum non venit in computationem eiùs legis,ſed extrinſecùs numeratur.

12 ¶ Si Titius rogatus ſit hæreditatem Męuio reſtituere,Mæuius Seio certam pecuniam, & Titius quartæ retinendæ beneficio aduerſus Mæuium vſus fuerit:Neratius ſcribit, Mæuium quoq; Seio eo minùs,æquum eſſe,præſtare,ne ipſe de ſuo damnum ſentiat. 13 ¶ Iulianus ait; ſi heres inſtitutus Titio rogatus ſit reſtituere, ſubſtitutus Męuio,& inſtitutus ſuſpectam ſibi hæreditatem eſſe dicat: deſiderante Titio,iubẽdum enim adire,& reſtituere.

14 ¶ Si quis bonorum poſſeſſoris fidei commiſerit hæreditate reſtituẽda; & is paſſus fuerit diẽ bonorum poſſeſsionis adgnoſcẽdæ tranſire; aut per hoc tẽpus,quo is,cui reſtitui debebit hæreditas, aliqua ex cauſa non potuit adire prętorem,& poſtulare vt petita bonorum poſſeſsione reſtituatur ſibi hereditas:ſuccurri ei debet.id eſt,vt reſtituatur tẽpus bonorum poſſeſsionis admittẽdæ,exhibẽdi fideicõmiſsi gratiã. 15 ¶ Admonẽdi autẽ ſumus:ſi is,qui ſoluẽdo non ſit, Titio hærede inſtituto ſeruum liberum eſſe iuſſerit,& rogauerit Titium hereditatem eidem reſtituere:vix eſſe,vt Titius recuſans adire hereditatẽ

cogatur. nam licèt deſiderante ſeruo Titius adierit hereditatem, non tamen poteſt libertas ſeruo competere, quaſi in fraudem creditorum data, licèt Titius locuples ſit. qua de cauſa nec hæreditas ei reſtitui poteſt. ſed ex ſententia legis dicendum eſt, perinde habendum ac ſi is ſeruus ſolus liber & heres ſcriptus eſſet, nec Titius hæres eſſet.

64. *Macianus* libro 4. Fideicommiſſorum.

SI eius pupilli cui ſine tutoris auctoritate pecunia credita erat, reſtituta ex eo ſenatuſconſulto mihi fuerit hæredi, & ſi ſoluam creditori: non repetam. atquin heres, ſi poſt reſtitutionem ſoluat, repetet non ob aliud, quàm quod ab eo in me naturalis obligatio translata intellegitur. & ſi eius mihi reſtituta ſit hæreditas, qui pupillo ſine tutoris auctoritate crediderit: ſi ſoluerit mihi pupillus: non repetet. at ſi hæredi ſoluerit, repetet, non repetiturus, ſi ante reſtitutionem ſoluiſſet.

1 ¶ Si neceſſarij heredes ſub condicione, quamuis leuiſsima heredes ſint inſtituti, Cui parere ſolêt: dicendum eſt, cogi reſtituere hæreditatem deſiderantibus his, quibus reſtituere rogati ſint. quia etiã neceſſarij hæredes, fideicommiſſæ hereditatis reſtituendæ gratia, condicioni parere erant compellendi.

2 ¶ Si quis rogatus reſtituere hæreditatem, deceſsit, antequàm eam reſtitueret: hæres eius poterit hæreditatẽ reſtituere: & ex Trebelliano ſenatuſconſulto transeunt actiones. ſed ſi duo ei hæredes extitiſſent: vti quiſque reſtituiſſet, pro ea parte tranſituras actiones. nam & ſi ipſe partem reſtituiſſet: pro parte interim tranſituras, verius eſt. ſed & ſi plures heredes extiterunt ei, qui rogatus eſt reſtituere hæreditatem, ſi quidam interim reſtituerint; vel cùm ei, Cui reſtitui debuit, plures heredes extiterint: vt cui reſtituta erit, is pro ea parte ex hoc ſenatuſconſulto habebit actiones.

3 ¶ Si patronus ex parte debita heres inſtitutus, rogatus fuerit eam liberis exhæredatis defuncti liberti reſtituere: ſi ſua ſponte adierit, erit Falcidiæ locus: ſi coactus in ſolidum tranſibunt actiones ex hoc ſenatuſconſulto.

65. *Idem* libro 5. Fideicommiſſorum.

SEruo, inuito domino, vel ignorante, non rectè reſtitueretur hæreditas. ſed, (ſi) poſtea ratum habuerit, confirmabitur reſtitutio. verum ipſi domino adquirentur actiones. nec, quia hæreditatis adquiſitionis ſimilis eſt hæc reſtitutio, iuſſum præcedere oportet. ſed (vt dictum eſt) etiam ratihabitio ſubſequi poterit, exemplo bonorum poſſeſsionis. neque intereſt, quod ad propoſitum attinet, ipſi domino, an ſeruo quis rogetur reſtituere hereditatem. nec in ea re conſenſu aut opera ſerui opus eſt. atquin bonorum poſſeſsione, vel in adeunda hæreditate conſenſus eius neceſſarius eſt. itaque ſi qui ſuſpectam dicent hæreditatem: poſtulante domino, compellendi erunt adire & reſtituere hæreditatem.

1 ¶ Si teſtator rogaſſet heredem, vt reſtituat hæreditatem mulieri, ſi non nupſiſſet: dicendum erit compellendum hæredem, ſi ſuſpectam dicat hæreditatem, adire, & reſtituere eam mulieri, etiam ſi nupſiſſet. Idem in cæteris quoque condicionibus Iulianus noſter probat, quæ ſimiliter niſi fine vitæ expleri non poſſent. ſecundùm quam ſententiam cautione præſtita his, quorum intereſt, ab his, quibus reſtitui ſub iiſdem condicionibus hæres rogatus eſſet, reſtituet hæreditatem.

2 ¶ Cùm prætor, cognita cauſa, per errorem vel etiam ambitioſè iuberet, hæreditatem vt ex fideicommiſſo reſtitui: etiam publicè intereſt reſtitui, propter rerum iudicatarum auctoritatem.

3 ¶ Si pupillo infanti reſtituere hæreditatẽ quis rogatus ſit: ſi ſponte adierit: etiam ſeruo eius, & ſi pupillo, tutore auctore, reſtituetur hæreditas. ſi quidẽ eo quòd fari non poteſt, non magis ea res impeditur, quàm in mutuo pubere volenti ſibi reſtitui hæreditatem. ſi autem hæres recuſet adire hæreditatem, quemadmodum res expediri poſsit, difficile eſt. quia neque tutore deſiderante, periculo pupilli adiri hæreditatem, Trebelliano ſenatuſconſulto locus ſit futurus: neq; pupillus ipſe id deſiderare poſſit, cùm fari non poſsit. quòd aliquatenus circa infantes expediri poteſt, nam ſi auditus capaces ſunt: vel interrogati, nutu poſsint ſignificare, velle ſe, periculo ſuo hæreditatem adire: quomodo abſentes per nuntium. ſed & infanti non dubito omnimodo ſubueniendum. idq; ex ſimilitudine iuris ciuilis vel honorarij conſtituendum eſt. ſiue enim heres inſtitutus eſſet: non dubiè pro hærede, tutore auctore, gerere poſſe videtur. ſiue de bonorum poſſeſsione agitaretur: peti ei per tutorẽ poſſet. ideóq; & hæres compelli per tutorẽ poteſt adire, & reſtituere hæreditatẽ. Quo exẽplo & mutus, qui nihil intellegere poteſt, per curatorem adiuuatur.

4 ¶ Si ſingulæ res ab herede traditæ ſunt iuſſu meo ei, cui eas vendiderim: non dubitabimus, mihi intellegi factam reſtitutionem. Idem erit, & ſi iuſſu meo tradantur. Cui ego ex fideicommiſſo, aliáve qua cauſa eas præſtare debuerim, vel in creditum ire, vel donare voluerim.

66. *Paulus* libro 2. Fideicommiſſorum.

QVi ita inſtitutus eſſet, ſi coheres eius adiſſet, vti poteſt lege Falcidia, etſi coheres eius coactus adiſſet: modò ſi ipſe non coactus adierit hereditatẽ.

1 ¶ Etiam abſentis procuratori, (ſi) deſideraret, poſſe reſtitui hæreditatẽ ex hoc ſenatuſconſulto, Iulianus ſcripſit: ſi tamẽ caueat de rato habẽdo, ſi non eadẽ abſentis voluntas eſſet. ſed dicẽdum eſt; vt hæres, qui ſuſpectam dicat, non ſit compellẽdus adire, ſi incertum ſit, an mandauerit; quamuis ei caueatur, propter fragilitatẽ cautionis. quòd ſi ſponte adierit hereditatẽ, non magna captio eſt. ſed actiones ſi non mandauit, tranſibunt eo tẽpore, quo ratum habuerit.

2 ¶ Si damnum in ſeruo hæreditario datum ſit, licèt per ſeruum hæreditarium hæredi competere actio cœpit, non tamẽ tranſit legis Aquiliæ actio ad fideicommiſſarium. hæ enim actiones tranſeunt, quæ ex bonis defuncti pendent.

3 ¶ Si legatus Romæ compulſus adierit hereditatẽ, & reſtituerit: cogetur Romæ actiones pati fideicommiſſarius: quamuis hæres non cogetur.

4 ¶ An, vbi defunctus conueniri debuit, & fideicommiſſarius defendi debeat, videndum. ſi ſua ſponte hæres adit, & reſtituit hæreditatẽ, an tribus locis fideicommiſſarius defendi debeat. vbi defunctus, & vbi hæres, & vbi ipſe domicilium habeat. oportet itaq; ibi fideicommiſſarium conueniri, vbi vel domicilium habet, vel maior pars reſtitutæ hæreditatis habetur.

67. *Valens* libro 3. Fideicommiſſorum.

SI, poſtulante me, ſuſpectam hæreditatẽ ex decreto prætoris adieris, & nec ego poſtea eam mihi reſtitui velim, nec bonis me immiſcere: hoc fieri debet, vt (quod Octaueno non ineleganter videbatur) à prætore perinde actiones in me dẽtur, ac ſi hæreditatem recepiſſem. quod eſt iuſtius.

1 ¶ Etiam eo tempore, quo creditorum fraudandorũ conſilium inieris, citra periculum interdicti fraudatorij hæreditatẽ ſuſpectam adibis, & reſtitues mihi. quia & remoto fideicommiſſo liberum tibi fuerat nolẽti adire hæreditatẽ, creditores tuos tali commodo fraudare: & ego nihil turpiter faciam, recipiẽdo eam hæreditatem, quam, remota poſtulatione mea, creditores compellere te, vt adires, non potuerint.

2 ¶ Sed & (ſi) filius ſuus hæres patri, rogatus ſit à patre, hæreditatẽ nihi reſtituere, cum ſuorum creditorum fraudandorũ conſilium iniſſet, tamquàm ſuſpectam ex decreto



prætoris reſtituerit mihi, vix fraudatorio interdicto locus erit. quia bonis patris eius venditis, nihil proprium creditores eius ex ea hereditate ferre potuerint. niſi forte proprij creditores filij audiri debeant, ſi poſtulent, vt, dimiſſis patris, eius bona vendere ſibi permittatur.

3 ¶ Si donationis cauſa ſuſpectam hereditatem ſibi heres dixerit, & reſtituerit ei, qui ſolidum capere non poſſit: auferetur ei id, quod capere non poteſt. Idem dicendum eſt, & ſi citra conſilium donandi fiduciarius heres id fecerit.

68. *Idem* libro 4. Fideicommiſſorum.

SI heres ab eo, qui cùm moreretur, ſoluendo non fuit, rogatus hereditatem reſtituere, ſuſpectam ſibi dicit: dubium non eſt, quin hodie coactus ex Trebelliano ſenatuſconſulto reſtituere poſſit. ſed etſi ſua ſponte adierit, ex eodem ſenatuſconſulto reſtituturus eſt. quamuis cùm ſumma, aut certum corpus per fideicommiſſum ab eo, qui ſoluendo non fuit, datum eſt: perinde non debeatur, atque ſi legatum eſſet. eo enim caſu legatarij, ſuperiore heredis vice fungi eũ, cui fideicommiſſum relictum eſt.

1 ¶ Si totam hereditatem rogatus reſtituere tu ſponte adieris, & ſine deductione quartæ partis reſtitueris: difficilè quidem crederis per ignorantiam magis, non explendi fideicommiſſi cauſa, hoc feciſſe: ſed, ſi probaueris, per errorem te quartam non retinuiſſe, reciperare eam poteris.

69. *Macianus* libro 2. Fideicommiſſorum.

DE euictione prædiorum, vel mancipiorum, vel ceterarũ (rerum) cauere heres, cùm reſtituit hereditatem, non debet. quinimmo in contrarium caueri heredi oportet, ſi quid ex his euictum eſſet, quæ ab ipſo herede veniſſent.

70. *Pomponius* libro 2. Fideicommiſſorum.

SI heres inſtitutus Titio rogatus fuerit reſtituere hereditatem, & rurſus Titius heredi poſt tempus: ſufficiunt: directæ actiones heredi.

1 ¶ Si heres, antequàm fideicommiſſam hereditatem reſtitueret, alienauerit quid ex hereditate, aut ſeruum hereditariũ manumiſerit, aut ruperit quid, vel fregerit, vel vſſerit: non competit in eum vlla ciuilis actio, reſtituta poſtea hereditate ex Trebelliano ſenatuſconſulto: ſed ex fideicommiſſi cauſa erit hoc quod deperierit perſequendum. ſin verò poſt reſtitutam hereditatem horũ quid admiſerit heres: dicendum eſt, lege Aquilia cum eo agi poſſe, ſi ſeruum fortè hereditarium aut vulnerauerit, aut occiderit.

2 ¶ Si temporalis actio in hereditate relicta fuerit: tempus, quo heres experiri ante reſtitutam hereditatem potuit, imputabitur ei, Cui reſtituta fuerit.

71. *Macianus* libro 10. Fideicommiſſorum.

OMnes, qui de hereditate deliberant, deſiderante eo, qui ſuo periculo velit adiri hereditatem, coguntur adire: ſed non ſtatim reſtituere: ſed vt, completo tempore deliberationis (ſi) expedire ſibi compererint hereditatem, ſentiant commodum teſtamenti eo iure, quo, ſi ſponte adiſſent: ſin verò contrà onéroſam crediderint, reſtituta ea exonerentur actionibus hereditariis.

72. *Pomponius* libro 4. Fideicommiſſorum.

HEres præcepto fundo rogatus erat hereditatem reſtituere. fundus alienus erat. Ariſto aiebat, videndum, vtrùm eum omnimodo penes heredem fundum eſſe voluit teſtator, an ita demum, (ſi) ipſius eſt: ſed ſibi ſuperius placere. ideóque æſtimatio eius retinenda eſt.

73. *Marcellus* libro 13. Fideicommiſſorum.

SI heres pecuniam hereditariam crediderit, & in eam cauſam pignora acceperit: actiones non competunt ei, Cui reſtituta fuerit hereditas aduerſus ipſa pignora. ſed aliqua dubitatio remanebit, ſi in eum contractum, qui ex defuncto fuerit interpoſitus, heres, antequàm reſtitueret hereditatem, pignus accepit, ſed nec ſic quidem ipſe admitteretur ex fideicommiſſo. tamen habet aduerſus heredem actionem, vt ei cedat pro pignoris commodo actionem.

1 ¶ Cùm ex Trebelliano ſenatuſconſulto reſtituitur hereditas: ſeruitutes, quas mutuò prædia heredis & teſtatoris habent, nihilominùs valent.

74. *Paulus* libro 2. Decretorum.

QVi filium & filiam habebat, teſtamentum fecit, & ita de filia cauerat: Ἐντέλλομαί σοι μὴ διατίθεσθαι, πρὶν ἂν τέκνα σοι γενέσθαι. id eſt, *Mando tibi non teſtari, donec liberi tibi ſint.* pronuntiauit Imperator, fideicõmiſſum ex hac ſcriptura deberi. quaſi per hoc, quòd prohibuiſſet eam teſtari, petiſſet, vt fratrem ſuum heredem faceret. ſic enim accipiendam eam ſcripturam, ac ſi hereditatem ſuam rogaſſet eam reſtituere.

1 ¶ Fabius Antoninus impuberem filium Antoninum & filiam Honoratam relinquens, exheredatis his, matrem eorum Iuniam Valereanam heredem inſtituit: & ab ea trecenta, & quaſdam res filiæ reliquit. reliquam omnem hereditatem filio Antonino, cùm ad annum vicẽſimum ætatis perueniſſet, voluit reſtitui. quòd ſi ante annum vicenſimum deceſſiſſet filius, eam hereditatem Honoratæ reſtitui præcepit. mater inteſtata deceſſit, vtriſq; liberis legitimis heredibus relictis. poſtea filius annũ agens plenũ nonumdecimum, & ingreſſus vicenſimũ, necdum tamen eo expleto, deceſſit, filia herede Fauia Valeriana ſua relicta. à qua amita fideicommiſſum & ex teſtamento patris portionem hereditatis petebat, & apud præſidẽ optinuerat. tutores Valerianæ filiæ Antonini, egeſtatem eius prætendebant, & recitabant Diui Hadriani conſtitutionem, in qua, quantum ad munera municipalia, iuſſerat eum annum, quem quis ingreſſus eſſet, pro impleto munerari. Imperator autem noſter motus & æquitate rei, & verbis teſtamenti, *Si ad annum viceſimum ætatis*, quamuis ſcire ſe diceret, à Diuo Marco non excuſatum à tutela eum, qui ſeptuagenſimum annum ætatis ingreſſus fuiſſet, nobis & legis Æliæ Sentiæ argumenta proferentibus, & alia quædam, contra petitricem pronuntiauit.

75. *Scæuola* libro octauodecimo Digeſtorum.

EPiſtulam ad heredem ſuum (in) hæc verba ſcripſit: *Titius Cornelio heredi ſuo ſalutem, A te peto Corneli, quoniam ad te deuoluta eſt pars matris meæ, item pars Semproni curatoris quondam mei contraria fortuna vſi, & per hoc totus as meus apud te eſſe ſperatur, vti reddas reſtituas Gaio Seio uncias quattuor.* quæſitum eſt, cùm Sempronius in integrum reſtitutus ſit ab Imperatore, quo fuerat deportatus, & adierit hereditatem, an is quoque rogatus ſit, vt ex ſua portione reſtituat hereditatem. reſpondit, Sempronium quidem non proponi rogatum, Cornelium autem heredem debere pro rata portione maternarum defuncti rerum reſtitutionem Seio facere.

1 ¶ Mulier heredis inſtituti fidei commiſit, vt, retenta parte quarta, reliquam partem reſtitueret nurui quondam ſuæ: cuius fidei commiſit in hæc verba: *Rogo te, vt id, quod ad te ex bonis meis peruenerit, facias peruenire ad filium tuum.* quæſitum eſt, quando hoc fideicommiſſum reſtituere debeat: vtrúmne poſt mortem ſuam, an iam nunc. reſpondit, ad tempus, quo nurus moreretur, fideicommiſſum aptandum eſſe.

76. *Idem* libro 19. Digeſtorum.

SCæuola reſpondit: Si pater filium ſuum impuberem ex aſſe ſcripſerit heredem, eique codicillis ſubſtituerit, deinde filius impubes deceſſerit: licèt ſubſtitutio inutilis ſit, quia codicillis hereditas neque dari, neque adimi poteſt: tamen benigna interpretatione placet, vt mater, quæ ab inteſtato pupillo ſucceſſit, ſubſtitutis fideicommiſſo obligetur. quod ſi

fideicommiſſo obligetur. quod ſi inuicem fuerunt ſubſtituti, & in fide commiſſo ſubſtitutionem valere. vnóque eorum mortuo, qui ſuperſunt, totum accipiunt.

### 77. *Idem* libro 20. Digeſtorum.

HEredibus inſtitutis filijs vtriuſque ſexus, ſingulos rogauit, vt, qui ſine liberis decederet, partẽ ſuam hereditatis ſorori fratrive reſtitueret, aut, ſi frater ſorórve non eſſet, matri ſuæ: & hæc verba adiecit: *Vbſque liberi cariſſimi hoc fideicommiſſo teneri inuicem volo, donec binos liberos educaueritis* quæſitum eſt, ſi quis ex liberis duos filios procreauerit, quamuis ſuperſtites non reliquerit, an heredes eius fideicommiſſum debeant. reſpondit, ſecundùm ea, quæ proponerentur, videri fideicommiſſi onere liberatos.

1 ¶ Titius nepotes ex filia, & furioſam ſuam filiã heredes inſtituit: & fidei commiſit filiæ, vt, ſi ſine liberis deceſsiſſet, pars ei data perueniret ad coheredes, furioſam ipſe Titius in matrimonio collocauit, & enixa eſt filia poſt mortem patris. quæſitum eſt, defuncta furioſa, ſuperſtite ex huiuſmodi coniunctione parta filia, an fideicommiſſum ad coheredes pertineret. reſpondit, cùm filiam relinquiſſe proponeretur, fideicommiſſum non deberi. *Claudius.* Nã etſi matrimonium cum furioſa non fuit, ſatis tamẽ factum eſt eiuſmodi condicioni.

### 78. *Idem* libro 21. Digeſtorum.

LVcius Titius inteſtato moriturus, cùm haberet vxorem, & ex ea filiam emancipatam, codicillis hæc verba inſeruit: *Pertinent autem hi codicilli ad vxorem & filiam. itaque rogo, quidquid aut ego reliquero, aut vos ipſæ habeatis, commune vrbis ſit. quod ſi non ego rogarem, vos pro veſtra pietate faceretis.* filia inteſtati patris bonorum poſſeſſionem accepit. quæſitum eſt, an aliqua pars hereditatis Lucii Titij ex cauſa fideicommiſsi à filia matri debeatur. reſpondit, ſecundùm ea, quæ proponerentur, deberi, ſi etiam vxor parata ſit in commune bona ſua conferri.

1 ¶ Mæuia duos filios heredes reliquerat, & eodem teſtamento ita cauit: *Fidei autem heredum meorum committo, vti omnis ſubſtantia mea ſit pro depoſito ſine vſuris apud Gaium Seium & Lucium Titium, (quos etiam, ſi licuiſſet, curatores ſubſtantiæ meæ dediſſem, remotis aliis) vt hi reſtituant nepotibus meis, prout quis eorum ad annos vigintiquinque peruenerit, pro portione, vel ſi vnus, ei omnem.* quæſitum eſt, an fideicommiſſum præſtari à ſcriptis heredibus Lucio Titio, & Seio debeat. reſpondit, ſecundùm ea, quæ proponerentur, Lucium Titium, item Gaium Seium fideicommiſſum petere non poſſe.

2 ¶ Tres heredes ſcripſit, Mæuium fratrem ſuum ex dodrante, Seium ex ſextante, Stichum eiuſdem Seij ſeruum, filium autem naturalem Mæuij, ex vncia, & fidei commiſit Seij, vti Stichum manumitteret, in hæc verba: *A te peto Sei, vti tu Stichum manumitteres: dedi, vnde faceres.* ſed & codicillis ita cauit: *vnciam, ex qua feci Stichum heredem, ſi quàm Seius controuerſiam moueret, ad Mæuium fratrem meum reuerti volo. tu frater, ſecundùm fidem & pietatem tuã, quidquid ad te peruenerit ex hereditate mea, Sticho filio tuo reſtitues. quod vt facias, fidei tuæ committo.* quæſitum eſt, cùm Seius adierit hereditatem, & propter hoc compulſus Stichum manumiſerit, an vnciam hereditatis, ex qua Stichus heres inſtitutus eſt, Sticho manumiſſo reſtituere debeat. reſpondit, non proponi Seium rogatum, vnciam ei reſtituere. 3 ¶ Idem quæſit: an, ſi aliquam controuerſiam Seius de vncia hac, ex qua Stichus inſtitutus eſt, facere velit, & Mæuius vnciam ex cauſa fideicommiſsi à Seio fuerit conſecutus; vtrùm hanc ſolam vnciam, ex qua Stichus inſtitutus eſt, an verò & dodrantem, ex quo ipſe Mæuius inſtitutus eſt, eidem Sticho reſtituere debeat. reſpondit, de omni reſtituendo, quod ad Mæuium quoquo modo peruenit, teſtatricem ſenſiſſe. 4 ¶ Pater puerum & puellam heredes inſtituit: eóſque inuicem ſubſtituit: &, ſi neuter heres eſſet, eis plures ſubſtituit: ſubſtitutóſque inuicem ſubſtituit, his verbis: *Subſtitutos heredes inuicem ſubſtituo:* eorumdem filiorum fidei commiſit, vt qui eorum vita ſuperaſſet, & ſine liberis intra annum trigeſimum moreretur, hereditatem his, quos heredes ſubſtituerat, reſtituat. filius vita ſororem ſuperauit, & intra trigeſimum annum ſine liberis deceſſit. quæſitum eſt, ex ſubſtitutis vno defuncto ante filium, pars eius, quæ ad ceteros ſubſtitutos, qui ſuperuiuerent, pertinet, vtrùm pro virilibus, an pro hereditariis portionibus, quibus ſunt ſubſtituti, pertineat. reſpondit conſequens eſſe, pro his partibus, quibus ſubſtituti eſſent, fideicommiſſum pertinere.

5 ¶ Mæuia filium heredem inſtituit ex quincunce, Titiam filiam ex quadrante, Septicium filium ex triente, cuius fidei commiſit in hæc verba: *Te rogo fili Septici, ſi intra viceſimum annum ſine liberis morieris, quidquid ex hereditate mea ad te peruenerit, hoc fratribus tuis reſtituas.* quæſitum eſt, (an) Septicio filio defuncto intra viceſimum annum ſine liberis: hoc fideicommiſſum vtrùm pro portionibus hereditariis ad fratrem & ſororem eius pertineat, an verò æqualiter. reſpondit, pro parte hereditaria.

6 ¶ Titia ex aſſe heres ſcripta, partem dimidiam hereditatis Mæuiæ rogata reſtituerat: fundum à teſtatore obligatum luere noluit, ſed eum vendente creditore mandauit redimendum Seiæ, quæſitum eſt, an Titia ex cauſa fideicommiſſi Mæuiæ teneatur. reſpondit, cùm rogata hereditatem reſtituere proponatur, nihil proponi, cur non teneatur. *Claudius:* Sub- eſt enim, præſtari oportere id, quanto pluris fundus fuit, quàm ad creditorem peruenire oportuit.

7 ¶ Gaio Seio ex ſemiſſe, Titia ex quadrante, & aliis ex reliquis portionibus heredibus inſtitutis, ita cauit: *Fidei autem veſtræ mando, Gai Sei & Lucia Titia, vti poſt obitum veſtrum reddatis reſtituatis Titio & Sempronio ſemiſſem patrimonij & portionis eius, quam vobis dedi.* quæſitum eſt; cùm vtrique adierint hereditatem, & poſtea Gaius Seius defunctus ſit, Lucia Titia herede inſtituta: an hæc Lucia Titia partem dimidiam ſemiſſis, quam rogatus erat Gaius Seius reſtituere, protinus debeat: an verò, poſt ſuam demum mortem, vniuerſum fideicommiſſum, tam ex ſua perſona, quàm ex Gaij Seij datum, reſtituere debeat. reſpondit, Luciam Titiam ſtatim teneri, vt partem dimidiam ſemiſſis ex perſona Seij reſtituat.

8 ¶ Filiam ſuam heredem ſcripſit: & nepotem, quem ex ea habebat, ei ſubſtituit: & ita cauit: *Lucio Titio fratris mei filio, genero meo ducentos aureos reliquo. quo legato ſcio illum contentum eſſe: quoniam ſcripſi vniuerſam rem meam, eo quòd filiam meam & nepotem meum heredes ſcripſi, vt inter eos ſubſtantiam eis communicaſſe: quos inuicem commendo.* filia, adita patris hereditate, diuertit à marito. quæſitum eſt, an Titius quondam eius maritus, ſuo, vel filij ſui nomine, ex fideicommiſſo communionem bonorum conſequi poſſit viua quondam vxore ſua, vel poſt mortem eius. reſpondit, nihil fideicommiſſi datum genero proponi, præter ducentos aureos. 9 ¶ Idem quæſit: eandem vxorem, marito herede ſcripto, fideicommiſiſſe, vt, cùm moreretur, filio communi omnia, quod ad eum ex hereditate ſua perueniſſet, reſtitueret: an illæ quoque res & poſſeſſiones, quæ in dotem datæ, & poſt diuortium reſtitutæ mulieri fuerant, fideicommiſſo continerentur. reſpondit, quod mulier in bonis ſuis reliquiſſet, id fideicommiſſo contineri. *Claudius.* Et aliàs de eodem facto conſultus, ita reſpondit: ſiue reſtitutæ ſint res, ſecundùm id, quod ſuprà reſponſum eſt, in bonis mulieris computari: ſiue non ſint reſtitutæ, quia ex ſtipulatione de dote reddenda interpoſita reſtituendæ ſint, eo auctiorem hereditatem computari.



10 ¶ Quæ habebat filium, & ex eo nepotem, vtroſque in mariti poteſtate, maritum ex aſſe ſcripſit heredem, eiúſque fideicommiſit in hæc verba: *Si Titius maritus meus mihi heres erit, peto, fideique eius committo, quidquid ex hereditate mea ad eum peruenerit, cùm mori cœperit, det reſtituat Gaio filio noſtro: ita tamen, vt decem quidem vncias Gaius habeat, duas autem vncias Seius nepos habeat. quod vt fiat, fidei eius Titi heredis mei committo.* pater emancipauit filium, nepotem amiſit, & ſuperſtite filio deceſſit. quæſitum eſt: an priore parte ſcripturæ vniuerſa hereditas patris ex cauſa fideicommiſſi, filio debeatur: & illa ſequentia verba: *ita tamen, vt decem vncias filius, duas autem nepos habeat,* ex voluntate defunctæ ita demum locũ haberent, ſi die fideicommiſſi cedente filius & nepos eorum in natura eſſent: cùm autem non ſuperuixit ad diem fideicommiſſi nepos, ſequens ſcriptura ceſſet. reſpondit, ea, quæ proponerentur oſtẽdere, decem dumtaxat vncias filio datas.

11 ¶ Heres inſtitutus, vxori rogatus totam hereditatem reſtituere, reſtituit detracta quarta. quæſitum eſt, cùm vxor quartam partẽ hereditatis præſenti die, & reliquam poſt tempus alij rogata à teſtatore fuiſſet reſtituere, an id, quod heres ei detraxiſſet quartæ nomine, in reſtituendo fideicommiſſo imputare poſſit. reſpondit, quatenus cepiſſet, fideicommiſſo obſtrictam.

12 ¶ Heredum fidei commiſit, vt, quidquid ex parte tertia hereditatis peruenerit ad eos, id redderent Caio Mæuio alumno teſtatoris, cùm fuerit annis quindecim: & ſubiunxit hæc verba: *Interim ex reſtitu paupertatis, qui ad vos peruenerit, alatis eum vſuris pro quantitate nummorum redactis. hoc amplius eidem alumno meo heminam Caletanum, & vernam ſutorem, qui eum artificio ſuo mercede data alere poterit.* quæſitũ eſt: cùm alimenta multo minora præſtiterint heredes ſcripti, quàm vſuræ ſummæ redactæ competebant, an & reſiduas præſtare compelli debeant totius temporis, an ex die, quo quintumdecimum expleſſet: & cùm ſerui legati ei ſpecialiter, vt ex mercedibus aleretur, ſtatim venierint, vtrum mercedes an vſuras petere debeant. reſpondit, ſecundũ ea, quæ proponerentur, teſtatorem videri de omni reditu & mercede ſeruorum reſtituenda ſenſiſſe.

13 ¶ Pluribus heredibus inſtitutis, in quibus & libertis tribus ex dodrante, eiuſdem fundos per præceptionem dedit: & ab his petit, ne eos alienarent, & vt, qui vita ſuperaſſet, ſolidos eoſdem fundos optineret. deinde vnius ex his libertis Otacilij fideicommiſit, vti, quidquid ad eum ex hereditate bonisque perueniſſet, deducto pro ea parte ære alieno, & legatis, & ſibi vigintiquinque aureis, reſtituat Titio. quæſitum eſt, an etiam partes tertias fundorum prælegatorum cum conlibertis eidem, deducere deberet. reſpondit, ſecundum ea, quæ proponerentur, non debere reſtituere præceptionem: cum ipſe teſtator & legata excipi voluiſſet.

14 ¶ Maritus, vxore inſtituta herede ex parte tertia, & pluribus ei, fideicommiſſis datis, dotem quoque prælegauit his verbis: *Seiæ vxori meæ dari volo a filiis meis ſummam dotis eius, quæ mihi pro ea illata eſt.* eiuſdémque vxoris fidei commiſit, vt partem hereditatis, & quæcumque ei legaſſet, poſt mortem ſuam Titio filio communi reſtitueret. quæſitum eſt, an ſummam quoque dotis inter cetera legata ex cauſa fideicommiſſi filio ſuo reſtituere debeat. reſpondit, non alias, niſi manifeſtum eſſet, de dote quoque reſtituenda teſtatorem ſenſiſſe: atque etiam ſi ſenſiſſet, & hoc fuerit adprobatum, ita eius quoque petitionem fore, ſi non minus in quantitate: quæ Falcidiæ nomine remaneret, foret, quàm in quantitate dotis.

15 ¶ Rogatus hereditatem reſtituere Septicio, cùm erit annis viginti, interea fundos, quos defuncti pignori acceperat, vendidit: & propterea pigneraticia iudicio à debitore conuentus, deceſſit, herede relicto Sempronio: &, iudicio nondum finito, reſtituit hereditatem Septicio. quæſitum eſt, an iudicio nihilominùs ipſe condemnari debeat: cùm potuerit retinere, vel caueri ſibi id, quòd ex cauſa iudicati præſtaturus eſſet. reſpondit, iudicij executionem nihilominùs aduerſus heredem & poſt reſtitutam hereditatem manſiſſe.

16 ¶ Heres eius, qui poſt mortem ſuam rogatus erat vniuerſam hereditatem reſtituere, minimam quantitatem, quam ſolam in bonis fuiſſe dicebat, his, quibus fideicommiſſum debebatur, reſtituit. poſtea repertis inſtrumentis, apparuit, quadruplo amplius hereditate fuiſſe. quæſitum eſt: an in reliquum fideicommiſſi nomine conueniri poſſit. reſpondit, ſecundùm ea, quæ proponerentur, ſi non tranſactum eſſet: poſſe.

### 79. *Idem* libro ſingulari Quæſtionum publicè tractatarum.

SI pupillus parenti ſuo heres extitit, & fideicommiſſam hereditatis partem reſtituit, mox abſtinetur paterna hereditate: optio deferenda eſt fideicommiſſario, vt aut portionem quoque pupilli adgnoſcat, aut tota diſcedat. aut omnimodo bona vendenda ſunt, vt id, quod ſuperfluum eſt, pupillo ſeruetur. &, ſi in ſolidum bona venire non poſſunt, omnimodo actiones fideicommiſſario denegandæ erunt. erat enim in poteſtate illius, vniuerſum ſuſcipere, &, ſi quid plus erit, pupillo ſeruare.

### 80. *Idem* libro 5. Digeſtorum.

MAtrem, & auunculum, eoſdémque creditores ſuos, heredes ſcripſit Lucius Titius: & eorum fidei commiſit, vt poſt mortem reſtituerẽt, quod ex re familiari teſtatoris ſuperfuerit, Septicio. heredes non modicam partem bonorum teſtatoris cõſumpſerunt, & multos heredes reliquerunt, quibus ſcientibus, multa corpora, quæ remanſerant ex bonis Lucij Titij, Septicius poſſedit: quæſitum eſt, an id, quod Lucius Titius debuit matri & auunculo, heredes eorum à Septicio petere poſſint. reſpondit, non poſſe. *Claudius:* Aditione enim hereditatis confuſa obligatio interciderat. ſed fideicommiſſi repetitio erat. cuius æquitas defecit his, qui multa ex hereditate conſumpſiſſe proponuntur.

### 81. *Paulus* Imperalium ſententiarum in cognitionibus prolatarum ex libris 6. libro primo ſeu Decretorum libro II.

IVlius Fœbus teſtamento facto: cùm tres liberos heredes inſtitueret, Fœbum, & Heracliam ex eadem matre, Polycraten ex alia, æquis portionibus: petit à Polycrate minore fratre, vt accepto certo prædio, hereditatem fratribus concederet: & inuicem eos, qui ex eadem matre erant, ſi qui eorum heres non fuiſſet, ſubſtituerat: Polycrati, ſi intra pubertatem deceſſiſſet, ſecundas tabulas fecit, quas matri eius condemnauit aperiendas, ſi impubes obiiſſet. deinde petit à prioribus, vt, ſi quis eorum ſine liberis decederet, portionem ſuam, exceptis bonis maternis eorum, & abitis, ei vel eis, qui ſupereſſent, reſtitueret. Heraclia ſoror mortua ſine liberis, fratrem Fœbum heredem inſtituit. Polycrates fideicommiſſum petierat, & optinuerat apud Aurelium Proculum proconſulem Achaiæ, appellatione facta, cùm ſolum Fœbus egiſſet μονομερῶς. i. *altera parti abſente,* victus eſt. quia *ei vel eis* verba vtroſque fratres complecterentur. ad qui inuicem duos illos tantum ſubſtituerat. ſed & voluntas hæc patris videbatur: qui exceperat eorum bona materna, quia Polycrates aliam matrem, & quidem ſuperſtitem habebat, cuius etiam fideicommiſſum erat, vel legata,

quæ ei dederat, inteſtA moriēs Polycrati filio ſuo reſtitueret.

## QVANDO DIES LEGATORVM vel fideicommiſſorum cedat.

### TIT. II.

*Paulus* libro 2. ad Sabinum.

MOrtuo patre, licet viuo pupillo, dies legatorum a ſubſtituto ſdatorum cedit.

2. *Vlpianus* libro 15. ad Sabinum.

SI purè ſit vſusfructus legatus, vel vſus, vel habitatio: neque eorum dies ante aditam hereditatē cedit, neque petitio ad heredem tranſit. idem, & ſi ex die ſi vſusfructus relictus.

3. *Idem* libro 5. Diſputationum.

NAm cùm ad heredem non transferatur, fruſtra eſt, ſi ante quis diem eius cedere dixerit.

4. *Idem* libro 19. ad Sabinum.

SI cùm heres morietur, legetur: condicionale legatum eſt. denique viuo herede defunctus legatarius, ad heredem non transfert.

1 ¶ Si verò cùm ipſe legatarius morietur: legetur ei: certum eſt, legatum ad heredem tranſmitti.

5. *Idem* libro 20. ad Sabinum.

SI poſt diem legati cedentem legatarius deceſſerit, ad heredem ſuum transfert legatum.

1 ¶ Itaque, ſi purum legatum eſt: ex die mortis dies eius cedit. Si verò poſt diem ſint legata relicta, ſimili modo atque in puris dies cedit. niſi fortè id fuit legatum, quod ad heredem non tranſit. nam huius dies non ante cedit, vtputa ſi vſusfructus ſit poſt annum relictus. hanc enim ſententiam probamus. 2 ¶ Sed ſi ſub condicione ſit legatum relictum, non prius dies legati cedit, quàm condicio fuerit impleta: ne quidem ſi ea ſit condicio, quæ in poteſtate ſit legatarij.

3 ¶ Sed ſi ea condicio fuit, quam prætor remittit: ſtatim dies cedit.

A ¶ Idémque & in impoſſibili condicione: quia pro puro hoc legatum habetur.

5 ¶ Item ſi qua condicio ſit, quæ, per legatarium non ſtat, quo minùs impleatur, ſed aut per heredē, aut per eius perſonam, in cuius perſona iuſſus eſt parere condicioni: dies legati cedit: quoniam pro impleta habetur. Vt puta ſi iuſſus ſim heredi decem dare, & ille accipere nolit. Sed & ſi ita mihi legatum ſit, ſi Seiam vxorem duxero, nec ea velit nubere: dicendum erit, diem legati cedere: quòd per me non ſtat, quo minù pareàm condicioni: ſed per alium ſtat, quo minùs impleatur condicio.

6 ¶ Iſdem autem diebus, id eſt iſdem penſionibus, heredi præſtabitur legatum, quibus legatario ipſi præſtabitur.

7 ¶ Si cùm dies legati cedere inciperet, alieni quis iuris eſt: deberi his legatum, quorum iuri fuit ſubiectus. & ideo ſi purum legatum fuerit, & poſt diem legati cedentem liber factus eſt: apud dominum legatum relinquet. ſed ſi vſusfructus fuerit legatus: licet poſt mortem teſtatoris, ante aditam tamen hereditatem, ſui iuris efficiatur: ſibi legatum adquirit.

6. *Paulus* libro 3. ad Sabinum.

QVod pure datum eſt, ſi ſub condicione adimatur. quaſi ſub condicione legatum habetur.

1 ¶ At ſi extrinſecùs ſuſpendatur, legatum, non ex ipſo teſtamento: licet ante decedat legatarius, ad heredem tranſmiſiſſe legatum dicimus. veluti ſi rē dotalem maritus legauerit extero, & vxori aliquā pro dotali re pecuniam: deinde deliberante vxore, de electione dotis, deceſſerit legatarius, atque legatum elegerit mulier: ad heredem tranſire legatum, dictum eſt, idque & Iulianus reſpondit. magis enim mora, quàm condicio, legato iniecta videtur.

2 ¶ Eorum legatorum, quæ in codicillis relicta ſunt, perinde dies cedit, atque teſtamēto relictorū,

7. *Vlpianus* libro 20. ad Sabinum.

HEredis aditio moram legati quidem petitioni facit, ceſſioni diei non facit.

1 ¶ Proinde ſiue pure inſtitutus, tardiùs adeat, ſiue ſub condicione, per condicionem impediatur: legatarius ſecurus eſt.

2 ¶ Sed & ſi nondum natus ſit heres inſtitutus, aut apud hoſtes ſit: ſimiliter legatario non nocebit: eo quòd dies legati ceſſit.

3 ¶ Inde dicimus: Et ſi a ſubſtituto legatum ſit relictum: quamdiu inſtitutus deliberat, defuncto legatario non nocebit, ſi poſtea heres inſtitutus repudiauit. nā ad heredē ſuum tranſtulerit petitionem.

4 ¶ Tantundem, & ſi ab impuberis ſubſtituto legetur. nam ad heredem ſuum legatum transfert.

5 ¶ Tractari tamen poteſt, ſi impuberi ſubſtitutus damnatus ſit, ſi intra pubertatem filius deceſſerit, Seio centum dare: an viuo pupillo defunctus Seius ad heredem transferat: quaſi ea condicio ſit expreſſa, quæ ineſt. & magis eſt, ad heredem legatarij tranſire. 6 ¶ Interdum aditio hereditis legatis moram facit. vtputa ſi forte ſeruo manumiſſo, vel ei, cui ſeruus legatus eſt, & ideo ſeruo aliquid legatum ſit. nam ſeruo legati relicti ante aditam hereditatem dies non cedit.

8. *Idem* libro 24. ad Sabinum.

NAm cùm libertas non priùs competat: quàm adita hereditate: æquiſſimum viſum eſt: nec legati diem ante cedere. alioquin inutile fieret legatum, ſi dies eius ceſſiſſet, antequàm libertas competeret, quod euenit, ſi ſeruo pure legetur, & liber eſſe ſub condicione iubeatur, & pendens condicio inueniatur & poſt aditam hereditatem.

9. *Idem* libro 21. ad Sabinum.

SI habitatio filiofamilias vel ſeruo legata ſit: puto, non adquiri domino vel patri legatum, ſi ante aditam hereditatem filius vel ſeruus deceſſerit. nam cùm perſonæ cohæreat, recte dicitur, ante aditam hereditatem diem non cedere.

10. *Idem* libro 23. ad Sabinum.

CVm in annos ſingulos legatur, non vnum legatum eſſe, ſed plura conſtat.

11. *Iulianus* libro 37. Digeſtorum.

NEc refert, ſinguli aurei in annos ſingulos legētur, an in annum primum mille aurei, in ſecundum homo, in tertium frumentum.

12. *Vlpianus* libro 23 ad Sabinum.

NEc ſemel diem eius cedere, ſed per ſingulos annos. 1 ¶ Sed vtrum initio cuiuſque anni, an verò finito anno cedat, quæſtionis fuit. & Labeo, & Sabinus, & Celſus, & Caſſius, & Iulianus in omnibus, quæ in annos ſingulos relinquuntur, hoc probauerunt: vt initio cuiuſque anni, huius legati dies cederet. 2 ¶ Inde Iulianus ait: hoc legatum ſi ſeruo relinquatur, deinde poſt primum vel alterum annum ſit liber: ſibi eum adquirere.

3 ¶ Item Celſus ſcribit, quod & Iulianus probat, huius legati diem ex die mortis cedere, nō ex quo adita eſt hereditas: &, ſi forte poſt multos annos adeatur hereditas, omniū annorū legatario deberi.

4 ¶ Sed & ſi quotannis ſit legatum, mihi videtur etiam in hoc initium cuiuſque anni ſpectandum. niſi forte euidens ſit voluntas teſtatoris in annuas penſiones ideo diuidentis, quoniam non legatario conſultum, ſed heredi proſpectum voluit, ne vrgueretur ad ſolutionem.

5 ¶ Si in habitatione aliquid, vel in diſciplina legetur ſic *Annua*, vel, *Quotannis*: quibus diebus penſio debetur habitationis, vel mercedis diſciplinarum, iiſdem intellegitur legatum relictum, coniectura voluntatis facta.

6 ¶ Nouiſſime Pomponius ſcribit, nihil intereſſe, vtrum in annos ſingulos, vel quotannis, an in ſingulos menſes, vel quot menſibus, an in ſingulos dies, vel quot diebus legetur. ipſe quoque huic ſententiæ accedo. proinde, & ſi annui legentur tot aurei, idem erit dicendum.

7 ¶ Si Qui homo generaliter ſit legatus, & antequam vindicet, deceſſerit: ad heredem ſuum legatum transfert.



8 Si Titio ſit ſic legatum, *Quem Seius elegerit*: & Seius poſt electionem deceſſerit: locus eſt vindicationi ſemel adquiſitæ.

13. *Pomponius* libro 6. ad Sabinum.

HViuſmodi legatum: *Siue illud factum fuerit, ſiue non fuerit, illi do lego*: ad heredem non tranſit: niſi alter caſus viuo legatario exſtiterit. quoniam cauſa, ex qua debeatur, præcedere ſemper debet. nec quia certum eſt, alterutrum futurum, omnimodo debebitur. nam tale legatum, *cùm morietur heres dato*: certum eſt debitum iri: & tamen ad heredem legatarij non tranſit, ſi viuo herede decedat.

14. *Vlpianus* libro 24 ad Sabinum.

SI vſusfructus aut decē, vtrū legatarius voluerit, ſint legata: vtrūq; ſpectādu, & mortē teſtatoris, (&) aditionē hereditatis: mortē, propter decē: aditionē, propter vſumfructū. quamuis enim electio ſit legatarij, tamen nondum electioni locus eſſe poteſt. cùm proponatur, aut nondum teſtatorem deceſſiſſe, aut eò mortuo hereditas nondum adita.

1 ¶ Inde quærit Iulianus, ſi poſt mortem teſtatoris legatarius decedat, an ad heredem transfertur decem legatum. & libro trigenſimo ſeptimo digeſtorum ſcribit, poſſe dici, decem tranſtuliſſe: quia mortuo legatario dies legati cedit. argumentum Iulianus pro ſententia ſua adfert tale: *Seia decem, aut, ſi PEperit, fundum heres meus dato*. nam ſi, antequam pariat, (inquit) deceſſerit, ad heredem ſuum decem tranſmittet.

2 ¶ Si ita quis legauerit filiofamilias, vt ipſi ſoluatur: poteſt procedere legatum: nec imputari heredi, cur non patri: ſed potiùs filio ſoluat. finge enim, hoc nominatim expreſſum ita, vt filio ſoluat. certè ſi pater petat, exceptione erit repellēdus.

3 ¶ Si dies legati ceſſerit, deinde legatarius in ius alienum peruenit: ipſi potius debetur legatum, in cuius ipſe ius peruenit. tranſeunt enim cum eo, quæ ei debebantur. ſed ſi ſub condicione fuerit legatum, non tranſit, ſed exſpectabit condicionem. eique adquiretur, cuius iuris erit condicionis exiſtentis tempore. quod ſi ſui iuris fuerit eo tempore, ſibi potiùs adquiret.

15. *Idem* libro 5. Diſputationum.

SI ita eſſet liberis fideicommiſſum relictum, ſi morte patris ſui iuris eſſent effecti: nec mortalitate patris, ſed emancipatione patresfamiliarum conſtituti ſint: deberi eis fideicommiſſum, nemo dubitauerit: diémque eius, emancipatione ceſſiſſe, qui morte patris cederet.

16. *Iulianus* libro 35. Digeſtorum.

CVm ita legatum eſt: *Stichum, vel quod ex Pamphila natum erit, heres meus dato*: non antè dies legati eius cedet, quàm aliquid ex Pamphila natum fuerit: aut certum fuerit, naſci non poſſe.

1 ¶ Cùm ſeruo legato, antequam hereditas eius, qui legauerat, adiretur, vſusfructus ab alio legatus fuerit, & prior hereditas eius, qui vſumfructum legauerit, adita fuerit: nulla ratio eſt, cur diem legati cedere exiſtimemus, antequàm ea quoque hereditas, ex qua ſeruus legatus erat, adeatur: cùm neque in præſentia vllum emolumentum hereditati adquiratur: &, ſi interim ſeruus mortuOs fuerit legatum extinguatur. quare adita hereditate exiſtimandum eſt vſumfructum ad eum, cuius ſeruus legatus eſſet, pertinere.

2 ¶ Quod ſi ſeruus, cui vſusfructus legatus fuerit, ipſe legatus non fuerit: dicendum eſt, vſumfructum ad hereditatem pertinere, eo quòd dies eius ante aditam hereditatem non ceſſerit.

17. *Idem* libro 36. Digeſtorum.

CVm legato ſeruo aliquid legatur: dies eius legati, quod ſeruo datur, non mortis tempore, ſed aditæ hereditatis cedit. & ideo impedimento non eſt regula iuris, quo minus manumiſſo legatum debeatur. quia etſi confeſtim paterfamilias moretur, non in eiuſdem perſonam & emolumentum legati, & obligatio iuris concurreret. Perinde igitur eſt hoc, de quo quæritur, ac ſi, filio herede inſtituto, patri legatum eſſet. quòd conſiſtere intellegitur, eo quòd, quamuis ſtatim paterfamiliás moriatur, poteſt emancipatus adire hereditatem, vt patri legatum debeat.

18. *Idem* libro 37. Digeſtorum.

IS, Qui ita legatum eſt, *Quandoque liberos habuerit*, ſi prægnate vxore relicta deceſſerit, intellegitur expleta condicione deceſſiſſe, & legatum valere: ſi tamen poſtumus natus fuerit.

19. *Idem* libro 70. Digeſtorum.

CVm ſine præfinitione temporis legatum ita datum fuerit: *Vxori meæ penum heres dato. ſi nō dederit, centum dato*: vnum legatum intellegitur centum: & ſtatim peti poteſt: penoris autem cauſa eò tantùm pertinet, vt, ante litem conteſtatam tradita peno, heres liberetur.

1 ¶ Quòd ſi ita ſcriptum ſit: *Si penum intra Kalendas non dederis, centum dato*: non efficitur, vt duo legata ſint: ſed vt centum legata ſub condicione videantur: idcirco ſi vxor ante Kalendas deceſſerit, heredi ſuo neque penum relinquet, quæ legata nō eſt: neque centum, quia dies legati ceſſerit.

2 ¶ Cùm ab eo mihi fideicommiſſum datum eſt, cui ſub condicione legatum eſt, quemadmodum ſi, herede inſtituto ſub cōdicione pure mihi legetur.

3 ¶ Si debitori, quod ſub condicione debet, legatum eſt: præſens legatum eſt: agique ex teſtamento ſtatim poteſt, vt liberatio præſtetur: & ſi poſt mortem teſtatoris deceſſerit, ad heredem tranſmittit actionem.

4 ¶ Hæc dicenda erunt, & ſi non ipſi debitori, ſed alij cuilibet ſimiliter legatum eſſe proponatur.

20. *Marcianus* libro 6. Inſtitutionum.

SI cum præfinitione annorum legatum fuerit, velut *Titio dena vſque ad annos decem*: Iulianus libro trigenſimo digeſtorum ſcribit intereſſe. & ſi quidē alimentorum nomine legatum fuerit: plura eſſe legata, & futurorum annorum legatum legatarium mortuum ad heredem non tranſmittere. ſi verò nō pro alimentis legauit, ſed in plures penſiones diuiſit exonerandi heredis gratia: hoc caſu ait omnium annorum vnum eſſe legatum: & intra decēnium decedentem legatarium, etiam futurorum annorum legatum ad heredem ſuum tranſmittere, quæ ſententia vera eſt.

21. *Paulus* libro 2. ad Vitellium.

SI dies adpoſita legato non eſt: præſens deVetur: aut confeſtim ad eum pertinet, cui datum eſt: adiecta, quamuis longa ſit, ſi certa eſt, veluti Kalendis Ianuariis cēteMſimis: dies quidem legati ſtatim cedit: ſed ante diem peti non poteſt. at ſi incerta: (quaſi cùm pubes erit cùm in familiam nupſerit, cùm magiſtratum inierit, cū aliquid demum, quod ſcribenDI comprehendere ſit commodum, fecerit) niſi tempus, condiciòve optigit: neque res pertinere, neque dies legati cedere poteſt.

1 ¶ Si ſub condicione, qua te heredem inſtitui, ſub ea condicione Titio legatum ſit: Pomponius putat, perinde huius legati diem cedere, atque ſi purè relictum eſſet quoniam certum eſſet, herede exiſtente debitum iri. neque enim per condicionem heredum fieri incerta legata. nec multum intereſſe tale legatum ab hoc: *Si heres erit dato*.

22. *Pomponius* libro 5. ad Quintum Mucium.

SI Titio, cùm is annorum quatuordecim eſſet factus, legatum fuerit, & is ante quartumdecimum annum deceſſerit: verùm, ad heredem eius legatum non tranſire. quoniam non ſolùm diem, ſed & condicionem hoc legatum in ſe continet, ſi effectus eſſet annorum quattuordecim: qui autem in rerum natura non eſſet, annorum quattuordecim non eſſe non intellege-

tur. Nec intereſt, vtrum ſcribatur, *Si annorum quatuordecim factus erit*, an ita: cùm priore ſcriptura per condicionem tempus demonſtratur: ſequenti per tempus condicio. Vtrubique tamen eadem condicio eſt.

1 ¶ Quædam autem condiciones etiam ſuperuacuæ ſunt. Veluti ſi ita ſcribat: *Titius heres eſto. ſi Titius hereditatem meam adierit, Mæuio decem dato.* nam pro non ſcripto ea condicio erit, vt omnimodo ad heredem Mæuij legatum tranſeat, etiam ſi Mæuius ante aditam hereditatem deceſſerit. Et idem, ſi ita fuerit ſcriptum: *Si Titius hereditatem meam adierit, intra dies centum Mæuio decem dato.* nam hoc legatū in diem erit, non ſub condicione. quia definitio Labeonis probanda eſt dicentis, id demum legatū ad heredem legatarij tranſire, quod certum ſit debitum iri, ſi adeatur hereditas.

2 ¶ Si tamen duos heredes inſtituam: &, ſi alter ex his adeat hereditatem, alicui legem ab omnibus heredibus: non erit pro ſuperuacuo ea condicio: ſed in portionem quidem coheredis valebit: in ipſius autem, cuius perſona in condicione comprehenſa eſt, ſuperuacua erit: perinde atque ſi, ſolo coherede inſtituto eo modo legatum eſſet.

23. *Vlpianus* libro 4. ad legem Iuliam & Papiam.

CVm in annos ſingulos legatum relinquitur: ſine dubio per annos ſingulos, inſpecta condicione legatarij, ait capere. &, ſi plurium ſeruus ſit, ſingulorum dominorum erunt perſonæ ſpectandæ.

24. *Paulus* libro 6. ad Legem Iuliam & Papiam.

SI penum heres dare damnatus ſit, vel fundum: &, ſi non dediſſet, decem: ego accepi: & penum legatam: & tranſlatam eſſe in decem, ſi noluerit penum heres dare: & tunc pecuniam deberi, cùm interpellatus fundum non dediſſet: &, ſi interea deceſſerit legatarius, tunc heredi eius non niſi fundum deberi. namque cùm dictum eſt, *At Publicius fundum dato*: perfectum eſt legatum. & cùm dicit: *Si non dederit, centum dato*: ſub condicione fundi legatum ademptum videri eo caſu, quo centum deberi cœperint. quorum quia condicio viuo legatario non extiterit, fortè quia interpellatus heres non ſit: euenerit, vt ademptio nihil egerit, fundique legatum durauerit.

1 ¶ Plane ſi ſic legatum ſit: *Si penum non dederit, decem dato*: dicimus non eſſe penum legatum.

25. *Papinianus* libro 18. Quæſtionum.

CVm illud aut illud legetur: enumeratio plurium rerum diſiunctiuo modo comprehenſa, plura legata non facit. Nec aliud probari poterit, ſi pure fundum alterum, vel alterum ſub condicione legauerit. nam, pendente condicione, non erit electio. nec, ſi moriatur: ad heredem tranſiſſe legatum videbitur.

1 ¶ *Heres meus Titio dato, quod mihi Seius debet.* ſi Seius pupillus ſine tutoris auctoritate nummos accepiſſet, (nec) locupletior factus eſſet: & petitor ad præſens debitum verba retulit: quia nihil eius debet: nullius momenti legatum erit. quòd ſi verbo debiti naturalem obligationem & futuram ſolutionem cogitauit: interim nihil (ſi) Titius petet, quaſi tacite condicio incerta ſit. non ſecus ac ſi ita dixiſſet, *Titio dato quod pupillus ſoluerit*: vel ſi legaſſet, quod ex Arethuſa natum erit: vel fructus, qui in illo fundo naſcentur. Contrarium non eſt: quod, ſi medio tempore legatarius moriatur, & poſtea partus edatur, fructus perueniant, pecuniam pupillus exſoluat: heres legatarij petitionem habet. namque dies legati, cui condicio non adſcribitur, quamuis extrinſecus expectanda ſit, cedit.

26. *Idem* libro 9. Reſponſorum.

FIlmio Heliodoro fratri meo dari volo quinquaginta ex reditu prædiorum meorum futuri anni. poſtea non videri condicionem additam, ſed tempus ſoluendæ pecuniæ prolatum videri, reſpondi. fructibus fini relictæ pecuniæ non perceptis, vbertatem eſſe neceſſariam anni ſecundi.

1 ¶ Cùm ab heredibus alumno centum dari voluiſſet teſtator, eam pecuniam ad alium transferri, vt in annum viceſimum, quintum trientes vſuras eius ſummæ perciperet alumnus, ac poſt eam ætatem ſortem ipſam: intra viceſimum quintum annum eo defuncto, tranſmiſſum ad heredem pueri fideicommiſſum, reſpondi. nam certam ætatem ſorti ſoluendæ præſtitutam videri, non purè fideicommiſſo relicto condicionem inſertam. cùm autem fideicommiſſum ab eo peti non poſſet, penes quem volui pecuniam collocari, propter hæc verba, *Eamque alumno meo poſt ætatem ſupraſcriptam curabis reddere.* fideicommiſſum ab heredibus petendum, qui pecuniam dari ſtipulari debuerunt. ſed fideiuſſores ab eo non petendos, cuius fidem ſequi defunctus maluit.

2 ¶ Pater annua tot ex fructu bonorum, quæ vxori legauit, acceſſura filij patrimonio præter exhibitionem, quam æquè matri mandauit ad annum ætatis eius viceſimum quintum vxorem præſtare voluit. non plura, ſed vnum eſſe fideicommiſſum certis penſionibus diuiſum apparuit. & ideo filio intra ætatem ſupraſcriptam diem functo reſidui temporis ad heredem fideicommiſſum eius tranſmitti. ſed non initio cuiuſque anni peti pecuniam oportere, quòd ex fructibus vxori datis pater filio præberi voluit. ceterùm ſi pecuniam annuam pater alimentis filij deſtinaſſet: (non) dubie, perſona deficiente, cauſa præſtandi videtur extincta.

27. *Scæuola* libro 3. Reſponſorum.

FIliumfamilias ex parte pure inſtituit heredem: eique fideicommiſſum dedit: & eodem teſtamento ita cauit: *Quod ego Lucium Titium heredem inſtitui, ita eum adire hereditatem volo, ſi is patria poteſtate liberatus fuerit.* quæſitum eſt, an à coheredibus eius adita hereditate, legati filiofamilias dati dies ceſſerit. reſpondit, ſi pure ſit datum à coherede filij pro hereditaria parte fideicommiſſum peti poſſe.

1 ¶ Menſtruos denarios denos manumiſſis legauit. quæſitum eſt, cùm abſentibus heredibus ex ſenatuſconſulto libertatem ſunt conſecuti, ex quo tempore eis ciuaria debeantur. reſpōdit: Secundum ea, quæ proponerentur, ex eo tempore his ciuaria debeantur, quo liberi eſſe cœperint.

28. *Idem* libro 4. Reſponſorum.

SI fundus inſtructus relictus erit: quæritur, quemadmodum dari debeat: vtrùm ſicut inſtructus fuit mortis tempore: an eo tempore, quo facti ſunt codicilli: an quo peti cœpit. reſpondit, à quibus inſtructus ſit fundus, cùm dies legati cedat, deberi.

29. *Valens* libro 1. Fideicommiſſorum.

ROgo quandoque heres meus Titio decem det. vtique decem heres debebit: ſed quando dubitari poteſt: vtrum, cùm primum potuerit, & dies cedit, & ab ipſo petitur.

30. *Labeo* libro 3. Poſteriorum à Iauoleno epitomatorum.

QVod pupillæ legatum eſt, quandoque nupſerit: ſi ea minor, quàm viripotens nupſerit: non ante ei legatum debebitur, quàm viripotens eſſe cœperit. quia non poteſt videri nupta, quæ virum pati non poteſt.

31. *Scæuola* libro 14. Digeſtorum.

VXori ex parte ſextante heredi inſtitutæ ſubſtituit: & heredum fideicommiſit, ſi vxor heres non erit, dotem ei & alia quædam dari. poſt mortem mariti, vxor ante condicionem, & priuſquàm adeat hereditatem, deceſſit. quæſitum eſt: an dies fideicommiſſi, cùm moritur, ceſſiſſe videatur: ideoque heredibus eius debeatur. reſpondi: ſi vxor priùs deceſſit, quàm hereditatem adiret, videri diem fideicommiſſi ceſſiſſe.

---

# VT LEGATORVM SEV FIdeicommiſſorum ſeruandorum cauſa caueatur,

## TIT. III.

1. *Vlpianus* libro 79. ad Edictum.

LEgatorum nomine ſatiſdari oportere prætor putauit: vt, quibus teſtator dari fieríve voluit, his diebus detur vel fiat: dolúmque malum abfuturum ſtipulentur.

1 ¶ Semper autem ſatiſdare cogitur, cuiuſcumque ſit dignitatis, vel facultatium quarumcumque heres.

2 ¶ Nec ſine ratione hoc prætori viſum eſt, ſicuti heres incumbit poſſeſſioni bonorum, ita legatarios quo iure carere non debere bonis defuncti: ſed aut ſatiſdabitur eis: aut, ſi ſatis non datur, in poſſeſſionem bonorum venire prætor voluit.

3 ¶ Non ſolùm autem omnibus legatariis ſatiſdari oportet: ſed & ſucceſſoribus legatariorum ſatiſdari debere, iam conſtat. quamuis iſti non ex iudicio defuncti, ſed ſucceſſionis neceſſitate, quaſi ad æs alienum, admittatur. 4 ¶ Sed & procuratoribus legatariorum ſatiſdandum eſt. eóque iure vtimur.

5 ¶ Planè ſi ei, qui in poteſtate alicuius erit, legatum ſit: caueatur ei, cuius iuri ſubiectus eſt.

6 ¶ Non ſolùm autem legatorum nomine heredes cauent: ſed & ſucceſſores eorum. 7 ¶ Is etiam, cui ex ſenatuſconſulto reſtituta eſt hereditas; nihilominùs ad cautionem compellitur. 8 ¶ Nec non & qui per alios heredes exiſtunt, ſiue honorarij ſucceſſores, ad ſatiſdationem compelluntur.

9 ¶ Planè ſi quis, omiſſa ſtipulatione, litem de legato conteſtatus eſt: probandum eſt, ceſſare debere ſtipulationem. 10 ¶ Idémque in fideicommiſſis quoque probandum eſt. 11 ¶ Si cui ita ſit legatū vel fideicommiſſum relictum; & ſi id perdidiſſet, rurſus relictum; videamus, an ſatis ſequentis legati ſiue fideicommiſſi petere poſſit. mouet quæſtionem, an fideicommiſſum hoc ſiue legatum debeatur; & quotiens debeatur, & an ipſe legatarius cauere debeat ſe non perditurum. De his omnibus extat reſcriptum Diui Pij ad Iunium Mauricum tale: Clodio Fructulo, ſecundùm ea, quæ epiſtula continentur, legata ſiue fideicommiſſa ex teſtamento Clodij Felicis præſtari debent circa neceſſitatem cauendi, nihil ex Is deminuturum ſe. nam quod fidei heredis ab eodem teſtatore commiſſum eſt; vt, ſi Fructulus perdidiſſet, quod ei in teſtamento relictum eſt, rurſus heres ei id reſtitueret: non eò pertinet, vt aut Fructulo priorum legatorum nomine ſatiſdatio iniungenda, aut onerandus ſit heres in infinito, vt, quotiens is perdiderit, reſtituere ei tantumdem debeat: ſed vt per fideicommiſſum poſterius duplicata legata eius videantur. nec ampliùs ad periculum heredis pertineat, ſi quid poſtea is conſumpſit, exſoluto ei poſteriore fideicommiſſo. Reſcripto ergo oſtenſum, legatariorum heredi non debere cauere, ſe non perditurum. Verſa vice an heres de ſequenti legato ſiue fideicommiſſo cauere debeat quæritur. & putem, non oportere ei caueri: cùm in ſuo arbitrio habeat, ne perdat, id quod ſibi relictum eſt. quamuis ſi quis inſpexerit, quod ſub condicione relictum eſt, dicere debeat, ſatiſdationem exigendam. 12 ¶ Certè ſiue ex aſſe, ſiue ex parte quis legatum debeat: cauere debet: ſiue inſtitutus ſit heres, ſiue ſubſtitutus.

13 ¶ Velliſſimè quæritur, an hæc ſtipulatio incrementum ex fructibus vel vſuris ſentiat. & rectè placuit, ex mora incrementum habituram ſtipulationē (vt) id quod oportebit, comprehendat.

14 ¶ Si quis ſub condicione legatum ſtipulatus, pendente condicione deceſſerit: ſtipulatio euaneſcit: quia nec legatum (non) tranſmittitur. Huic ſtipulationi eaſdem cauſas & condiciones ineſſe ſciendum eſt. proinde ſi qua ſit exceptio, quæ petenti legatum opponi ſolet: eandem ex ſtipulatu quoque agenti opponendam eſſe placet.

15 ¶ Procuratori eius, qui abſens eſſe dicitur, ſi ſtipulanti legati nomine ſpondeat heres, Ofilius ait, ita cauere debere, ſi is, cuius nomine caueat, viuat. videlicet ne teneatur illo antè defuncto.

16 ¶ Item quæritur; in hanc ſtipulationem vtrum ipſæ res veniant, quæ legatæ ſunt; an verò pretia earum. & eſt verius, in hanc ſtipulationē res vel pretia deduci. 17 ¶ Si decem, quæ in arca erāt, mihi legata ſint, tibi eorum vſusfructus legatus ſit: ſi purè vtriq; legatum ſit relictum; is, cui proprietas legata eſt, ipſo iure decem vindicauit; fructuarium autem ex ſenatuſconſulto acturum, & quinque vſumfructum petiturum conſtat. ſed cùm decem vindicat proprietarius, per exceptionem doli repelli, quā fructuarius de reſtituendis quinque heredi cauit. Planè ſi decem aureorum poſſeſſionem legatarius habeat: Marcellus ait, dandam vel heredi vel fructuario vtilem actionē in legatariū: ſi modò ei caueatur. Sed ſi ſub condicione ei decē legata ſint: fructuariū interim decē, oblata cautione habiturum. legatario verò, cui proprietas relicta eſt, interim legatorum ſtipulatio præſtanda eſt. Sed ſi omiſerit ſtipulationem: exiſtente condicione, ad exhibendum eum poſſe agere, Marcellus ait. ſed ſi ignorans heres legatum: decem fructuario dedit: ad exhibendum eum non teneri palàm eſt. ſuccurrendum tamen legatario aduerſus fructuarium, Marcellus ait.

18 ¶ Si ad fiſcum portio hereditatis peruenerit, ceſſabit iſta ſtipulatio: quia nec ſolet fiſcus ſatiſdare.

19 ¶ Qui minorem partem hereditatis poſſidet, cùm ex maiore parte heres ſit; ſi quidem ipſo iure minuatur portio hereditatis: ſecurior erit heres. neque enim ex maiore parte ex ſtipulatu tenetur legatariis; quàm ex qua heres eſt. ſi verò nomen quidem heredis apud eos integrum maneat, verumtamen effectu minus habeant hereditatis, & cauerint legatorū nomine: videntur onerari: quia ipſo iure pro ea parte legata debent, pro qua heredes ſint. ſed enim æquiſſimum eſt, non maiorem partem legatariis ſoluere, quàm cuius habent emolumentum. hoc autem euenit, cùm hereditas pro aliqua parte ex Trebelliano reſtituitur. nam pro rata exonerandi ſunt heredes eius partis nomine, cuius emolumentum ſibi ablatum eſt. 20 ¶ Si ei, qui in alterius poteſtate erit, incerta die legatum fuerit: cauebitur ei, qui habet eum in poteſtate. non præciſè, ſed ſub condicione, ſi, cùm eius legati dies cedit, in poteſtate ſit. ceterùm ſi ſui iuris inueniatur: iniquum eſſe viſum eſt, patri cautum eſſe, cùm alij legatum debeatur. quamquam etſi ſine hac adiectione caueretur, verumtamen exceptione patrem vel dominum ſubmoueremus, ſi exiſtentis condicionis tempore non haberent eos in poteſtate. euenit tamen ſecundùm hoc, vt in caſum non ſit de legato cautum. nam ſi exiſtentis condicionis tempore ſui iuris ſunt, non erit cautum.

2. *Papinianus* libro 28. Quæſtionum.

NEc; ſi fortè velit pater cauere, neminē ampliùs petiturum; compellendus erit heres legatum, quod iam filius petere poteſt, alij quàm cui debetur, exſoluere.

3. *Vlpianus* libro 69. ad Edictum.

SEd & ipſis, qui ſunt in poteſtate, cauendum eſt, quemadmodum ſolet caueri, ſi eadem res duobus ſub diuerſis vel contrariis condicionibus relicta ſit. duobus enim ſatiſdatur: ſed in vtroque caſu iiſdem perſonis ſatiſdationem ſubituris.

4. *Idem* libro 15. ad Edictum.

SI ex cauſa fideicommiſſi ſit apud aliquem hereditas, ne legatorum ſatiſdat: in poſſeſſionem aduerſus eum legatarius mittitur.

5. *Papinianus* libro 22. Quæſtionum.

POſtquàm heres ab hoſtibus captus eſt, condicio legati, cuius nomine propoſita ſtipulalatione cautum fuerat, extitit. fideiuſſores interim teneri negaui. quia neque ius, neque perſona eſſet, ad quam verba ſtipulationis derigi poſſint.

1 ¶ Imperator Marcus Antoninus Iulio Balbo reſcripſit, eum, à quo res fideicommiſſæ petebantur, cùm appellaſſet, cauere: vel, ſi caueat aduerſarius, tràſferri poſſeſſionem debere. Rectè placuit principi, poſt proBocationem quoque fideicommiſſi cautionem interponi. quod enim ante ſententiam, ſi portionis dies moraretur, fieri debuit: admitti poſt victoriam, dilata petitione, non oportuit. Sed qua re non cauerat de fideicommiſſo: qui prouocauerit; ſi caueret aduerſarius; ad eum poſſeſſionem eſſe transferendam reſcripſit: cùm alia ſit edicti condicio. non enim exigitur à legatario vice mutua cautum: ſed vicaria cuſtodiæ gratia poſſeſſio datur: & qui optinuit, in poſſeſſionem per prætorem aut præſidem inducitur. ſed prætor quidem in omnium rerum poſſeſſione, quæ in cauſa hereditaria permanent, omnimodo fideicommiſſi ſeruandi gratia eſſe permittit. princeps autem earum rerum nomine, de quibus fuerat iudicatum mutuas admiſit cautiones. ſicuti cùm de bonis ſuis conferendis filius, accepta poſſeſſione, cauere nō poteſt: quia denegamus ei actiones: defertur condicio cauendi fratribus ex forma iuriſdictionis, quod ex portione fratris fuerint conſecuti, cùm bona propria conferre cœperit, ſe reſtituturos. ſed ſi neć ipſi cauere poſſint: vtiliter probatum eſt, virum bonum ab vtraque parte eligendum, apud quem vt ſequeſtrem fructus deponetur, quique vtiles actiones à prætore datas exerceat. poſſeſſio autem ex reſcripto ſuprà relato non aliter ad eum, qui fideicommiſſum petit, transfertur, quàm ſi cauerit; tametſi maximè aduerſarius non per inopiam, ſed per contumaciam cauere noluerit. ſed ſi is, qui viuit: non poſſit cauere: vel res deponenda, vel iuriſdictio reſtituenda erit.

2 ¶ Si dies aut condicio legati, fideicommiſſi, petitionem actionémve differre dicatur; & ideo ſatiſdatio deſideretur; heres autem per calumniam poſtulari contendat, & relictum neget: non aliter audiendus erit, qui cauere poſtulat, quàm ſi ſcripturam, qua relictum adfirmet, exhibuerit.

3 ¶ Cùm quærebatur, vbi fideicommiſſi ſeruandi cauſa caueri oporteat: imperator Titus Antoninus reſcripſit: ſi domicilium Romæ non haberet heres, & omnis hereditas in prouincia eſſet; ad ſatiſdationem fideicommiſſi nomine in prouincia fideicommiſſarium remittendum eſſe. Quare ſi heres in eum locum, cauendi gratia, remitti deſideret, vbi domiciliū habet; legatarius autem ibi caueri poſtulet, vbi eſt hereditas: non erit heres remittendus. ídque imperator Titus Antoninus reſcripſit.

4 ¶ Quibus litteris adiectum: & ſi bona iam diſtracta ſunt: vel teſtatoris permiſſu, vel concedente legatario; pretium eorum, fideicommiſſi ſeruandi cauſa, in depoſito habendum.

6. *Vlpianus* libro 6. Fideicommiſſorum.

SI quando incerta ſumma eſt fideicommiſſi qui cognoſcit, taxatione quoque fideiuſſores petūtur.

1 ¶ Admonendi autem ſumus, rebus publicis remitti ſolere ſatiſdationem fideicommiſſorum, etiam ſi quando neceſſitas dandi intercedat. repromiſſio planè exigenda eſt, voluntati defuncti ſtatu iri.

7. *Paulus* libro 2. Manualium.

FIlio vel ſeruo ſub condicione à patre dominóve herede inſtituto legatum eſt. huius legati ſatis petere non poſſunt. ſed pendente condicione emancipatus vel manumiſſus ſi ſatis petant: quæritur: an audiendi ſint, ne beneficium patris dominíve ipſis oneroſum ſit; an ſibi imputare deberent, qui dederūt eis poſtulandi aduerſus ſe facultatem. ſed melius eſt, per mediocritatem cauſam dirimere: vt cautioni tantùm hypotheca ſuarum rerum committantur.

8. *Vlpianus* libro 48. ad Sabinum.

CVm legatorū nomine ſatiſdatum eſt, ſimul dies legatorum ceſſit, protinus iſdem diebus etiam ex ſtipulatione debentur.

9. *Paulus* libro 12. ad Sabinum.

NOn tamen vt ſtatim peti poſſint. deberi enim dicimus. & quod die certa præſtari oportet, licèt dies nondum venerit.

10. *Pomponius* libro 26. ad Sabinum.

SI à te herede legatum mihi ſub condicione, túq; poſtquàm adieris hereditatem, ſatiſdederis legatorum, & poſt mortem tuam, ante aditam tuam hereditatem, condicio legati extiterit: Sabinus ait, fideiuſſores mihi teneri: quia omnimodo dari oportet legatum, & (ſi) in rem eſſet concepta ſtipulatio.

11. *Gaius* libro 13. ad Edictum Prouinciale.

SI legatarij aduerſus me in poſſeſſionem legatorū ſeruandorum cauſa miſſi ſunt, procurator, vel quis alius meo nomine cauerit: perinde mihi prætor accommodat interdictum, quo iubeantur diſcedere legatarij poſſeſſione, ac ſi ego cauiſſem.

12. *Marcianus* libro 7. Inſtitutionum.

LIcèt, vt non petatur cautio, condicio teſtamento ſcripta fuerit: non videtur condicio. & ideo licèt deſiderauerit quis caueri ſibi. non videtur condicione defectus. quia poſtquàm remitti talem cautionem iure publico placuit, nec onus cautionis ſequitur: ne quidem condicio intellegitur.

13. *Neratius* libro 7. Membranarum.

EI quoque, (cui) legatorum actio datur in eum, qui, prætermiſſa inſtitutione, ab inteſtato poſſidet hereditatem, legatorum ſatiſdatur: &, niſi ſatiſdabitur. in poſſeſſione legatorum ſeruandorum cauſa mittitur. nam hæc quoque prætor perinde ſalua eſſe vult, atque ea, quæ iure ciuili debentur. Idem Ariſtoni placet.

14. *Vlpianus* libro 79. ad Edictum.

HÆc ſtipulatio & in fideicommiſſis locum habet, ſi purè fideicommiſſum ſit relictū, ſiue ex die certa: vel ſub condicione: ſiue res aliqua, ſiue hereditas, ſiue ius aliquod relictum eſt.

1 ¶ Diuus quoque Pius reſcripſit: quoties euidens res eſt, vt certum ſit, nullo modo fideicommiſſo locum eſſe: perquàm iniquum eſſe, ſuperuacua cautione onerari heredem.

15. *Paulus* libro 75. ad Edictum.

ETiam de præſenti legato locum habet hæc ſatiſdatio: quoniam nonnullas moras exercitio iudicij habet. 1 ¶ Si & ab herede inſtituto legatorum ſatis acceperit legatarius, & à Trebelliano fideicommiſſario: vtraque quidem ſtipulatio committetur: ſed exceptione ſe tuebitur heres, quia cauere non debuerit. ſed ſi pars hereditatis reſtituta ſit, ab vtroque cauendum eſt. 2 ¶ Etiam ſi ab inteſtato debeatur fideicommiſſum, locum habet hæc ſtipulatio.

16. *Gaius* libro 27 ad Edictum Prouinciale.

SI duo eiuſdem nominis legato contendant, vtriſque ſatiſdatur. nec onerari heredem cùm poſſit eoſdem fideiuſſores ad vtramque ſtipulationem adhibere. qui & ipſi nOnerantur: cùm futurum ſit, vt vni teneantur.

17. *Paulus* libro 48. ad Edictum.

SI ab vno ex heredibus legatorum ſatis accipimus, cùm ab omnibus heredibus nobis legatum eſſet, ſi pars coheredis adcreſcat promiſſori, in totum fideiuſſores tenentur, ſi ſolidum legatum is cœperit debere.

18. *Scæuola* libro 29. Digeſtorum.

QVi filium legitimum relinquebat et patrem eūdemque collibertum ex aſſe ſcripſit heredem: fidei que eius commiſit, vt, quidquid ad eam ex hæreditate eius peruenisset, cùm moreretur, reſtitueret filio teſtatoris ſuo, & hæc verba adiecit, *Satis à Seio patre meo exigi veto.* quæſitum eſt: cùm iſte Seius [illegible] & verentur [illegible] fideicommiſſarij, ne [illegible] conſtitutum ad ſatiſdationem fideicommiſſi nomine patrē defuncti compellere poſſit. reſpondit, ſecundùm ea quæ proponerentur, non eum compellendum cauere.

1 ¶ Idem quæſiit, matricem apud maritum ſuum, ex quo filium reliquerat, res depoſuiſſe non exacta cautione depoſitionis: an eæ res patri hæredi reſtitui debeant, an vero, quoniam emolumentum totius hæreditatis ad filium defunctæ reuerti debe ret, apud maritum remanere, apud quem depoſitæ fuiſſent. reſpondit, quod in rebus manſiſſet, nec in dote fuiſſet, reſtituendum eſſe hæredi. 2 ¶ Tutor, qui & cohæres pupilli erat, abſente pupillo, cùm admonuerunt eum legatarij, fideicommiſſi nomine in ſolidum ipſe cauit: quæſitum eſt, an in pupillum adultum factum danda ſit vtilis actio. reſpondit dandam.

---

VT IN POSSESSIONEM legatorum vel fideicommiſſorum ſeruandorum cauſa eſſe liceat.

TIT. IV.

*Vlpianus* libro 52. ad Edictum.

SI quis, cùm vetitus eſſet ſatis accipere, acceperit: an repeti ſatiſdatio ita poſſit, vt hæres condicat liberationem? & quidem (ſi) ſciens hæres indebitum cauit: repetere non poteſt. quid deinde, ſi ignorauit remiſſam ſibi ſatiſdationem? poteſt condicere. ſi verò hoc non potuiſſe remitti crediderit, nunquid condicere poſſit, qui ius ignorauit? adhuc tamen benignè quis dixerit, ſatiſdationem condici poſſe. Quid deinde ſi commiſſa ſit ſtipulatio? fideiuſſores putamus exceptione vti poſſe, an non? & magis eſt, vt vtantur exceptione: quia ex ea cauſa inceſsit ſatiſdatio, ex qua non debuit. 1 ¶ Non exigit prætor, vt per hæredem ſtet, quò minùs caueat. ſed contentus fuit, per legatarium vel fideicommiſſarium non ſtare, quò minùs ei caueatur. quare ſi non fuerit, qui interpelletur cautionis nomine: (hoc eſt is, à quo legatum fideive commiſſum relictum eſt) omnimodo poterit legatarius & fideicommiſſarius in poſſeſsionem ex hoc edicto mitti. quia verum eſt per eum, cui caueri oportebit, non fieri, quo minùs caueatur. Non tamē & ſatiſdatio debet offerri legatario: ſed ſufficit, ſiue deſiderauerit ei non caueri: ſiue non habeat, à quo ſatis deſideret. 2 ¶ Si debitori liberatio ſit relicta, non eſt exigenda cautio: quia habet penes ſe legatum. quippe, ſi conueniatur, exceptione doli mali vti poſſit. 3 ¶ Ei, cui legatum ſolutum eſt, cùm conſtet legatum non deVeri, Diuus Pius ad Æmiliū Equeſtrem reſcripſit, non debere prætorem ſatiſdationem admittere. 4 ¶ Tunc ante aditam hæreditatem ſatiſdandum de legatis eſt, cùm adhuc dubium eſt, an hæreditas adeatur. ceterùm ſi certum ſit, repudiatam, vel omiſſam hæreditatē, vel abſtentos neceſſarios hæredes: fruſtra hoc edictum imploratur: cū certū ſit, legatum vel fideicōmiſſum non debere.

2. *Idem* libro 79. ad Edictum.

SI autem certum ſit, hæreditatem necdum aditam fuiſſe: nec ſatiſdatio, nec poſſeſsio locum habet.

3. *Idem* libro 52. ad Edictum.

SI is, quo ſatis petitur, offerat cognitionem, & dicat, *Hodie conſtet de fideicommiſſo, hodie agamus*: dicendum eſt, ceſſare ſatiſdationem: cùm poſsit antè de fideicommiſſo, quàm de ſatiſdatione conſtare.

1 ¶ Nec non illa cognitio imploranda erit ab hærede, ſi fortè dicatur per calumniam ſatis peti. hoc enim commune eſt omnium ſatiſdationum. Diuus enim Pius reſcripſit, eum, apud quem ſatis petitur, debere explorare, num per calumniam ſatis petatur. de qua re ſummatim debet cognoſcere.

2 ¶ Si procurator ſatis legatorum deſideret: ſi quidem mandatum ei ſit, non habebit neceſſe de rato cauere, ſed erit ei ſatiſdandum: ſi verò dubitetur an mandatum ſit, vel non ſit, de rato cautio erit exigenda.

3 ¶ Si ſemel fuerit ſatiſdatum: quæſitum eſt, an etiam ruſſus cauendum ſit. ſi fortè dicatur egenos fideiuſſores eſſe datos, & magis eſt, vt caueri non debeat. hoc enim Diuus Pius reſcripſit PacuBiæ Licinianæ. ipſam enim facilitati ſuæ expenſum ferre debere, quæ minùs fideiuſſores idoneos accepit. neque enim oportet per ſingula momenta onerari eum, à quo ſatis petitur.

4. *Papinianus* libro 28. Quæſtionum.

PLanè ſi noua cauſa allegetur, veluti quòd fideiuſſor deceſſerit, aut etiam rem familiarem inopinato fortunæ impetu amiſerit: æquum erit, præſtari cautionem.

5. *Vlpianus* libro 52. ad Edictum.

IS, cui legatorum fideíve commiſſorum nomine nō cauetur, miſſus in poſſeſsionem, numquàm pro domino eſſe incipit. nec tam poſſeſsio rerum ei, quàm cuſtodia datur. neque enim expellendi hæredem ius habet, ſed ſimul cum eo poſsidere iubetur, vt ſaltem tædio perpetuæ cuſtodiæ extorqueat hæredi cautionem. 1 ¶ Si alius damni infecti nomine miſſus ſit in poſſeſsionem, alius legatorum ſeruandorum cauſa: poſſe eum, qui legatorum ſeruandorū cauſa in poſſeſsionem miſſus eſt, etiam damni infecti ſatiſdare. qui ſatiſdederit, non aliter decedere poſſeſsione debebit, quàm ei cautum fuerit etiam eo nomine, quo ſe damni infecti obligauit.

2 ¶ Si plures legatarij mitti in poſſeſsionē deſiderauerint, omnes venire debent in poſſeſsionē. is enim, qui ſi ex cauſa legatorum poſsidet, ſibi, non alij poſsidet. Alia eſt cauſa, cùm creditores rei ſeruandæ cauſa mittuntur in poſſeſsionem. nam is, qui poſsidet, non ſibi, ſed omnibus poſsidet.

3 ¶ Qui prior miſſus eſt legatarius in poſſeſsionem, non prefertur ei, qui poſtea mittitur. inter legatarios enim nullum ordinem obſeruamus, ſed ſimul omnes æqualiter tuemur.

4 ¶ Poſtquàm rei ſeruandæ creditores poſſidere cœperunt: legatorum ſeruandorum gratia miſſus in poſſeſsionem, creditoribus potior non habebitur.

5 ¶ Qui in poſſeſsionem legatorum ſeruandorum cauſa mittitur: in poſſeſsionem quidem rerum hæreditariarum omnimodo veniet, hoc eſt earum, quę in cauſa hæreditaria manent. earum autem, quæ in cauſa hæreditaria non erunt, non aliàs mittitur, quàm ſi dolo malo in cauſa eſſe deſierit: nec ſemper, ſed cauſa cognita. 6 ¶ Bonorum autem appellatione hæ res comprehenſæ videbuntur, quarum proprietas ad hæredem pertinet. 7 ¶ Sed & ſi vectigales agri ſunt, & ſi qua pignora teſtatori data: in eorum quoque mittetur poſſeſsionem.

8 ¶ Sed & in partus ancillarum, & fetus pecorum, item fructus, æquè omni modo legatarius & fideicommiſſarius mittentur. 9 ¶ Sed & ſi rem alienam defunctus bona fide emerit: in poſſeſsionem eius mittendum legatarium, conſtat. nam & hæc res in cauſa hæreditaria eſt.

10 ¶ Si depoſita res apud defunctum fuerit,

vel commodata: locum miſsio non habet: quia non ſunt iſtæ res hereditariæ.

11 ¶ Si e duobus hæredibus alter ſatiſdare ſit paratus, alter non: in partem eius miſsio locum vtique habere debet. Miſsi itaque legatarij impedient etiam eum, qui ſatiſdedit, rei adminiſtratione. quare ſuadendum erit hęredi, vt in aſſem ſatiſ iet, ne adminiſtratio eius impediatur. 12 ¶ Si ab impubere is ſubſtituto legata ſint relicta, & impubes deceſſerit: miſsio non ſolum in ea bona, quæ teſtatoris fuerunt, verùm ad ea quoque, quæ impubes adquiſiit, locum habebit: nam hæc quoque hæreditaria ſunt. viuo autem impubere neque miſsio, neque ſatiſdatio locum habet. 13 ¶ Si hæres non ſit, à quo fideicommiſſum relictum eſt, ſed alterius nomine ſucceſſor: dicendum eſt vt edicto locus ſit, & dolo eius ſit æſtimandus. 14 ¶ Sed & ſi hæredis hæres ſit, qui dolo fecit: æquè nocere debebit. 15 ¶ Dolum accipere debemus & culpam latam: ſed non omnem dolum, ſed qui in necem legatariorum & fideicommiſſariorum factus eſt. 16 ¶ Imperator Antoninus Auguſtus reſcripſit, certis ex cauſis etiam in propria bona hæredis legatarios & fideicommiſſarios eſſe mittendos: ſi poſt ſex menſes, quàm aditi pro tribunali fuerint hi, quorum de ea re notio eſt, in ſatisfactione ceſſatum eſt. inde fructus percepturos, quoad voluntati defunctorum ſatisfiat. Quod remedium ſeruaretur & aduerſus eos, qui ex qua cauſa fideicommiſſo moram faciunt. 17 ¶ Satisfactionis verbum licèt latiùs patet, tamen ad exſoluendum legatum refertur. 18 ¶ Proinde, etſi remiſſa ſit ſatiſdatio, reſcriptum locum habebit, quia mora fit ſolutioni. 19 ¶ Sex autem menſium puto continuum tempus, non poſſeſsionum, computandum.

20 ¶ Ceſſatum non accipimus, ſi pupillus tutorem non habeat, nec curatorem furioſus vel adulescens. nam fruſtratio non debet huiuſmodi perſonis nocere, quæ ſunt indefenſæ. Certè ſi hęreditas vacuerit aliquo tempore, hoc tempus de medio trahendum eſt. 21 ¶ Quæri poterit, an in vicem vſurarum hi fructus cedant, quæ in fideicommiſsis debentur. & cùm exemplum pignorum ſequimur: id quod ex fructibus percipitur, primùm in vſuras, mox ſi quid ſuperfluum eſt, in ſortem debet imputari. Quinimmò & ſi ampliùs, quàm ſibi debetur, perceperit legatarius: exemplo pigneraticiæ actionis etiam vtilis actio ad id refundendum dari debebit. Sed pignora quidem quis & diſtrahere poteſt. hic autem frui tantùm ei conſtitutio permiſit, vt feſtinetur ad ſententiam. 22 ¶ Qui legatorum ſeruandorum cauſa in poſſeſsionem mittitur: & fructus cuſtodire, & cætera debebit: & pati quidem hęredem colere agros, & fructus redigere: ſed cuſtodire legatarium fructus oportebit, ne ab hęrede conſumantur. quòd ſi hęres fructus nolit cogere: permittendum erit legatario cogere fructus, & coactos ſeruare. Quinimmò ſi tales ſint fructus, quos primo quoque tempore venire expediat: vendere quoque legatario permittẽdum eſt, & pretium ſeruare. In cęteris quoque rebus hæreditariis miſsi in poſſeſsionem hoc erit officium, vt vniuerſas res hæreditarias colligat, & ibi cuſtodiat, vbi domicilium defunctus habuit. & ſi nulla domus ſit: habitatione conducat, vel horreum quoddam, in quo res collectæ cuſtodiantur. & puto, ita legatarium cuſtodire res hæreditarias debere, vt neque hæredi auferantur, neque depereant, deterioréſve fiant. 23 ¶ Quod ſi ex conſtitutione quis in poſſeſsionem mittatur: curandum eſt, ne vis fiat vtenti & fruenti legatario. 24 ¶ Satisfieri voluntati defuncti ſic accipitur, quoad voluntati defuncti vel ex fructibus, vel aliùnde ſatisfiat. 25 ¶ Conſtitutio autẽ Diui Antonini pertinet ad eos, à quibus vtiliter fideicommiſſum relictum eſt: (ſi) quamuis hæredes non ſint. par enim vtilitas eſt. 26 ¶ In poſſeſsionẽ miſſus legatorum ſeruandorum cauſa, ſi litem eo nomine conteſtatus ſit, non ante decedere poſſeſsione debet, quàm ei pro lite fuerit cautum.

27 ¶ Miſſus in poſſeſsionem, ſi non admittatur: habet interdictum propoſitum aut per viatorem, aut per officialem præfecti, aut per magiſtratus introducendus eſt in poſſeſsionem. 28 ¶ Miſsio autem locum habebit, non tantùm ſi quis idipſum, quod legatum eſt, rogatus ſit; verumetiam ſi quid vel ex eo, vel pro eo reſtituere fuerit rogatus.

29 ¶ Si Titio purè legatum fuerit & eius fideicommiſſum ſub condicione, vt Sempronio reſtitueret: non iniquè prætorem ſtatuturum Iulianus ſcripſit, ſi, antequàm legatum conſequatur legatarius, fideicommiſsi condicionalis ſatis non det, vt magis Sempronio det legati perſecutionem, vt is legatario ſatiſdet, deficiente condicione reddi decem. ſed & ſi acceperit Titius ab hærede decem: æquum eſſe Iulianus ait, cogi eum inuicem ſatisdare, aut ipſa decem tradere, & Sempronium Titio cauere. & hoc iure vtimur. id enim & Marcellus ait.

30 ¶ Quid ergo, ſi & legatum ſub condicione ſit relictum & fideicommiſſum, neque fideicommiſſi ſatiſdetur? æquiſsimum erit, fideicommiſſarium nomine legati ſatis accipere ab hærede, ſi ei legatarius non caueat, ſcilicet vt & ipſe legatario caueat. quòd ſi iam accepit legatarius ab hærede ſatis: decernendum erit, ex ea ſatiſdatione magis fideicommiſſario, quàm legatario dandam actionem: in eum ſcilicet caſum, quòd fideicommiſsi eius condicio extitit: ipſius etiam legati perſecutio danda erit fideicommiſſario, ſi nondum ſolutum eſt, & condicio eius extitit: ſcilicet ſi fuerit fideicommiſſarius paratus cauere legatario.

6. *Iulianus* libro 38. Digeſtorum.

SI pecuniæ numeratæ vſusfructus legatus eſſet, & in teſtamento cautum, ne eo nomine ſatis daretur: proprietas non eſt legata: ſed legatario permittendum ſatiſdare, & vſumfructum pecuniæ habere & propemodum in hac propoſitione nullæ prætoris erunt partes, quia, niſi ſatiſdetur, agi cum hærede non poterit.

1 ¶ Qui fideicommiſsi ſeruandi cauſa in poſſeſsionem miſſus eſt, non priùs de poſſeſsione decedere debet, quàm ei fideicommiſſum ſolutum, aut eo nomine ſatiſdatum fuerit. nam quod ſi integra re fieret, in poſſeſsionem non mitteretur: id cùm offeretur, diſcedere à poſſeſsione debet.

7. *Modeſtinus* libro 3. Regularum.

DVm venter in poſſeſsionem eſt, nullus legatorum ſeruandorum cauſa in poſſeſsionem eſſe poteſt.

8. *Papinianus* libro 6. Quæſtionum.

SI legatorum ſatis non datur, reſtituta hæreditate, in earum quoque rerum poſſeſsionem legatarius mittendus erit, quæ dolo malo eius, Qui reſtituta eſt hæreditas, in hęreditaria cauſa deſierunt.

9. *Idem* libro 19. Quæſtionum.

ETiam ſi condemnatus hæres fuerit, nec pecuniam ſoluat: legatarius poteſt deſiderare, mitti in poſſeſsionem. 1 ¶ Cùm ſub condicionibus contrariis eadẽ res duobus legetur, ſi non caueatur, vterque mittitur in poſſeſsionem.

10. *Paulus* libro 3. Sententiarum.

SI nullę ſint res hæreditariæ, in quas legatarij vel fideicommiſſarij mittantur: in rem quidem hæredi mitti non poſſunt: ſed per prætorem denegatæ hæredi actiones ipſi perſequantur.

11. *Hermogenianus* libro 4. Iuris Epitomarum.

Si fidei-



SI fideicommiſſorum vel legatorum ſeruandorum cauſa miſſus in poſſeſsionem, eam rem teneas, quę mihi per fideicommiſſum relicta eſſet: æquius eſt, me eam habere, Cui ea ipſa relicta eſt, quàm te, qui alterius fideicommiſsi nomine ingreſſus in eam eſſes. Nam & ſi mihi ſub condicione legatum eſt, & tu medio tempore in poſſeſsionem eius factus fueris legatorum ſeruandorum cauſa, deinde condicio impleta eſſet: non denegabitur mihi eius rei integra perſecutio. Sic enim & ſi ſtatuliberum ex eadẽ cauſa poſsidere cœpiſſet: impleta condicione, iuſtam libertatem eius impedire non poteſt.

1 ¶ Si rei ſeruandæ cauſa in poſſeſsionem miſſus eſſet proprius creditor heredis, & rei per fideicommiſſum mihi relictæ adeptus fuerit: nihil me per eum lędi oportere conuenit: non magis, quàm ſi ab ipſo herede eam rem pignori accepiſſet.

12. *Marcianus* libro 12. Fideicommiſſorum.

MVnicipiis fideicommiſſum relinqui poſſe, dubium non eſt. ſed ſi non caueatur, aduerſus municipes quidem non dubitabimus ex hoc edicto iri in poſſeſsionem poſſe. ipſos verò municipes, ſi his non caueatur, non idem adſecuturos: ſed extraordinario remedio opus erit: videlicet vt decreto prætoris actor eorum in poſſeſsionem mittatur.

13. *Calliſtratus* libro 3. Edicti monitorij.

QVamuis minima res legata ſit, vel per fideicõmiſſum relicta: tamen ſi non ſoluatur ab herede, vel eo nomine caueatur, cùm caueri oporteat: in poſſeſsione omnium bonorum, quæ ex ea hereditate ſunt, legatarium ſiue fideicommiſſarium prætor legatorum ſeruandorum cauſa mittit.

14. *Labeo* libro 2. Poſteriorum Iauoleno Epitomatorum.

QVæ legatorum ſeruãdorum cauſa in bonis eſt, in cauſa veſcendi deminuet, ſi filia, neptis, proneptis, vxorve eſſet, nec nupta ſit, nec ſuum quicquam habeat.

15. *Valens* libro 7. Actionum.

INterdum licèt dolo malo fecerit heres, quo minùs res in cauſa hereditaria maneant: non poterit in poſſeſsionem earum legatarius mitti. veluti ſi locum religioſum fecerit: aut quid publicè conſecrauerit, permiſſu ſcilicet Imperatoris: aut aliquem non in fraudem creditoris manumiſerit.

# DIGESTORVM SEV PANDECTARVM PARS SEXTA.

# LIBER TRIGESIMVSSEPTIMVS.

## DE BONORVM POSSESSIONIBVS.

*Vlpianus* libro 39. ad Edictum.

BOnorum poſſeſsio admiſſa, commoda & incommoda hereditaria, itémque dominium rerum, quæ in his bonis ſunt, tribuit. nam hęc omnia bonis ſunt coniuncta.

2. *Idem* libro 14. ad Edictum.

IN omnibus enim vice heredum bonorum poſſeſſores habentur.

3. *Idem* libro 39. ad Edictum.

BOna autem hic (vt plerumque ſolemus dicere) ita accipiẽda ſunt, vniuerſitatis cuiuſque ſucceſſionem, qua ſucceditur in ius demortui, ſuſcipitúrque eius rei commodum & incommodum. nam ſiue ſoluendo ſunt bona, ſiue non ſunt, ſiue damnum habent, ſiue lucrum, ſiue in corporibus ſunt, ſiue in actionibus: in hoc loco proprie bona appellabũtur.

1 ¶ Hereditatis autem, bonorumve poſſeſsio (vt Labeo (re)ſcribit) non vti rerum poſſeſsio accipienda eſt. eſt enim iuris magis, quàm corporis, poſſeſsio. deniq. etſi nihil corporale eſt in hereditate, attamẽ rectè eius bonorũ poſſeſsionem adgnitã Labeo ait.

2 ¶ Bonorum igitur poſſeſsionem ita rectè definiemus, ius perſequendi retinendique patrimonij, ſiue rei, quæ cuiuſque cùm moritur, fuit.

3 ¶ Inuito autem nemini bonorum poſſeſsio adquiritur. 4 ¶ A municipibus, & ſocietatibus, & decuriis, & corporibus, bonorum poſſeſsio adgnoſci poteſt. proinde ſiue actor eorum nomine admittat, ſiue quis alius: rectè competet bonorum poſſeſsio. ſed etſi nemo petat vel adgnouerit bonorum poſſeſsionem nomine municipij: habebit municipium bonorum poſſeſsionem, prætoris edicto.

5 ¶ Dari autem bonorum poſſeſsio poteſt tam patrisfamilias, quàm filij familias: ſi modo ius teſtãdi habuit de peculio caſtrenſi, vel quaſi caſtrenſi.

6 ¶ Sed & eius, qui apud hoſtes deceſsit, bonorum poſſeſsionem admitti poſſe, quãuis in ſeruitute decedat, nulla dubitatio eſt.

7 ¶ Adquirere quis bonorum poſſeſsionem poteſt vel per ſemetipſum, vel per alium. Quòd ſi, me non mandante, bonorum poſſeſsio mihi petita ſit, tunc competet, cùm ratum habuero id, quod actum eſt. denique ſi antè deceſſero, quàm ratum habeam: nulla dubitatio eſt, quin non competet mihi bonorum poſſeſsio: quia neque ego ratum habui, neque heres meus ratũ habere poteſt, cùm ad eum non tranſeat ius bonorum poſſeſsionis.

8 ¶ Si cauſa cognita bonorum poſſeſsio detur: non alibi dabitur, quàm pro tribunali. quia neque decretum de plano interponi, neque cauſa cognita bonorum poſſeſsio alibi quàm pro tribunali dari poteſt. 9 ¶ In bonorum poſſeſsione ſciendum eſt ius eſſe adcreſcendi. proinde ſi plures ſint, quibus bonorum poſſeſsio competit, quorũ vnus admiſit bonorum poſſeſsionem, ceteri non admiſerunt: (

4. *Gaius* libro 8. ad legem Iuliam & Papiam.

VEluti quod ſpreuerunt ius ſuum, aut tempore bonorum poſſeſsionis finito excluſi ſunt, aut ante mortui ſunt, quàm petierunt bonorum poſſeſsionem.)

5. *Vlpianus* libro 39. ad Edictum.

EI, qui admiſit, adcreſcent etiam hæ portiones, quæ ceteris competerent, ſi petiſſent bonorum poſſeſsionem.

6. *Paulus* libro 41. ad Edictum.

SEd cùm patrono quidem, contra tabulas, certæ partis bonorum poſſeſsionem prætor polliceatur, ſcripto autem heredi, ſecundum tabulas, alterius partis: conuenit, non eſſe ius adcreſcendi. igitur non petente ſcripto ſecundùm tabulas, alterius quoque partis nominatim patrono poſſeſsionem pollicetur: cùm ceteri, quibus adcreſcendi ius eſt, ſemel debent adgnoſcere bonorum poſſeſsionem.

1 ¶ Bonorum poſſeſsionis beneficium multiplex eſt. nam quædam bonorum poſſeſsiones competunt contra voluntatem: quædam ſecundum voluntatem defunctorum, nec non ab inteſtato habentibus ius legitimum, vel non habentibus propter capitis deminutionem. quamuis enim iure ciuili deficiant, liberi, qui propter capitis deminutionem